

Carmina [illegible].



IHS

# CONSTANTII PVLCHARELLII

A MASSA LVBRENSI E SOCIETATE IESV

# CARMINVM LIBRI QVINQVE

*His adiecti Dialogus De vitijs Senectutis, Et Homericæ Iliadis libri duo è græco in latinũ conuersi*

Collegij Rom. Soc. Iesu

Neapoli apud Tarquinium Longum Anno 1618




Catalog. Inscript.

S.

# Superiorum licentia.

CVm Carmina P. Constantij Pulcharellij Societatis nostræ Sacerdotis, quatuor eiusdem Societatis, quibus id commissum fuit, recognouerint; & in lucem edi posse probauerint: ego Antonius Marchesius in Prouincia Neapolitana eiusdem Societatis Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. Mutio Vitellesco Præposito Generali, facultatem concedo, vt typis mandentur; si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Neapoli 25. Nouembris. 1617.

Antonius Marchesius.



# Approbatio.

LEgi, quantum mihi per temporis angustias licuit, multiplicis argumenti Carmina P.Constantij Pulcharellij è Societate Iesu Sacerdotis. ea à graui,& ingenioso poëta composita, quòd festiua, concinna, & elegantia sunt, nec quicquam omnino contineant contra fidem, bonosue mores, typis vtiliter dari posse iudico.

*Rutil.Gallac.Canon. Dep. vid. & regist.fol.40.*

Hæc item Carmina laude, & prælo digna censeo.

*M.Cornel.Tirob.Prad.Ord.Cur.Theol.*


Imprimantur.
Alexander Boschius Vicarius Generalis.

# REVERENDISSIMO
ac Religioſiſſimo
# P. MVTIO VITELLESCO
## SOCIETATIS IESV
### PRÆPOSITO GENERALI





## Io. Paulus Caccauellus F.



*I, qui nunc venuſtiore cultu ornati, comptiq. Te adeunt, Pater Religioſiſsime, illi ſunt nobiles, ingenuiq. fœtus, Conſtantij ingenio, Muſis obſtreticantibus editi; qui Te ſuperiore anno ſquallore obſiti, vitæ & incolumitatis ergo ſupplices adierunt. Querebantur tum de parentis, vt mitius loquar, inclementia, & ſeueritate, qui ſe nihil tale meritos viuens ho-*

minum conſpectu arceret, & luce: auſus etiam interminari, non euaſuros, quin incendio traderentur. Et quamuis eos parentis properata mors, metu & patria poteſtate ſoluiſſet, cæpiſſentq. licentius vagari, & omnium ad ſe oculos, animosq. conuertere: adhuc tamen apud multos in ancipiti verſabatur, Conſtantij ne ſummi viri iudicium, an totius literariæ publicæ rei ſententiam ſequi oporteret. In qua diſceptatione, vide quàm propius exitium fuerint, quos parentis præiudicata premebat auctoritas, quiq: apud iudicem eam beneuolentiam quærerent, quam non inuenerant in parente. Perierant fortaſſe, niſi noſtra Te ſecula ſingulari Dei beneficio tuliſſent, Religioſiſsime Muti, adeo mitem, humanumq. iudicem; vt, cum maxime ſæuire Te putas, amorem in liberos, atq. indulgentiam ipſos docere poſſis

pa-

*patres. Cuius sententia incredibili aequitatis temperamento reum, & actorem voti compotes facit. Nam quale illud fuit, decernere neque id Constantio vitio vertendum, quòd posthumam famam, & nominis celebritatem, quam ambitiosius alij consectantur, adeo ipse haberet exosam; neque optimae, & pulcherrimae proli fraudi futurum, quòd parente parum laudis auido nata esset. Proinde immortalitatem vtrique deberi. Quam ob sententiam, vti assolent, quibus ex magna calamitate ad summam felicitatem gradus fit, nitentiore vestis ornatu redit, gratias vt agat immortales Tibi libertatis vindici, & immortalitatis prodigo largitori. Redit autem ductu meo, non tam quòd hanc ego illi concinnitatem, & elegantiam mea impensa tribuendam curauerim, quàm quòd in eadem, vt dici-*

*tur,*

*tur, naui simus, eodemq. beneficij Tui, & gratiarum agendarum onere premamur. Hac enim editione & Constantio ipsi, summa mihi, cùm viueret, familiaritate coniuncto, & eius natali solo, ex quo mihi quoq. generis origo ducitur; magna fit honoris, ac dignitatis accessio. Quibus nominibus quãtum Tibi debeam, sciunt, qui quàm arcta sit amoris, & patriæ coniunctio, non ignorant. Quò si accedant vetera in me Societatis promerita, à qua me optimis doctrinis imbutum, saluberrimis monitis informatum, & opportunis adiutum consilijs vel inde à pueritia memini: fiet, vt Tibi, apud quem summum eius regimen est, tantum debere me intelligam, vt soluendo nunquam esse possim. Neque Te ob tot tantaq. beneficia aptiori donare munusculo potui, quàm Poetæ optimi venustissimis*

*ver-*

*versibus. Solet enim magnis viris heroica virtute præditis nihil esse gratius pulchra poesi, cuius penicillo, atque coloribus sibi similium imagines exprimuntur; vt quando ipsi scribenda faciunt, eos maxime diligant, qui legenda scripserunt. Quo fit, vt epistolæ exitu illud Tibi, immo posteris ominer, vt tam bonum aliquando sortiare historicum, quàm bonus hic poeta. Vale, vt bonæ artes, morum integritas, & probitas valeant. Idib. Iulij* CIↃIↃCXVIII.

# IO. PAVLVS
## CACCAVELLVS
## Lectori. S.



VI præ manibus tibi est, humanissime Lector, magni viri est haud magnus liber; solus auctori superstes, tamquam exigua ex ingenti naufragio tabula. Illum Massa Lubrensis extulit, Neapolis aluit, Societas Iesv doctrina, & pietate informauit. in quo-ne illa quidem præsagia desideres, quæ virorum illustrium pueritiam ornare solent, & futuræ magnitudini præludere. ijs, inquam, similia, quæ in Athanasio, Ambrosio, & Platone miramur. quorum ille Episcopales infulas, hi verò melleam oris dulcedinem, quæ viros manebant, pueri præceperunt. Nam Constantium etiam infantem, cùm tabes ignota conficeret; mater an fatidico afflatu, an miserantis viciniæ suasu, laurinis folijs tumulatum Soli exposuit. qua re illi salus reddita: indicatum verò nobis, Constantium aliquando rediuiuum è tumulo in lucem non Medeæ veneficio, sed Apollinaris laureæ beneficio proditurum. Sed mittamus puerilia. Adolescens postquam in Societatem Iesv transcriptus est, pietatem adeo impense coluit, vt antiquæ virtutis exempla præbere videretur. scientiarum verò

nulli

nulli non idoneus, multas insigniter calluit. Philosophiæ, ac Theologiæ studijs adeo erat deditus, vt præ illis omnia parui duceret. & nisi præclaræ tum indoli, tum voluntati, corporis imbecillitas obstitisset; habuissemus Constantium illustriorem Theologum, quàm Poetam. In Rhetoricis, ac Poeticis, quæ tamquam aduersæ valetudinis lenimenta libenter tractabat, erat ad miraculum eruditus. Græcè, & Latinè cùm scriberet, Athenis, aut in Latio, idq. priscis illis seculis, educatus videbatur. Testor hunc ipsum, qui nobis relictus velut ex Cræsi diuitijs obolus, suauissimum libellum. Eminebat in eo vbertas quædam ingenij, & fœcunditas inexhausta, qua numquam Horatiano illi edicto parere necesse habuit.

--------------*Et quæ*

*Desperas tractata nitescere posse, relinque.*

Nihil enim adeo rude erat, quod excultum Constantij industria nitorem accipere non posset. Videsis vel in his reliquijs quanta tum concinnitate, tum suauitate Christiana mysteria adeo vel pedestri sermone imperuia, atque ardua molliat. Hac ingenij felicitate multa partim amicorum rogatu, partim vt genio morem gereret, pleraque adolescentior scripsit; quorum maximam partem igni tradidit, & præcipue chiliadem epigrammatum venustissimorum. idem exitium illaturus omnibus, nisi nonnulla opportunum confugium apud amicos reperissent. Ad extremum Pæoniam aggressus est, opus magnitudine, & varietate insigne, quod si ad coronidem deducere potuisset; dignum fortasse, quod posteritati

tran-

transmitteret, iudicasset. Sed dum alia omnia sollicitius accurat, dum morbis pertinacissimis distinetur; phthisi longa cosumptus, magno cum omnium mærore, rebus humanis valere dixit, & plaudere, post exactos vitæ annos vnum & quadraginta Idib. Ianuar. anno cIↃ IↃ cx. Mœrentes amici collatis, quæ apud se quisque seruabat, reliquijs, hanc veluti rhapsodiam confecere. de cuius editione cùm quæreretur; in hanc omnes sententiam pedibus iuere, non magis abhorrere ab humano more, magnorum virorum ossa inhumata pati, quàm ludicras etiam, ne dum serias scriptiones contemptui habere: esse hoc posteritati iniurium, quæ tantum virum cogeretur ignorare: esse etiam Constantij virtutibus, quæ herum nactæ negligentem laudis humanæ, cohibiti fluminis more, violentius gestirent in publicæ famæ pelagus erumpere, si quidem hæc inanis gloriolæ despicientia non funerare, sed fænerari veram gloriam solet. ad extremum illud Æschyli in rem nostram detorsimus, qui aiebat sufficere sibi, si Homericarum mensarum vel reliquijs vesceretur. Habes igitur amicorum quidem aliorum cura, mea autem impensa expressum, vt ille olim fecit, digituli vnius articulum, ex quo possis giganteam molem assequi coniectura. quod vbi feceris, tibi etiam Constantij verbis dictum puta. Vale, & plaude.

# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV CARMINVM

## *LIBER PRIMVS.*

## Nato Deo

*GENETHLIACON*

*I.*

A quodam è noſtris, eius auditore, bipertito habitum.

*GENETHLIACI*

Pars prior.



*VÆ noua pacati rupere ſilentia Cœli*
*Gaudia? qui Superûm feſtis concentus ab aſtris*
*Ingeminat, pictisq. fremens exercitus alis,*
*Per tacitum ſub nocte chaos nigrantis Olympi*
*Lætitia, plauſuq. choros exercet ouantes?*
*O quis honos, quæ forma die! qui Lucifer! ò quæ*

*Vox audita sonat, terrasq. ad mutua poscit*
*Carmina! quo terras tantus nitor afflat Eoo,*
*Inceditq. Polos, Diuûmq. ab sede coruscat!*
*Nosco equidem. Iam Phœbe noua redimite corymbo*
*Incipe, si quis amor Superûm, te si qua voluptas*
*Allicit, æternæ tangit si gloria laudis.*
*O animum huc aduerte: tuis nunc viribus vsus*
*Hîc omnes molire tubas, animataq. dulci*
*Æra sono, neruoq. loquax ebur omne canoro,*
*Et lituum vocale melos, numerosq. fugaces.*
*Castaliæ tecum properent, tua cura, sorores,*
*Vna tuis regnata cohors, addictaq. iussis.*
*Omnia nunc audere parent: seu mobile plectrum*
*Expediant, animentq. vago cita nablia pulsu,*
*Seu magis argutos numeroso pollice neruos,*
*Seu liquido vocum flexu variabile carmen,*
*Siue modos meditata cauo tumida æra metallo:*
*Omnia sint operata Deo. Fremat vndiq. totum*
*Arte noua cœlum, & pulsis admurmuret astris.*
*Ergo alacres ordire choros: age, Diue, quid orsis*
*Indubitas? ordire modos, & fœdera vocum.*
*Hîc age Bethlemæ sub mœnibus, hîc vbi solum*
*Aut specus, aut tuguri paruum, & sine nomine culmen*
*Concentu fremit, & Superûm plaudente senatu;*
*Hic*

*Hic voti te siste reum, & noua gaudia cantu*
*Nascenti modulare Deo, modulare gementi.*
*En quibus affusæ Diuûm concentibus alæ*
*Bis genitum cœli Regem cecinere, secundis*
*Experientem vltro nostras natalibus auras,*
*Et teneros membrorum artus, & nostra gerentem*
*Ora Deum, & duro fati sub fasce gementem.*
*En Deus in terris. Quid non speremus amantes,*
*Si vel notus Amor, vel amoris amabile Numen?*
*O quibus expectata salus, quibus ardua cœli*
*Regia iam desponsa nouo cum fœdere Diuûm,*
*Ite: solum natale Deo, natalia regna,*
*Maternos lustrate toros, lustrate penates,*
*Et mecum his tuguri tandem succedite tectis.*
*Vnde, quis hic infans hæc ad magalia? qui Sol*
*Fronte micat tenera? salue mea gloria, salue*
*Nate Deo, æternùm salue, sate Virgine salue.*
*O quibus hanc lucem auspicijs sperare dedisti,*
*Quam dudum promisse tuis, quam debite dudum,*
*Quantum optate venis! Vt te post fata parentum*
*Tristia conspicimus, casuq. miserrima nostro!*
*Quàm rata, quæ talem cecinere oracula noctem*
*Aduentus testata tuos! quàm vera priorum,*
*Quàm te digna fides! quàm fallere nescia mentes*

*Pollicitis animosa tuis! quàm vera loquuti*
*Fatidici vates, tua qui speranda canebant*
*Sera licet, ventura tamen primordia vitæ!*
*Ergo erat in fatis, humiles te inuisere terras*
*Indutum humanos nostra sub imagine vultus!*
*Ah qualis puer, ah quantus regnator amantum*
*Sedibus è superis terras delapsus ad imas,*
*Os, habitumq. hominis vero cum numine præfers!*
*Quàm nobis sperate diu, quibus obuie fatis!*
*Te pietas, te noster amor, te dura parentum*
*Vincula, te gemitus, lacrymæq; & mæsta tuorum*
*Funera, te stygijs tellus damnata sub armis,*
*Te patrijs tua gens pœnis addicta vocabat.*
*Ah quoties, dum lenta trahit per secula pœnas*
*Æternas mortale genus, dum prima parentum*
*Crimina captiuos vrgent in fata nepotes;*
*Ingemuit, traxitq. graues de pectore questus,*
*Dum petit auxilium superum, dum nulla facultas*
*Excutere indignam fortunam, & ponere curua*
*Primæuum ceruice iugum, molemq. malorum.*
*Verùm animos coeli memores spes sola fouebat,*
*Perpetuum solata metum, dubiumq. laborem.*
*Ah tua progenies quantis gemit anxia curis,*
*Quæ, quibus interrupta iacit suspiria votis,*

*Dum*

*Dum poscit liquidis diuinum è nubibus imbrem,*
*Pactaq; pacati terris commercia coeli!*
*Nil frustra optatum miseris, non irrita gentis*
*Vota tuæ, non vlla precum iactura, nec astris*
*Contempti gemitus, nec spes decepta precantum.*
*O memores patrio mentes aduertite coelo*
*Mortales: en pignus adest, en obses Olympi;*
*En Domini Natura sui felicior ortu*
*Sponte nouas submittit opes, & prima gementis,*
*Qua potis, effusa celebrat cunabula pompa.*
*Vera fides. Deus, ecce Deus: non lumina fallunt,*
*Si qua fides oculis: quamquam hæc miracula lucis,*
*Atq. oculos generosa fides, & signa refellit.*
*Ipsa sibi testis coeco videt omnia vultu.*
*Nunc monstris animosa nouis, & nocte diurna*
*Aucta, nouos proprijs è viribus elicit ortus.*
*Quale solet campis dudum sata semine paruo,*
*Florea vis, & sponte ferax, operosaq. foetu,*
*Vere virere nouo, & proprio pubescere partu,*
*Maior vt è paruo naturæ pignore crescat.*
*Sic Fidei vis alma satu non irrita primo,*
*Foenere foeturæ felix, & viuida cultu,*
*Cultori nunc fida suo, sub lumine tanto,*
*Nocturno sub Sole, licet brumalibus Euris,*

*Vere suo lætis è sensibus efflorescit.*
*Nec virtute quidem propria, sed semine maior*
*Orta suo, sese occulto sibi sufficit æuo.*
*Et tanti diuine iaces tu germinis autor!*
*O numquam sperate satis! quo munere nostræ,*
*Aut quibus illecebris vitæ, quo mortis amore*
*Accersite venis, tantos obiture labores?*
*O ades, ò tandem lacrymis superate tuorum,*
*Nostrarum instaurator opum, vitæq. repertor,*
*Et vitam in medio mortis venate periclo.*
*Venisti tandem (o pietas) datur ora tueri*
*Diue tua, & tecum nostros componere vultus,*
*Et fandi, flendiq. vices, vitæq. labores.*
*Quamquam ô quale iaces! quò te pulcherrime rerum*
*Deiectum aspicio! quæ te cunabula tantum*
*Excipiunt cæli pignus! quo limina cultu!*
*Ah stipula in nuda, cumuloq. horrentis auenæ*
*Diue iaces, folijs, & stramine fultus agresti.*
*Qualis litorea per noctem abiectus in vlua,*
*Nescius amitti, proprio micat igne pyropus,*
*Et cupido se monstrat hero: vel quale retectis*
*Abstrusum in terræ venis micat eminus aurum,*
*Atque oculos vltro spectantum accersit auaros.*
*Ah Puer, ah nostri venate cupidinis ignes*

*Igne*

*Igne tuo, & teneris vltro Deus indite membris.*
*O quis in hanc, diuine Puer, te compulit ædem?*
*Quid pietas tales in te tua prouocat iras?*
*Ecquid amas tantum nostri miserescere casus,*
*Nil obitus miserate tuos? te numine tanto,*
*Te ne sub hospitium hoc, te ne hæc sub iura coactum!*
*Haccine nos mercede doces, amor emptor amoris*
*Quàm sit emax, quas largus opes, quid prodigat auri*
*Pro dulci consorte, suæ pro compare flammæ!*
*Ah nimium contempte tibi. Te, prodige, tantam*
*Mercedem, ò pietas, tali pro merce dedisti!*
*Tàm ne oculis ignote tuis! Te ne ista coercent*
*Vincla Deum! te lina ligent, & textile vellus!*
*Scilicet inuitum: aut excussa potentia dextræ*
*Diue tuæ. te lina ligent, & vellere textum*
*Sutile tam vili, & paruis data carbasa cunis!*
*Ah laqueis captiue tuis, ah debite quantis*
*Cladibus, ò regni nobis date cœlitis obses*
*Crimine pro nostro fati reus! Hoccine vitæ*
*Seruitium tam sponte subis, subiture tuorum*
*Triste satellitium, & lethi fatale tributum!*
*Tu ne ille antiqui sator ætheris! illa potentum*
*Cœlicolûm vna parens, rerumq. æterna potestas!*
*O vbi regifici postes! vbi tecta coruscis*

*Flammea Luciferis? vbi Sole nitentior aula,*
*Et rutilum dextræ gestamen, & igne decoro*
*Stellarum, & fulua solium Thaumantide cinctum,*
*Et numquam excussum capiti diadema verendo*
*Imperiosum, augustum, ingens, & sidere texto*
*Tergeminum, sublime, suo par omnia Regi.*
*Tu ne ille omnipotens, quem cælitis alma Parentis*
*Mens habet vnigenam! quem numine foeta perenni,*
*Æternùm paritura parit, fingitq; tuendo?*
*Scilicet in se aciem dum colligit, & sua cernit*
*Ora pater, sat nota sibi, sat prompta videri,*
*Et propriam visu faciem pulcherrimus, haurit,*
*Nec sese aspectu cessat lustrare profundo:*
*Tu faciem in tantam viuax obtutus ab alta*
*Mente venis. fixi tu luminis edite iactu*
*Irradias, vultumq. Deo, numenq. Parenti*
*Exprimis, innascens oculis spectantis imago.*
*Ille tua se fronte notat, se luce figurat*
*Illucente tuis natalibus: in tua semper*
*Inditus ora simul, simul obuius aspectat se.*
*Te specimen legit ille suis imitabile coeptis,*
*Exemplumq. ferax. in te sata lumine viuo*
*Dum rerum simulacra videt, quæ pulchrior ipse*
*Pulchra refers, & visa Deo, meditandaq. seruas:*

Nempe

*Nempe tua finxisse nouos ab imagine gaudet,*
*Et varios rerum vultus, artemq. ministram.*
*Omnia tu manuum solus regis orsa potentum:*
*Te varias operum moles formare docentem,*
*Signantemq. viam, & rebus decus omne creandis,*
*Et genus inscribentem, & nomina vera notantem*
*Consulit ad certos operosa potentia nutus.*
*Hinc variam formosa trahunt miracula rerum*
*Effigiem, & tantos variat natura labores.*
*Scilicet insignire tuum est, & fingere certas*
*Omnigenûm formas operum, quæ deinde creatrix*
*Cura libens vno discriminat omnia voto,*
*Inq. nouos tua per vestigia dirigit ortus.*
*Tantum oritur tecum ingenij: spectabile tantis*
*Instar imaginibus tecum tua ducit origo.*
*Nil faciat, nullo Genitor molimine dextram*
*Exerat, aut vsquam nutus, & prouida mentis*
*Lumina conuertat: nisi lumine gignat eodem*
*Te sibi conspicuos animantem ad singula visus,*
*Atque acie in summa mentis clarescere natum*
*Pro viuo intentu, & fixo pro luminis ictu.*
*Tu patrijs vis vna oculis, tu parta videndo*
*Forma Dei, quamuis eadem diuersa videnti,*
*Nec viso diuersa Deo, nec didita sensu*

*Progenies, quamuis partu diſcreta paterno:*
*Tu genus æternum, tu Numinis incrementum*
*Ætherij, tu Numen idem, tu pectoris hæres*
*Arcani, tu pectus idem, tu pignus amanti,*
*Tu gremium geniale Patri, tu nata propago.*
*Olli idem omnipotens, idem arbiter, & Superûm Rex,*
*Idem Orbis moderator, & idem innaſceris autor,*
*Alter ab æquæuo Genitore, nec alter ab vno*
*Diue Deo. ſic ille tuo ſe prodigit ortu.*
*Nempe ſui te dulcem animam, te mentis opimæ*
*Poſſeſſorem æquæuum, æternum, & iure beandi*
*Sponte parem, rerumq. æqua ditione potentem,*
*Tam ſimilem aſpectu, quàm Numine gignit eundem.*
*Quos inter medius vegeta ſpirabilis aura*
*Vrget Amor flammas, pariterq. amplexus vtrumque.*
*Alterum in alterius præcordia condit amantem,*
*Tertiaq. elicitur de Numine forma triformi.*
*Illa fouet fax vna duorum indiuiduum cor,*
*Atq. olli cor idem, fons, & vitalis origo.*
*Si non illa venit partu ſata mentis imago,*
*Pectoris ex adyto tamen expirata profundo*
*Secum haurit ſine fine ſuum vis ignea fontem.*
*Illa duos ſecum dum pectore colligit vno;*
*Hunc, illum intercurrit amans, & fœdus amoris,*


Nil

*Nil vtrique impar, vtrique simillima vultu,*
*Pro simili tamen exemplo non obuia cerni,*
*Visa Deo, sed non specie furata videntem.*
*Vna eademq. anima simul editur, inditur illa,*
*Vna inter geminos, & vtrique alterna voluptas,*
*Mutua, par, simplex, eademq. ad vota cupido.*
*Non ea Naturæ, vel Numinis altera censu,*
*Verùm habitu vultus, & originis altera ductu.*
*Scilicet indiscreta, tamen discrimine certo*
*Hinc, atq. hinc afflata vices committit amandi.*
*Illa sibi indulgens, vltro sibi conscia veri*
*Cura boni, & mensura sui sibi debita voti.*
*Tu ne ab tanta Dei soboles! tu ne ille Tonanti*
*Fons operum, rerumq. vltro consulta potestas!*
*At quibus hanc lucem auspicijs deuote subisti,*
*Et quibus exitijs! in te mala cardine verti*
*Nostra tuo, & nullos insonti parcere casus!*
*Te ne laborantem tali sub lege videri,*
*Et caput, ah, tantum tali supponere fato!*
*Infantem ne, virum ne potes te, Diue, fateri*
*Ore, satu, ingenio, & perituri finibus æui!*
*O quid amor diuine, Deo, quàm sæua laborum*
*Monstra paras, quàm dira paris portenta malorum!*
*Ah saltem dum vita recens, & debile corpus,*

*Dum genit in teneris lactens infantia cunis:*
*Dura minus fortuna foret, nec tale iacentem*
*Aspicerem, & rigidæ subeuntem incommoda noctis.*
*Ah male maturis innate laboribus infans,*
*Quantulus hîc, & quantus ades! quibus hospes ab oris!*
*En vbi, quàm secure tui, quàm triste laboras*
*Et tenero vagitu, & fluminibus lacrymarum,*
*Vix dum prima subis ad limina flebilis æui!*
*Ah Puer, ah tantis cum fletibus intabescis,*
*Et turgentia lumina lacrymulis irroras,*
*Et suspiriolis matrem, & singultibus afflas,*
*Molle ciens animam per tenuia interualla.*
*Vt Virgo, vt lacrymis, vt mollibus adblanditur*
*Sensibus, ah afflans animam ori intermorientem!*
*Vt porrecta sinus, & virgineos amplexus*
*Ora super gremio sese ingerit acclinato,*
*Vberaq. immulgens teneris materna labellis,*
*Mille faces, & mille cupidineos ardores*
*Promicat, & longum tabescens inter amorem,*
*Liquitur obtutu flagrantes ignea visus,*
*Dum suspiria lenta magis magis increbrescunt.*
*Et mea quàm tuus hic haurit præcordia fletus!*
*Quàm dulce immorior tanto lacrymantis amori!*
*En geminas mea vita fores abitura recludit.*


*Elicit*

*Elicit ex oculis animam tua flentis imago.*
*Haurit ab aure animam tua vox, & languidulum cor*
*Auram interpellans vagitibus interruptis.*
*O coelum, ò auræ nil parcitis! ite per Arctos,*
*Crudeles hyemes, coeli furor. ite cadentis,*
*Ite renascentis largas Hyperionis oras*
*Obruite imperio vetitas licet. ite per omnes*
*Terrasq; tractusq. maris, coelumq. profundum:*
*Infernas turbate domos, turbate supernas.*
*Omnia sint vestro, si fas, regnata furori.*
*Tantum oro (si vester amor clementior Orco)*
*Oro hyemes, & te, coeli spirabile frigus,*
*Hoc vno, vnam noctem, vno hoc absistite tecto;*
*Dulcis vbi hic infans horrentes inter aristas,*
*Stramine gramineo, & nullo fultus hyacintho*
*Flos Superûm, dulces hominum meditatur amores,*
*Triste citans auram vagitus inter anhelos.*



# GENETHLIACI
## Pars posterior.

Quam idem postridie dicturus, sanguinem misit è pectore. factumq. percommode, vt per aliquot, dum is conualesceret, dilata dies, initium eiusmodi sortiretur.



*Irgineos dudum peregrino in limine partus,*
*Infantemq. Deum Diuæ genitricis in vlnis*
*Vidimus, & terris natum, & mortale gementem.*
*Ius erat actutum sacris dare munera cunis,*
*Et diuina nouis præsepia cingere sertis.*
*Non licuit tantum nobis, quia munere digno*
*Forte fuit tum cassa manus, non pectus auarum.*
*Digressi rursum Aonias lustrauimus oras:*
*Hinc ad Acidalium celeres peruenimus amnem,*
*Vt noua si qua forent huc munera portarentur.*
*Seu quis honos Phoebi, & florentis adorea Pindi,*
*Seu gregis Arcadij quantum pluit vbere nectar,*
*Seu Charitum composta manus pro matre supellex.*

*En iterum natale Deo nunc imus ad antrum*
*Nescio quid patria Pindi de rupe ferentes.*
*Tu modo, vectigal tantum cui subdita portant*
*Mænala, cui tantum Parnaßi fœnus abundat;*
*Pollicitis sta, Phœbe, tuis, & debita profer*
*Dona memor fidei, & cumulum superingere penso.*
*Nec mihi (si munus dudum moror) errat amando*
*Mens animi, musamue dies elapsa fefellit.*
*Ipsa moram fecit nimium festina voluntas,*
*Quæ dubio varias implendi muneris artes*
*Dum sequitur studio, metuitq. ingrata videri:*
*Ingenium longa curarum ambage moratur.*
*Dumq. Deo votos Pietas meditatur honores,*
*Quæq. paret lustrare nouo donaria cultu;*
*Non ea diuitias optat Garamantidis vndæ,*
*Non aurum, aut Inda vectas à Doride merces,*
*Aut Arabum succis halantem, & fruge Sabæa*
*Ambrosiam, aut Tyrio flammantia vellera fuco.*
*Verùm alias arcas, alios popolata recessus,*
*Thesauros vitæ sacros, animæq. repostas*
*Haurit opes, altumq. suo de fonte cruorem,*
*Primitias voto sacras, & dulce tributum*
*Nascenti solemne Deo, vel manus amanti.*
*Atq. ego iam venas arcano vulnere tactus*

*Purpureos ibam in riuos. ah saucius issem*
*Irriguum (quid fata vetant?) in sanguinis amnem.*
*Venissem ad festas melior tibi victima cunas*
*Diue Puer, dulciq. animam cum voce dedissem.*
*Sed quando tantum nequicquam optauimus: ò vos*
*Pergite Perides iterum, nec parcite nostri*
*Carminis elapsum tempus reuocare canendo.*
*Tuq. meo iam Phœbe Deo date muneris obses*
*Solue moræ pretium: neque enim cunctamur inempto*
*Temporis occasu. vendit sese hora cadendo.*
*Ne fuge promisso meritum superaddere culmen,*
*Nec fidei mensuram vllam, aut compendia quæras:*
*Fœnus enim officij poscit mora. fœnus honoris*
*Tardus honos, votiq. dies huc lapsa requirit.*
*Da, suus optanti constet prouentus amori,*
*Qui ductam in longas magno spem fœnerat horas.*
*Ergo animi porrecte sinus, ex omnibus omnes*
*Exere fortunas adytis, atq. vbere largo*
*Munificas hic pande manus. da, prodige, quantum*
*His lacrymis, quãtum hoc gemitu Deus imperat infans.*
*En vt inops, en quale gemit! quàm dura iacenti,*
*Quàm deserta quies inter fœnilia tosto*
*Aspra toro, & fœdos pecudum redolentia somnos!*
*Quale patet diffuta domus, nec inhospita nimbis;*
*Hor-*

Horrida dum summis Aquilonibus asperat annum
Bruma, nec à pleno veniunt fomenta camino.
Tantùm interlucens lento vix lumine flammæ
Coeculus immoritur nocti focus. Ilicet illum
(Ah pietas) medium recubantem, & molle trementem,
Quadrupedum par vile fouet, quæ pectore prono
Incumbunt, geminumq. afflant auido ore teporem,
Et Boream algentem certant arcere reflando,
Naturæ miserantis honos. Ah conscia tanti
Pignoris hospitio, & tali sacra limina partu,
Ne gelidos tantis accite meatibus Euros,
Nec pluuium rimosa Iouem defundite tecto.
Vos quoque syluestres animæ, spes vnica ruris,
(Sic vobis ignara doli dent pabula campi,
Et metuant vestras nemorum monstra omnia voces)
Vos, quibus hic infans, atq. hæc cunabula curæ
Vicinæ pecudes, seu tu dare fortis aratro
Ceruicem, seu ferre humeros tu mitis onustos;
Ah, folles animate animæ, crebrescite flatu,
Aspirate Deo per noctem, & flabile frigus
Assensu prohibete pio, cordisq. flabello.
Ah teneras, dum spirat hyems, obsidite cunas
Instantes gemina face pectoris. En ego vestro
Tertius obsequio, pars flaminis vltima nostri.

*Sufficiam hanc animam, & vitæ penetrale recludam;*
*Vt mea vel tectum hoc (si quà licet) ora vaporent,*
*Vel meus in tepidam difflet me spiritus auram,*
*Spiritus intentu mecum immoriturus anhelo.*
*Ah quid ego imploro ventos, & muta lacesso*
*Frigora, vel sæuas hyemes, & Orionis iras?*
*Quid placidi fortuna Iouis, quid mitior anni*
*Tempestas, quid blanda iuuet clementia coeli?*
*Scilicet effugij satis hoc, & cladis asylum;*
*Dum cupis in te omnes iamdudum accersere luctus!*
*Ah flammis data præda tuis! tu legifer huius*
*Exilij tibi Diue venis, autorq. pericli.*
*Ergo erat in votis talem tibi ponere sedem,*
*Hos tibi natales quondam meditate futuros;*
*Cum tu olim primos facilis molitor in ortus*
*Naturam eliceres, coeliq. volubile templum!*
*Quantæ molis erat meritum tibi condere tectum,*
*Et solium tantis aptum præfigere cunis!*
*Scilicet ille idem es, nullo fata semine nasci*
*Omnia qui nutu rerum primordia mandas.*
*Tu numen molite tuum, variabile fati*
*Imperium capiti creuisti imponere nostro,*
*Certus in hanc vitæ nobiscum incurrere sortem.*
*Tu verbo, nutuq. potens ingentia Diuûm*

*Limina, tu magni posuisti immane theatrum*
*Ætheris, & fixis radiata sedilia flammis,*
*Sydereo nobis fingens laquearia tecto.*
*Tu sua tellurem collectam in pondera circum.*
*Sponte suo subnixam oneri, fixuq. perenni*
*Pendentem ab sese nullo fundamine libras,*
*Seu nobis natale solum, seu pensilis vltro*
*Naturæ momentum ingens, nec mobile pondus.*
*Illam inter vario florentes germine campos*
*Extollentem altis montana cacumina siluis,*
*Visceraq. abruptis pandentem effossa barathris.*
*Neptuno foetam esse iubes, & fonte profundo.*
*Hunc etiam certos vetitum transcendere fines.*
*Porrigis immensum spatijs, & littore vallas*
*Indomitum quamquam furijs, coeloq. minaces*
*Attollentem iras, & agentem ad sydera fluctus.*
*Tene illum aspicio, quem quondam aspexit Olympus.*
*Flore coronantem terras, totoq. serentem*
*Æthere luciferos, oculatæ lumina noctis!*
*Tu faciles obitus, faciles das ire per ortus,*
*Quà regis æternos mundi versatilis ignes,*
*Taurumq; Plaustrumq; Lycaoniosq; Triones,*
*Et sobolem Ledæam, & noctiuagam Cynosuram, (pen*
*Atq. Helicen, atq. Hydram, atq. auripedem Melanip-*

*Et pluuias Hyadum flammas, toruumq. Booten,*
*Anguineumq. iubar cum sydere Centaureo,*
*Et formidatum nautis Oriona nimbo,*
*Errantemq. Iouem cum pignore Cylleneo,*
*Et tardum genitorem æui sua secla morantem,*
*Gradiuumq. patrem, & dulcem insidijs Cytheream,*
*Et regem Titana die, lucisq. parentem,*
*Et celerem cursu Dianam, & fronte bicorni,*
*Quæq. pares spatijs distinguunt sydera menses*
*Et versas duodena vices, annumq. reducunt,*
*Et quæ alios ineunt alio discrimine cursus,*
*Seu maris occiduo properent se mergere fluctu,*
*Seu numquam casura Poli se vertice summo*
*Semper agant circum paruo labentia gyro.*
*Tu Genitor, primo mundum qui ducis ab æuo,*
*Talibus accensum lustras funalibus Orbem,*
*Atq. illum generi regnandum addicere nostro*
*Ante paras, prima quàm nos ab origine ducas.*
*Quis te hominum, quis te nollet vidisse Deorum*
*Indulgentem operi, & facili suprema mouentem*
*Orsa manu; dum viua iubes in corpora terram*
*A se degenerem teneris coalescere membris?*
*Et primum humanæ sobolis, vitæq. parentem*
*(Exemplum, formose, tui dum fingere gaudes)*

Ter-

*Terrena de fæce satum, iam fictile nostri*
*Principium, subitos in luminis elicis ortus.*
*Olli vitales auræ spirabilis haustus,*
*Atq. animam sensu pollentem, & numine mentis,*
*Ducentemq. tua similes ab imagine vires,*
*Diuino afflatu vegetos infundis in artus.*
*Tantum animis terra ausa tuis. Venit arbiter Orbis*
*Ex humili noua forma solo, micat arduus ore,*
*Attollitq. animos, & conscia lumina coelo.*
*Miratur subitum sese genus: vnde repente*
*Tam noua tam caræ productum in lumina vitæ!*
*Munere quo tam dulcem animam, quo flamine sensum*
*Hauserit ætherium, lapsumq. in pectora numen!*
*Sentit opes animi, sentit diuinitus auctum*
*Pectus, & arcana fœcundam Pallade mentem.*
*Illum acclinantem placido data membra sopori*
*Connubio tacitum iungis. nempe inter amoenos*
*Dum tu illum flores, & odora cubilia mulces*
*Dulcia securo carpentem obliuia somno;*
*Vnam inter curuas disclusa per ilia costas*
*Delectam, & molli iussam discedere tactu,*
*Foemineos pollente manu componis in artus,*
*Et consors iam facta tori, cui nubile natu*
*Ingenium, & virtus generi materna serendo.*

State (iubes) hac sorte meum genus, æmula cœlo
Progenies, æuo foelix, imperdita letho,
Et numquam euentus rerum visura sinistros,
Ni leges oblita meas, & foedera Diuûm.
Este mei geminum Mundi caput: este futurae
Gentis vterque parens, & connubialis origo.
Tellurem imperio totam subiungite vestro:
Ducite connubio sobolem: date plurima partu
Pignora, longæuos nunquam interitura per annos;
Ni placet interitum vestris adsciscere votis.
En ego nec metas regni, nec tempora vitæ,
Sed faciles morum leges, & munera pono.
Vestrum hoc seruitium est, quidquid seu prodiga foetu
Terra parit, seu larga sinu salis vnda feraci,
Quæq. animæ per lustra vagæ, per cærula Nerei,
Per superas coeli numquam irremeabilis oras.
Hæc nitidi conuexa Poli tam luce superba
Crebra suas vibrare faces, hic lucidus auræ
Ambitus, hæc vario frugum grauis vbere tellus,
Hæc patria, hæc vestris olim nascentibus esto
Ampla domus natis, nec subdita regia fato.
O tantam molite tuis mortalibus aulam,
Quam tibi nunc sortire domum! quo turbine sortis
In te vnum conuersa tot aggerat alea casus!

Alea,

*Alea, quæ nostræ vertit ludibria vitæ.*
*Ah regnis inuise tuis, inuise tuorum*
*Hospitijs! Vtinam sola hæc penuria, solum*
*Hoc foret exilium suscepti summa laboris.*
*Altera pernicies en te vocat, altera clades.*
*Arma indigna sonant: Solimûm fremit arma tyrannus,*
*Ah tua iam totis in vulnera viribus itur:*
*Omnia lustrantur diro cunabula ferro;*
*Vnus vt intereas, cunctis è millibus vnum*
*Quem decet immunem tantos euadere casus.*
*Quantus agit materna furor se limina circum,*
*Et puerûm imbelles animas ad funera poscit!*
*Quæ, quibus insidijs, quo turbine versat Erinnys*
*Per medios se coeca lares, per clausa domorum,*
*Per Solymûm sine more toros, lateq. per vrbes*
*Isacidûm, confusa nouo per compita luctu!*
*Vbera per, lectosq. sinus, & pectora matrum*
*Aggerat heu quantos indignæ stragis aceruos,*
*Ense truci infantum teneros bacchata per artus!*
*Ah ne, Diua parens, ferus hæc ad limina miles,*
*Quò solùm venit ille suos inferre furores,*
*Victor agat gressum, & saturis fremat ebrius ausis.*
*Diua caue: nihil insidijs, nil parcitur iræ.*
*Hiccine tu patrio metuendam fulmine dextram*


*Abstineas! tantum ne pati te cladis inultum!*
*Nec meritus te, Diue, tuos furor armat in hostes!*
*Quippe vetat fatum, vel tu nunc alter ab illo es,*
*Qui quondam pluuio mersisti gurgite mundum*
*Vlte hominum commune nefas; cum naufraga tellus*
*Imbribus æternùm crescentibus hausta profundo*
*Æquore, tot mersas animas inuergeret Orco.*
*Qualè laborabant gemitu mortalia corda,*
*Cum coeleste fretum, cum te sensere corusco*
*Fulmina vibrantem coelo, & lethale tonantem!*
*Nec fuit indignum superis, tum cernere tanto*
*Diluuio mundum, & confusa strage natantem.*
*Quid Superûm deiecta tuo sub tartara telo*
*Turba rebellantum, & coelo dare iura frementum?*
*Quid data sulphureo quondam te vindice nimbo*
*Oppida, vesano quia fœda Cupidinis æstu?*
*Quid Phariæ vindicta tyrannidis, haustaq. ponto*
*Millia tot bellantum, atq. in tua castra ruentum?*
*Cum iussu disclusa tuo media æquora sicco*
*Excepere solo gentem, & tua signa secutos*
*Isacidas: mox agmen vbi se hostile sequaci*
*Intulit assultu laterum per aperta liquentum,*
*Non tulit hoc Nereus, & conscia cærula iunctos*
*Ire dat in fluctus, submersosq. obruit hostes.*

Non

*Non tulit, ah, tantum Nereus in castra tuorum,*
*Et feret hoc tellus in te nihil anxia crimen?*
*Et poterit non illa tui miserescere tantum,*
*Quantum olim miserata tuos vada salsa maniplos?*
*Quin abscissa chao, & stygio caua viscera fundo*
*Sorbet in abruptum tanti noua monstra furoris?*
*An tu cœlipotens aperire potentior vnda*
*Tellurem abrupta, quàm ruptis tartara terris?*
*Fallor. Eras fidus vindex tum Diue tuorum,*
*Ah vindex nunc Diue tui. Te ne in tua tantum*
*Membra tuas armasse manus, dum nasceris vltor*
*Contemptorq. tui, & patrijs nouus exul ab astris!*
*Quàm nunc alter ades, quantùm mutatus ab illo*
*Ora supercilio, quo primùm excussa parenti*
*Pectora primæuo; cùm te sua furta querentem*
*Sensit, & attonitos subitus tremor obruit artus;*
*Nec potuit celare tuis male conscia iußis*
*Lumina, nec labem generi prohibere paternam.*
*Ah nunc illa tuæ commissa piacula genti*
*Supplicijs vlture tuis! Te vindice tanto,*
*Te vade iam nostro generi, te iudice cautum.*
*Soluimur antiqua iam compede: soluimur Orco:*
*Et, duce te, patrijs rursum transcribimur astris.*
*Eripimur tandem: eripimur. Da libera plausum*

*Progenies, erepta iugo Phlegethontis auito.*
*O noua iam cælo, & Superis adſcita propago*
*Naſcenti gratare Deo. Viden æthere toto*
*Ad tua quàm læti proludunt gaudia Diui,*
*Et conſanguinea veniunt ad fœdera dextra!*
*Quanta nouam nobis portendunt ſigna ſalutem!*
*Nam virtus quæ tanta Poli, quæ lucis imago*
*Tergeminos nuper Soles commiſit in vnum?*
*Aureus ardentem radijs Titana coronat*
*Circulus. Inſuetum cælo. Micat igne ſereno*
*Neſcio quo præter ſolitum fulgore coruſcum*
*Sidus, & in medio ſtat lumine lucidus infans.*
*Lucifer incerto ſeſe nouus exerit ortu,*
*Memnonios reges Solymam qui ducit ad vrbem.*
*Fundunt vitiferi fragrantia balſama colles,*
*Et tacitos fluctus voluunt vndantis oliui*
*Flumina Naïadum latices oblita ſonoros.*
*Mortales Diuûm ora procul videre loquentum,*
*Et pecudes videre nouæ miracula noctis,*
*Videre, & multum pecudes fleuere videndo*
*Infantem vagire Deum. Quid Romula tantùm*
*Dardanidæ portenta ferunt! animalia nuper*
*Per campos audita loqui: per compita luctus*
*Horriſonos: cæcum radijs Titana ſepultis:*
*Et*

*Et mæstum in templis ebur, & liquida æra gemendo:*
*Fulguraq; & tristi pallentes crine Cometas;*
*Et tonitrus cœli ingentes, & sæua sonantum*
*Armorum, & subitos ruptæ telluris hiatus:*
*Vorticibus visos amnes spumare cruentis,*
*Aut medio in cursu dubios sine lege morari:*
*Luctificos auium questus lethale canentum:*
*Concussas sine more iugis nutantibus Alpes,*
*Atque abrupta nouis Ætnæa cacumina flammis;*
*Et dubias pecudum fibras, & dira litando*
*Exta sacris, trepidasq. vmbris errantibus vrbes.*
*Omnia sæua metu. solum formidinis expers*
*Omnibus hoc portentum ingens præ millibus vnum,*
*Ire Deum in lacrymas. nimirum, ah, natus amari*
*Ante Deus, quàm natus Amor. Quid Amore magistro*
*Non didicit vel ferre mali, vel vincere flendo!*



# De Magorum Regum itinere.

## CARMEN II.


*Vòd noua Matutæ faciem facis auxit origo,*
*Atq. insueta Polos visa est accendere lāpas:*
*Ecquis amor spectare diē, aut Titana gemello*
*Sidere delusum vultu minus ire corusco?*
*Vertite ad hoc tuguri tectum, & fœnilia mentes.*
*Quantus hic agrestes inter proiectus aristas*
*Per noctem indulgens teneris vagitibus infans*
*Spontem suam nostro vitam despondet amori*
*Natus inops, diuesq. sui dator! O quibus illum*
*Excipimus cunis lacrymantem, & dulce ferentem*
*Os hominis, Numenq. suum! quem lucis in auras*
*Virginis arcana conceptum exclusit ab aluo*
*Diuino fœcunda satu mortalis origo.*
*En illum Auroræ populi, Regesq. Sabæi*
*Certatim accumulant donis, verumq. salutant*
*Regnatorem hominum, cui Diuûm innata potestas!*
*O noua quæ cœlo tantum exeris æmula Soli*
*Stella diem, & superi signas cunabula Regis;*
*Si duce te cursum certa regione secuti*

Mem-

*Memnonidæ, si fida tuos dum prauehis ignes,*
*Infantem videre Deum; da præuia nobis*
*Lumina. nos etiam votiuo munere dites*
*Bethlemã ad rupem, & sacrũ properamus ad antrum*
*Sacra Deo pubes, & idem ad præsepe vocamur.*
*Ite pares animis mecum, & Parnasside pompa*
*Pierides, excite choros, & gaudia cantu*
*Tam lætum per iter, tantæ facis auspice ductu.*
*Addunt se comites votis, & nobile iungunt*
*Agmen Orontei, socio cum munere, Reges.*
*Non illos aut acris hyems, aut vlla fatigat*
*Exilio sudata dies, & auara quietis*
*Causa viæ, cœptiq. nouo cum sidere cursus.*
*Ergo iter ingressi, patrijs è finibus ibant*
*Ductores Arabum, & procerum Nabathæa propago,*
*Tres generis summi Reges, atq. agmine festo*
*Lecta cohors, toto plausum vulgabat Eoo.*
*Iam campos tenuere rotæ. nempe vna quadrigis*
*Tantùm aberat, roseam qua lucem Aurora vehebat.*
*Vnà ingens equitum varijs insignibus agmen,*
*Tergeminus promptis famulantum exercitus armis.*
*At tuba, quæ præmissa viros citat ære conoro,*
*Ad Solymam tonat, ad Solymam duce sideris ortu,*
*Ad Superûm infantem Regem, fremit excita plausu*

*Vnà equitum, peditumq; phalanx. iam tota relinqui*
*Mœnia; se totis vrbes effundere portis,*
*Cumq. suis deserta putes iam compita tectis.*
*Ire pares studio certant, & munere Reges,*
*Nutantesq. onerant currus. portantur opimae*
*Memnonis Eoi merces, auriq. talenta,*
*Et stactæ, & thuris late spirantis odores.*
*Grandia curuato quadrupes trahit esseda collo.*
*Et varias onerum moles. it prodiga Tharsos:*
*It Meroë deuota focis: it vectus Orontes,*
*Totaq. formoso Panchaïa foeta metallo,*
*Cælicolûm Regi munus. dat Lucifer omnes*
*Officiosus opes, censuq. asseruit Olympo.*
*At coeli fax alma, nouo quæ effulserat ortu;*
*Per noctem, perq. illa diem fidissima ductu*
*Dirigit obseruata viam, cursumq. gubernat*
*Abbaridûm longè ad fines à finibus Indis.*
*Ergo iter emensi, Solymas iam cominus oras*
*Aspiciunt. coram assurgit montana Saniris,*
*Et Libani frondosus apex, & celsa Sionis*
*Regia, finitimos inter pulcherrima tractus.*
*Clarescit sonitu passim; & propioribus vndis*
*Dulce fremens, molles lambit Iordanis arenas.*
*Nec mora, conspecti fluctus, & florea rura*

*Leni-*

*Lenibus in ſtagnis, & ſyluicoma Terebintho.*
*Hinc altum in luco culmen felicis oliuæ:*
*Hinc & meta viæ longo ſperata labori,*
*Iſacidûm Solymæ ſedes, & culmina tectis*
*Ardua turritis, eductaq. moenia coelo.*
*Ante vrbem in campo ludis operata iuuentus*
*Viribus exercent teneris vmbratile bellum.*
*Hi dociles flectunt currus: hi fortia diſcunt*
*Cornipedum ludicra. fremit ſeſſore ſub alto*
*Plurimus, & quaſſa ſonipes volat actus habena,*
*Pictus acu phaleras, atq. aureus ora lupatis.*
*Parte alia peditum luſus, & dura palæſtræ*
*Prælia, nec molles virtus agitata per vſus.*
*Hic iuuenes certare manu, & campeſtribus armis:*
*Bellisonos tendunt arcus, & ſibila tela*
*Eminus enixi neruis ad ſidera iactant,*
*Aut dubiam certant ictu contingere metam.*
*Hi ſtadio certatim inſtant, aut acta lacertis*
*Spicula fulmineis altè ſub nubila mittunt.*
*Stant circum, & pulchras acuunt clamoribus artes*
*Spectantum affuſi coetus. fauor vndiq. vires*
*Inſtimulat, terretq. pudor, frangitq. voluptas.*
*Talia dum campis dat ludius otia Mauors:*
*Ecce aduentabant portis, & longa ſequentum*

Agmina ductabant Reges, vbemq. petebant.
Iam canor audiri venientum, & pulsa tubarum
Æra: vident voluentem alto se puluere nubem.
Extemplo ludentum acies, & bella silescunt:
Nec mora, turmatim studio importuna videndi
Obuia se totis effundunt agmina campis.
Immemores visu pueri, & rerum inscia pubes
Mirari ingentes equites, & magna frementum
Corpora quadrupedum, & celeres ad moenia cursus.
Intenti explorant vultus, & nomina Regum,
Et cultus in veste nouos, & mira videri
Arma virûm, & pulchro rutilos heroas in auro:
Suspecti, quæ causa viæ scitantur, & vltro
Difficilem credi flagrant audire laborem.
Multa super patria rogitant, super omine multa
Sidereo, & preßis hærent ad singula dictis.
Vix erat audiri coeptum, quibus agmen ab oris?
Qui patria, qui stirpe Duces? quo sidere ducti?
Cum subitò arrectæ mentes: tum gaudia fando
Iactari paßim in vulgus, creberq. tumultu
Rumor, & immissæ curarum in corda procellæ.
Diditur hæc totam subitò iam fama per vrbem,
Expectatum illuxe diem, quo munera soluant
Nascenti promissa Deo: iam secla nouari:
Iam

*Iam Diuûm peperisse fidem sua pignora terris:*
*Iam noua, iam sperata diu miracula partus*
*Virginei vicisse fidem. nempe omnia signis*
*Impleri prædicta suis, & poscere metam.*
*Hoc genus illud opum venturum ex orbe Sabæo*
*Nascentem ad coeli Regem, hoc regale tributum,*
*Hanc illam Æthiopum turbam, quam fata canebant:*
*Hos Arabum Reges, atq. hos Orientis honores.*
*Ergo mortales genitum venisse sub auras*
*Regnatorem illum Isacidûm, cui militet Orbis,*
*Qui genus omne hominum ad cõmercia poscat Olympi.*
*Talia vulgabat faciles iam fama per aures,*
*Crebra noua fingi sub imagine, crebra refingi.*
*Ecce autem à portis ducti per compita Reges*
*Lustrabant in equis vrbem, & surgentia pinnarum*
*Ordine, valuarumq. pari, latera alta viarum,*
*Porrectosq. solo tractus, & textile marmor*
*Quà iacta per strata Paro, quà Memphide secta.*
*Illi occurrentem læti cognoscere turbam,*
*Incedunt: iam tecta nouos dant vndiq. plausus.*
*At Regum formosus honos in corpore toto.*
*Barbario vestes cultu, & Garamantide gaza,*
*Et decor in Tyrio Phrygius, Tyriusq. sub auro.*
*Cornipedum frænant ingentia corpora dextra:*

Qualia Pegasidûm genitor miretur equorum.
Tres ipsi non ore pari, non omnibus ætas
Vna viris. certum & vestis discrimen, & æui.
Ante alios, tardo sonipes quem sustinet armo,
It senior, cui fusa comam, promissaq. mento
Canities, nec multum auro festiua senectus,
Regificum fastu spirans in Marte togato.
Insequitur, qui fronte ferum, incessuq. superbum
Frænat equum domitor, pictisq. effulgere gaudet
Arduus in phaleris, & murice clarus, & auro.
Frons, pia maiestas: non dum illi exacta iuuenta,
Nec primæua tamen: crispo subrufa capillo
Plurima se fundit collo, non plurima mento.
Et Regi sua tela: latus mucrone sinistrum
Fulminat auratum, paruo sed acinace dextrum.
Tertius aspectu roseas impubere malas
Iam tener. hunc ostro, & tota Sidone rubentem,
Fuluum auro chlamydem, nitida frænatus habenā
Portat equus, tenero facilis parere magistro.
Et suus huic aureum suspendit balteus ensem:
Et series in torque coruscis aspera gemmis,
Et cristatus apex, & gemmea flamma galero.
Hinc procerum cognata manus subit ordine longo,
Et varius fulgens varijs equitatus in armis.

Post

*numerus famulantum ingens, & nobile cultu*
*itium, & velata petorita conopeo,*
*ijugi currus, turritaq. quadrupedantum*
*ga oneri supposita, pedem irrequieta volucrem.*
*uet iter studio vadentum, & sæpe rogantum,*
*ia quæ cœli puerum, quæ limina seruent*
*ntem Isacidûm Regem, modò lucis in auras*
*essum, monstrante Polo, plaudentibus astris?*
*ibus exciti ciues, & præpete pompa*
*ripiunt sese tectis, passimq. frequentes*
*fundunt clamore vias. it mobile vulgus*
*ca fremens, cursatq. oculis, atq. auribus amens.*
*Ventum erat ad templum, fixi cum lumina Reges*
*pectu multùm attonito supera ardua lustrant,*
*rmoreumq. apicem subeuntem affinibus astris,*
*riaq; & circum Parias, decora alta, columnas,*
*ra operum portenta, fores, spirantiaq. æra,*
*idua bellorum monstris, atq. arte loquaci.*
*ce in conspectu longè pedes ibat in ostro*
*ncilio in magno medius Rex vrbis, & altè*
*greditur, seseq. suis cum millibus offert*
*rodes, ipsum ad templum qui forte subibat.*
*emnonidæ prompti officio (nam cominus adstant)*
*siliunt, Regemq. petunt. ille obuius vltro*

Dat sese, fandiq. vicem sic voce reposcit.
Dicite, qui generis tanti? quoue alite nostro?
Vnde precor? quæ causa viæ? qui nomine Reges?
Et quibus hanc hyemem superas aduectus ab oris
Magne senex? neque enim senium non molle labori.
Tum senior. Ne verò hyemem, Rex alme, neq. ulla
Crede niues cursum hunc nobis potuisse morari.
Tres sumus Eoi Reges. mihi nomen auitum
Melchior; at regni fines cum sede paterna
Trans Arabas, citraq. fretum Gangetidis vndæ.
Alter hic antiqui iunctus mihi sanguinis hæres
Balthassar, cui diues opum regnatur Hydaspes,
Oraq. perpetuo latè contermina Tauro.
Tertius hic, primo vernat cui flore iuuenta,
Progenies caræ mihi sanguine iuncta sororis,
Gaspar, opum felix, nisi quid fortuna minatur.
Nam tener ipse æuo, & genitori posthuma proles,
Et furor hostilis circum, & fraus aspera bello.
Latum illi imperium, tercentum in finibus Euri
Æthiopum populosæ vrbes, & Caspia regna.
Quòd si, prima viæ fuerit quæ causa, requiras;
Venimus acciti monstro flammantis Olympi,
Et face siderea ducti, quæ ritè monebat
Ire salutatum Solymi cunabula Regis.

O vbi

*O vbi Rex vestri generis modò natus? vbi illum,*
*Quæ genitrix tantum vobis tulit? illius ergo*
*Venimus, & cæli non fallimur indice flamma.*
*Illum etiam nobis nostri cecinere parentes*
*Venturum, & Regem Diuûmq. hominumq. futurum,*
*Et statuere diem signis, quæ magna videmus.*
*Venit enim vestras rumor, ni fallor, ad aures,*
*Auditas fari pecudes ad Tibridis vndas,*
*Concussum Arctois mundum intremuisse sub astris*
*Et sonitus armorum altas tonuisse per Alpes;*
*Nescio quos amnes fluctu manasse cruento;*
*Nescio quos prono visos requiescere cursu;*
*Euoluisse alios pelagum labentis oliui.*
*Quin etiam abruptas, fremituq. immane recussas*
*Penè ipsos hausisse Polos in tartara terras.*
*Quis tacet auditos tonitrus horrentis Auerni*
*Trinacrios circa fines? ad sidera quantas*
*Antra faces Ætnæa vomant? quæ visa sonantum*
*Diluuio flammarum omnes ruere vnda per agros?*
*Quid memorem, quæ audita senex vidi ipse, nec vllis*
*Tantùm oculis vulgi credam? tres æthere vidi*
*Fulgere Titanas: vidi, cùm lumine iuncto*
*Tergeminus nitor in Solem se cogeret vnum,*
*Mira etiam nuper cæli fulgentis imago*

*Visa mihi, radijs vibrans ingentibus astrum,*
*Insolitum visu, mediaq. in luce virago*
*Alma supercilio, pulchrum pulcherrima pulchro*
*Infantem complexa sinu: par vultus vtrique.*
*Illum, illam, & vultum, & radios vtriusq. notaui.*
*Agnoscam, si Diuam illam, Diuumq. videbo;*
*Æternumq. notas memori sub pectore seruo.*
*Os pueri pulchrè roseum, niuumq. videri.*
*Induerat formosa rudes infantia vestes,*
*Mirificum vultu spirans in luce superba.*
*Aßimilis nato genitrix; tantum ore gemello*
*Alba minus, vittata comas, argentea velo,*
*Per frontem è vitta flauum disclusa capillum,*
*Flammea purpuream vestem, sed cærula pallam.*
*Talem illum aspectu, talem si quærimus illam:*
*Nil mortale, reor, tanto venamur amore;*
*Ni superum immortale subit mortalia Numen.*
*Dicimur aspicijs Diuûm, non omine vano,*
*Numinis indicium est. mentem si numina fallunt.*
*Fallamur; dum regna Deo mortalia subsint.*
*Et nostræ fallantur opes, fallantur amores.*
*Talia Memnonides, cui dudum ingrata loquenti*
*Herodes furtim arridet, risuq. bilingui*
*Multa parat: multum ille oculos intentus, & aurem*
*Indu-*

*Indubitat, mussatq. suis, nec mutua fatur.*
*At senior videt ancipitem, nec dulce silentem,*
*Nutantemq. animo, & metuentem plurima regno;*
*Et videt in risu fraudem, & mendacia vultus,*
*Armorumq. minas oculorum in luce fugaci.*
*Nec mora, sic vrget dubium, & responsa morantem.*
*Fausta precor regnis: læuum procul omen abesto.*
*Et mihi sunt regni fasces, & regius ardor*
*Curarum intentus famæ: sunt pectoris æstus,*
*Aura meam lenta si voce momorderit aurem,*
*Aut sceptri riualem vllum det fama propinquum.*
*Omnibus vrbanos suspectum audire susurros.*
*Regibus, & tam rara quies, quàm cara potestas.*
*Nec verò hæc fari quisquam, nisi verus adegit*
*Regis amor vestri, & pietas, quæ credula cœlo.*
*An mihi, quæ poscant pacem, quæ tempora bellum,*
*cire nouum? aut vestram venio incõsultus ad vrbem?*
*Tempe ego tam rerum ignarus? qui Marte perenni*
*Innosam hanc duco media inter claßica vitam,*
*Nec senio parcit Mauors, nec prouidus hostis.*
*anities galeam nunquam exuit, otia noctis*
*ara animo, nec rara quidem sunt: otia lucis.*
*u (nisi mentitur facies primæua iuuentæ)*
*ma ingens quamuis, animisq. inuictus, & armis,*

*Tantùm annis concede meis. annosa potestas*
*Ipsa sua, se pace, suo se crine tuetur.*
*Regna repubescunt vsu, Regumq. senecta.*
*Cetera me doceas: vnum hoc ne sperne moneri.*
*Consilium nec fama regat, nec adulteret ira.*
*Martem exire domo turpe est, nisi ritè vocatum.*
*Tarda lacessiri, nec prompta lacessere virtus*
*Sola regat regalem animum: sese illa secundat*
*Cunctando, & dubijs nunquam malè temperat orsis.*
*Rara suus vocat arma dies; alienaq. poscit*
*Tempora bellandi regnantum improuida virtus.*
*Quòd si qua est homines inter tam sæua Tyrannis,*
*Quæ sibi fas tutum, atq. nefas, se iudice, credat,*
*Cui solus dextram armet honos; quæ gloria Regi?*
*Aut si quis pudor errandi, quàm lubricus error*
*In superos armare manum! quàm cæca libido!*
*An Superûm non ille aliquis, cui munera porto,*
*Quem vestra de gente satum hæc ad mœnia quæro?*
*Illum eadem, quæ visa monent iam sidera natum,*
*Illum Erebo, terris, cælo dare iura loquuntur.*
*Credimus? an Diuis neutram committimus aurem?*
*An vestrum hoc nulli cælo didicere magistro?*
*An dolus in fatis? atqui vos numina solos*
*Erudiunt; sic fama tulit: vos conscia Diuis*

*Ora*

*Ora patrum sperare iubent, & ritè fateri,*
*Hanc generi vestro venturam à numine prolem.*
*En illam venisse fides, & sidera clamant.*
*Qualem animis, quantum imperio, & virtute futurum,*
*Accipimus! neque enim nobis hoc scire negatum,*
*Carmina quod nostræ memorant Persea Sibyllæ,*
*Quod memorat sacro Philoterias ore sacerdos,*
*Cuius Erythreas resonant effata per oras,*
*Illum vnum auxilio lapsis in tartara seclis*
*Venturum: sic fata canunt: dabit impia letho*
*Crimina: mortales patrio transcribet Olympo.*
*Tantùm illum innuptæ parient arcana puellæ*
*Claustra vteri, nec se, licet illum enixa, recludent.*
*Et cunctamur adhuc mentem submittere cœlo?*
*Tale perorabat senior; cum visa tumultu*
*Mussantum fremere ora virûm: dat murmura vulgus*
*Muta loquax: certant studia in contraria versi*
*Et genus Isacidûm, & procerum Tithonia pubes;*
*Obuiaq. hinc, atq. hinc surgunt in prælia voces.*
*Qualem allisa freto media inter saxa fragorem*
*Dant maria, & breuibus fracto per mutua pulsu,*
*Aduersis luctantur aquis: aut quale sonoro*
*Cum sese occursu frangunt per nubila venti;*
*Quà rapit ira ruunt, & sidera turbine miscent.*

*Rex, vbi se muta properè collegit ab ira;*
*Fronte tegit placida mentem, & sic vocibus infit.*
*Magna mones, ò magne senex, non commoda regnis.*
*Consilium à solo Reges mercamur honore.*
*Imperij metas si quis proferre laborat;*
*Vi magna rumpenda via est, & colla secandum*
*Plurima, parcendum nulli, multa arma nouandum,*
*Multa lacessendum, & fallendum multa per artem.*
*Vorticibus cinctæ fluuiorum vndantibus vrbes;*
*In bellis, in pace vigent. hæc mœnia cingam*
*Sanguineo latè pelago. nempe alta cruoris*
*Per maria inuecti Regum dant vela furores.*
*Sidonij nobis fulgent in veste rubores*
*Nequicquam; Sidone sua ni purpurat ensis.*
*At furor hic nostro non dum maturus honori.*
*Non molem irarum tantam nunc tempora poscunt.*
*Nempe hoc Martis opus, nostris auertere terris*
*Quæsitum à vobis Regem. nam si puer ille est,*
*Si Solymos intra fines, si matris in vlnis;*
*Quis labor est, toto regno, per tecta, per vrbes*
*Pignora materno in gremio metere omnia ferro?*
*Implerem hac vltor non magnum in cæde triumphum.*
*Non tamen ingratum, regni si consulat æuo.*
*Si quis in hoc error, leuis est: nam regius error.*

*Ve-*

*Verùm hic Martis honor nostris procul ensibus esto.*
*Non tanti momentum vllum est in pondere laudum*
*Nostrarum, aut solis virtutem expendimus armis.*
*Est iræ locus, est paci. si numen in illo est,*
*Quod vereor, nec vera negant oracula vatum,*
*Si manes, Erebumq; hominesq; & sidera torquet*
*Imperio, si virginea venit editus aluo:*
*Quin sua me certis vocat ad cunabula signis?*
*An mihi non regni moles? non regia virtus*
*Astrorum indicijs, & lumine digna moneri?*
*At mihi nec stella in media conspecta virago,*
*Nec roseo par ore puer, non surgere ternos*
*Æthere Titanas vidi, & quæ plurima narras.*
*At tibi cana fides. quid non te auctore decorum?*
*Quòd si aliquam subeo, subeam te principe fraudem.*
*Non tantis equidem monitis, fatisq. reluctor.*
*Cede, rogas, annis, etiam concedimus armis,*
*At quò me tua dicta vocant! nempe vt mihi regnum*
*Excutiam, & temere infanti tot iura remittam.*
*Vrgeor, ò quantum ad scopulum! nil tale iuberent*
*Vlla oculis obiecta meis miracula Diuûm.*
*Verùm oculis regnum omne tuis cõmittere certum est.*
*Sint hæ primitiæ hospitij, sint pignora nostri:*
*Stent verbo mea regna tuo: & quæ visa fateris*

*Monstra tibi, sint visa mihi: iam sceptra reponam.*
*Ibo, & muneribus non me, pulcherrime, vinces;*
*Et puerum festa supplex venerabor acerra.*
*Tantùm explorandi ritus, & carmina vatum*
*Isacidûm. sunt, qui fatorum arcana resignant,*
*Exploratores legum, Diuûmq. ministri,*
*Suspecti quanquam, & fidei, non fraudis egentes.*
*Verùm illis, dum fata premunt, dare cogimur aurem.*
*Certè nulla meæ fidei momenta requires;*
*Nec mihi tot Regum quisquam indonatus abibit,*
*Atq. huius dextram Isacidæ tetigisse iuuabit.*
*Post locus officijs alius. nunc lumine tantùm*
*Libate hospitium nostrum, & succedite templo.*
*Hæc ait, & Regum dextras contingere dextra*
*Accelerans, puero vix tandem à Gaspare vultum*
*Auertit, prolemq. sibi talem ore precatur*
*Blandiri, & multùm aspectu colludere læto.*
*Hinc dextra longæuum altè sub limina ducit.*
*Vnà alij Reges ibant, & cetera pubes*
*Memnonidûm, & quantum Solymæ per mœnia gentis.*
*Lustratur delubrum ingens, auroq. trabales*
*Barbarico moles, alti supera intima tecti.*
*Picturata patrum series, & secula rerum,*
*Spirantesq. auro vultus, ac nomina vatum*

Pa-

*arietibus latè paßim, & miracula gentis:*
*Arte laborati Martes, atq. aurea bella.*
*rocedunt, curſimq. aciem per ſingula iactant.*
*orſan & hæc totam traherent ſpectacula lucem;*
*Ni dolor admoneat Regem. fert impetus illum*
*ectoris, ardentem curis, nec multa loquentem,*
*anaq. mentito ſimulantem gaudia vultu.*
*rogreßi adſpectant aram, numenq. ſalutant.*
*Hic ſacris inſtructus honos: & lauta parari*
*Hoſtia. ſolemnes adſtat iam flamen ad aras*
*rbe comam rutilus, cinctuq. biuerticis auri,*
*onſpicuus vultu Simeon, iamq. obſitus æuo.*
*Huic Phrygius fulgoris honos in veſte decora,*
*Aureoq. intextos diſcriminat igne pyropos:*
*alla ſuper flammata Tyro, ſed candida ſubtus*
*arbaſus vndanti lambit veſtigia limbo;*
*egmine ſub Tyrio, læuo demiſſus ab armo*
*erga per, & pectus, pariter ſe obliquat vtrinq.*
*alteus. hunc lateri ſignis, auroq. coruſcum*
*emmea candenti committit fibula morſu.*
*ltima purpureis humeris iniecta ſupernè*
*erica, velato parcè illabentia tergo.*
*Ante aram ſacri proceres, templiq. dynaſtæ*
*eſte pares niuea, & fluitantia lina recincti.*

*Sylua alto composita rogo. stat victima vinclo,*
*Spes quondam armenti, vitulus, flammæq. paratæ.*
*Iamq. aris appulsa pecus: iam ritè sacerdos*
*Instabat iugulo, & ferrum librabat acutum.*
*Hic subitum, visuq. nouum, & mirabile monstrum.*
*O quantum in pueri cecidit præcordia numen!*
*Rex puer Eous, Gaspar, quo pulchrior alter*
*Non fuit Auroræ in gremio, dum proximus adstat*
*Spectandi studio, pecudem succedere ferro*
*Vt videt, atq. alta seniorem incumbere dextra:*
*Ipse alacer, toto Regum clamante senatu,*
*Aduolat, oblataq. ictum ceruice cadentem*
*Penè subit; ni dextra senem exanimata moretur.*
*Immoritur ferro senior: stant lumina Reges*
*Attoniti: vastum subitus ruit impetus agmen,*
*Et circum agglomerant magno se murmure turbæ.*
*At puer elusus voto, Ne me irritus (inquit)*
*Huc adigat, qui me cœli nouus impulit ardor;*
*Colla feri, si digna tuo sum victima ferro.*
*Si pecudem hanc illi puero, quem quærimus, offers,*
*Quod reor, & dignum est; meritis ab suffice sacris*
*Votiuam hanc cœlo, &, tantùm si parcere nolis,*
*Fortunatam animam. ne sortem hanc eripe voto.*
*Parcere si pergas animæ, si me altera poscit*
*Dona*

*Dona puer, vitamq. finit; dona altera porro*
*Nulla negem, * nitidum primo cum flore pudorem,*
*Obſequiumq. animi, & iuſsis tractabile pectus,*
*Quicquid opum, & regni nobis, & quicquid amorũ eſt.*
*Audiat hoc cœli ſummus pater, audiat æther,*
*Et, qui me Solymis tandem dux appulit oris,*
*Ætherius flammæ fulgor, qui parta fatetur*
*Tempora virginei partus, & pignora monſtrat.*
*Audiat, & mentem hanc vero fortunet amanti,*
*Illa Poli, quæcumq. ſua eſt cum prole, puella,*
*Quæ tam pulchra nouo nobis affulſit in aſtro.*
*Tuq. ſacer ferro dextram, ſacer ora tiara*
*Sancte ſenex, tantis numen quem præficit aris;*
*Accipe. tu voti manceps, tu legifer eſto,*
*Qui vultu, qui voce vicem mihi numinis imples.*
*Tango aras. Hæc regna Deo quàm digna voueri,*
*Atq. æuo florens cum cælibe virgineum ver,*
*Et Ducis in nutum ſacri iurata voluntas!*
*Tergemina hæc illi referam bis vota quotannis.*

* Tria nuncupat religioſi hominis vota, quæ à noſtris ipſo ſacro Epiphaniæ, quo carmen eſt habitum, die renouari mos eſt.

# De acerbissimis Christi cruciatibus.

## III.



*Vale refers portentum oculis! quæ funera portas*
*Vel cælo metuenda dies! Heu quis furor! heu quæ*
*Tam noua per terras tantùm Libitina superbit,*
*Ausa Dei sobolem cæcis inuadere telis?*
*An magis Alecto? aut quis agit mortalia tantus*
*Corda furor? Bellare Deo, nec parcere cælo!*
*Iam rerum noua monstra, sacras noua iura per aras*
*Aspicimus. Deus ipse suis datur hostia flammis.*
*Ipse rogis accensor adest, sacrisq. minister*
*Instat amor, strictoq. manum mucrone coruscat,*
*Nil veritus numen iusta pro numinis ira*
*Vlcisci, & dubio miserûm pro iure nocentum*
*Sternere cæde Deum, & rerum confundere leges.*
*Scilicet hoc illi Superûm licet ante tribunal*
*Iudicis interitu vitam seruare clientum.*
*O vitam surate Deo, nec fraude magistra,*
*Et cælum, & cunctos legum populate rigores*
*Aliger, igne potens, & numinis arte necandi;*

Si vi-

*Si vires non vlla tuas vitare potestas,*
*Si flammas non vlla tuas extinguere virtus,*
*Aut iaculis obstare valet, si deniq. tantùm*
*Arbitrio parere tuo iura omnia cogis:*
*Nostra libens molire tuas in pectora flammas,*
*Nostra, precor, dignare tuo præcordia telo.*
*Nosce animas vri faciles, ad vulnera molles.*
*Nos etiam, tua cura, tuis en adsumus aris,*
*Hic vbi votiuum nostro pro crimine munus*
*Sistitur, ætherij proles æquæua parentis,*
*Sponte tuis arsura focis. Tu Diue sacerdos*
*Nos face, nos ferro, nos vulnere victor eodem*
*Confice: da sobolem caro comitem ire parenti.*
*Ibimus optato, duce te, data victima letho.*
*Verum, ò, quid tantis cœlum circumsonat armis?*
*Quò stygius tantùm solymas furor occupat arces?*
*Vestrum hoc, cælicolæ, tales auertere terris*
*Eumenidas. Tuq. ò rerum inuiolabile numen*
*Si tua nunc ferro, atq. vltricibus abstinet armis*
*Ira potens rerum; quæ tandem ad crimina seruas*
*Terrificos ignes, & fulmine tela trisulco?*
*En tua progenies, cæcis male credita terris,*
*(Proh scelus) hostiles inter deserta cateruas,*
*Succumbit data præda, suæ data fabula genti.*

*At tu nate Deo furijs obiture tuorum,*
*Quem telis aduersa cohors ad funera poscit*
*Insontem; nullum ne paras in turbine tanto*
*Effugium? nullum ne truci tutamen ab ira?*
*Quò pietas, quò sola trahit te cura tuorum?*
*Stat casus superare omnes, omnemq. ferendo*
*Sæuitiam superare, nec vllum horrere periclum.*
*Sic erat in votis Mundum fulcire labantem,*
*Et cæli abruptum terris adiungere pontem.*
*Ergo vbi diuinos epulis persoluit honores,*
*Inq. dapem sese, & Cerealia munera mensis*
*Apposuit, seseq. modis in pocula miris,*
*Et Cererem, & liquidum specie mentitus Iacchum:*
*Hortatur vario sociam sermone cohortem.*
*Hinc abit: olli abitum cuncti mouere sequacem.*
*Est locus, arboreo facilis quem semita cliuo*
*Monstrat, & antiquæ densum nemus ambit oliuæ.*
*Huc, vbi cum socijs primo sub vesperis ortu*
*Concceßit; trepida preßus formidine mentem,*
*Et multùm instantis turbatus imagine mortis*
*Mutari, & subito vultum pallore nouari,*
*Et trepidare metu, & vario præcordia fluctu*
*Huc, illuc agitari, & mortem horrere futuram:*
*Iamq. magis, sensimq. magis concussa pauore*
*Pecto-*

*Pectora funestis per noctem ægrescere curis.*
*Qualis vbi instantem leuior primùm aura procellam*
*Portendens, vultus Nereo crispare marinos*
*Incipit, & summo exoriens arat æquora sulco.*
*At vires vbi sumpsit hyems, maioraq. voluit*
*Murmura; terrifico Neptunum horrescere nimbo*
*Cogit, & ingentes vndarum attollere montes:*
*Haud aliter lethi portentum immane propinqui*
*Cum subijt; lento primùm terrore lacesßit*
*Haudquaquã remorãtem animum, nec fata timentem.*
*Hinc dolor, & tristes animi crebrescere motus,*
*Et penitus totos frigus lethale per artus:*
*Iam tenues animæ paulatim extinguere vires.*
*Hic animis pauitantem vltro se exuscitat heros.*
*Nixus humi genua, & mentem suspensus Olympo,*
*His aurem aggreditur dictis tentare paternam.*
*Summe pater, tanto quicquam indulgere timori*
*Si licet, & capiti pestem hanc auertere nostro;*
*Vitam oro: sin hoc natum sperare precando*
*Posse vetas, & nostra tibi sunt funera cordi;*
*Sponte ferar, quocumq. vocet tua, Magne, voluntas:*
*Nil precibus, nil oranti concede timori:*
*Nec moror hanc animam cara pro gente pacisci.*
*Auspice te, nullum exitium, nulla arma timendum.*

*Hæc vbi dicta, nouus menti ſuper ingruit horror:*
*Iamq. appreſſa ſolo, prono dat pectora lapſu,*
*Vix reuocans vitalem altis ſingultibus auram:*
*Et ſenſim ſuus ora color, calor oſſa relinquit,*
*Languentemq. animam pulſu tremor vrget anhelo.*
*Tum labor extremus vitæ: miſerabile dictu,*
*Purpureum toto proruptum corpore flumen.*
*An cruor? an ſudor ſubiectam illabitur herbam?*
*Nec mentem labor eripuit; ſed corpore lapſo*
*Stant animi, ſenſusq; & vinci neſcia virtus.*
*Quid memorem toties reuocantem in priſtina pectus,*
*Surgentemq. horrorem animo, rurſumq. cadentem,*
*Et ſtimulis actas proprijs ad prælia vires?*
*Tres aderant citra ſocij, nec tramite longo,*
*Fida, ſed haud tantis imperdita corpora curis.*
*Alta quies oculos multa iam nocte premebat.*
*Sæpe illos rerum oblitos, & lumina feſſos*
*Stare iubet, tantumq. oculis arcere ſoporem.*
*Hi refugos inter ſomnos, cæcumq. pudorem,*
*Sæpe ſui memores nequicquam, & ſæpe recluſis*
*Luminibus fruſtra noctem damnare proteruam.*
*O ſocij, quæ tanta animis obliuia noſtri?*
*Hæccine vos (inquit) cepere hac nocte laborum*
*Tædia? ſed quæ oculi præbent mihi munera veſtri?*
*Ve-*

*Verùm agite, & nocti rursum indulgete soporæ:*
*Ipse adero vigil, & vestræ tutela quietis.*
*Ecce autem medijs ingens exercitus vmbris*
*Mœnibus ex vrbis vicinum ascendere collem*
*Auditur, syluamq. procul fremere inter opacam*
*Grande satellitium. fandi metus ora premebat*
*Nequicquam, & strepitu vadentum proditur agmen.*
*Iam propius nocturni ignes, & lumina furtim*
*Cæca micant: rutilis legio sublucet in armis.*
*Ante alios auctor sceleris, scelerisq. minister,*
*Infelix caput, & turpi mercede redemptum,*
*Dux erat, & facilem cursum ad loca nota regebat*
*Nocturnus Ducis ante sui venator Iudas.*
*Ipse, vbi iam ventum ad collem, subsistere turbam*
*Admonet, & solam nemorum subrepit in vmbram;*
*Nequa explorandi frustretur inertia partam*
*Accepta mercede fidem, fraudemq. retexat.*
*Ergo auidum ingrediens oleæ per opaca virentis*
*Mollit iter: nihil ignotum, nil linquit inemptum.*
*Sublustrem obseruans nocturni luminis auram,*
*Infida se nocte tegit post robora passim*
*Arborea, & tacito numerat vestigia gressu.*
*Quis dolus ò Superi! pauidè, furtimq. latentes*
*Subuolat in tenebras, nunc hoc, nunc dexter ab illo*

Stipite subsiliens, obtutuq. omnia lustrat:
Omnibus admotum truncis latus adsuit: omnes
Explorat latebras. aciem sitis explicat auri.
Iamq. viri dubiam per noctem occurrit imago
Haud procul adstantis. iuxta tria visa cubantum
Corpora subiecta tantum caput edita saxo.
Hunc, illum aduertit. quæsitum heroa, iacentes
Lumine seruantem socios, noctemq. malignam,
Vt videt; ut prædæ aspirat! Iam caßibus (inquit)
Irretite meis, pretium mihi dulce rependes
Effusi quondam nulla pro merce liquoris.
Hæc secum. Redit ad socios, & visa reportat.
Nulla hodie nostris, inquit, spes irrita cœptis:
Tu modò promissis maneas, iurataq. serues
Præmia, Dux, nostræ fidei, & reliqua omnia soluas.
In manibus furtum est. Culmen viden illud oliuæ
Altius, & latè porrectum horrentibus vmbris?
Hic socios iuxta paucos, & molle iacentes
Stat vigil, & caram seruat custodia pubem.
Ite: breuis certam ad metam via ducit euntes.
Non ego me agnosci cupio, coramq. videri.
Nam modò post epulas furtim digressus ab illo,
Ora mihi videor tali fœdare regressu.
Ductor ad hæc. Noctem hanc aliquis frustrabitur error.
Igno-

*Ignotum, & socios inter, sub nocte profunda,*
*Quæ tandem mihi signa virum, quæ prodet imago?*
*I prior, & meritis imple mea vota supremis.*
*Ipse manus prædæ prior injce: nostra sequentur*
*Agmina: neue tuæ indubita, me auctore, saluti.*
*Hoc iurata fides, promissum hoc postulat aurum.*
*Ille autē. Haudquaquā hāc operā tibi vēdere nostrū est.*
*Seruitium mea dextra fori nunquam attigit. hoc te*
*Obsequio tandem dignor. me cuncta sequatur*
*Turba ducem: &, ne quem facies male cognita fallat,*
*Illum, cui primo occursu figam oscula, prendat.*
*Nec sat erit dextra, & vinclis, nisi fortibus uti.*
*Hic opus ingenio raptantum, & robore dextro.*
*Assensere omnes, plausumq. dedere cateruæ.*
*Ergo implent pretium. Tum se læto agmine circum*
*Effundunt; notosq. aditus, & aperta locorum,*
*Insidijs passim positis, & milite vallant.*
*Vnum omnss sperare, vnum spectare cacumen*
*Arboris, & certo cursum prædiscere signo.*
*At Deus occulta sensit se fraude teneri*
*Nequicquam; ni sponte sua se dedere fato,*
*Consilijq. optet fortunam implere reposti.*
*Tum rerum immemores, dulci iam nocte sepultos*
*Excussit somno socios. Hæc meta quieti:*

*State animis, oculisque. Adsunt. En prodimur, armis*
*Cingimur. Amentes illi recidiua sopore*
*Lumina, cumq. metu primo luctantia soluunt.*
*Attoniti circumspiciunt. nemus vndiq. circum*
*Lumine furtiuo, & rutilis intermicat armis.*
*Fit fragor; armorumq. virumq. superuenit horror.*
*Flamma minax latè vultus discriminat omnes.*
*Ipse animis coram, aspectuq. interritus heros*
*Dat sese, atque nouo spectabilis imperio stat.*
*Quò ferrum, flammæq.! adsum, si quæror: & vltro*
*Deuotum insidijs caput adsto, & sontibus armis.*
*Vocibus his collapsi omnes, & prona dedere*
*Ora solo: horrendum ingeminant super arma sonorem.*
*Assurgunt; lapsuq. animis dementia creuit.*
*Ante Ducem sese sceleris mercator agebat,*
*Assiliensq. Deo vultum apprimit, oraq. libat.*
*Cui Deus. At video quò me venalia poscant*
*Oscula, fide comes. mene hæc per symbola prodi?*
*Indicium Diræ subeunt. caput omnis in vnum*
*Armorum globus, & furiarum incumbere turbo.*
*Inijciunt vinclorum immensa volumina collo,*
*Et passim sua lapsantem in vestigia raptant.*
*Ah poterant oculi, qui tantum audere tuendo,*
*Lapsusq. tractusq. viri, pulsusq. sequentum!*

Egre-

*Egregiam verò laudem, & furta ampla reportas*
*Turba tuis operata dolis haud numine dextro.*
*Ergo hilares magnis intrant clamoribus vrbem.*
*Dirum ad supplicium magni consulta senatus*
*Implorant, pœnasq. rogant, & funera capto.*
*Scinditur in varias patrum sententia curas:*
*Nec certum quo teste virum, quo crimine damnent.*
*Olli iudicium summis clamoribus vrgent.*
*Nam quid nocturnos memorem per iniqua recursus,*
*Iura, magistratusq. indigna voce rogatos?*
*Rumulides legum custos, cui nota precantum*
*Inuidia, & fraudum illecebræ, cæciq. furores;*
*Vocibus, & diro victus terrore frementum*
*(Demens, qui iuris nil conscia pectora curat)*
*Quò furor? (exclamat) meritis nil poscitis æquum.*
*Si quicquam est pœna dignum; sat flagra. quid vltra*
*Clamandum! flagris inimicum explete furorem.*
*Hoc dedit effugium quæsitæ mortis: at illi*
*Pignus habent, votisq. inhiant grauiora proteruis.*
*Interea, furijs nequid mora linquat inausum,*
*Neu cœptam eludat properandi incuria fraudem;*
*Nudatum ingenti iuuenem admouere cylindro,*
*Vinclorum immensa circum compage reuinctum.*
*Huc rapto certatim omnes incumbere loro.*

Horribiles dextra pulsus torquentur; & omnem
Verberibus veniam furor addit: inulta furori
Barbaries: dextræ labor indubitare labori.
Labitur effusum latè per candida membra
Purpureum flumen: nec iam discriminat vllus
Aut artus, aut ora color; sed corpore totò
Horrendum aspectu vulnus, liuorq; cruorque.
Quis gemitum illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut certet lacrymis æquare dolorem?
Postera iam cœlo matura luce calebat
Alta dies, neq. adhuc irarum monstra facessunt.
Cui foret in pœnis mors vnum optanda leuamen;
Supplicium, voti summam, vitæq. precantur.
Quid loquar insanos cunctantem ad iudicis aurem
Terrorum strepitus? quid legum, & Cæsaris iram
Imploratam odijs, & læsi iura Quirini?
Nec mora, nec requies; donec decreta Deo mors.
Postquam odijs labefacta fori, legumq. potestas,
amq. dolus causam obtinuit, iurisq. magistro
Tempestas irarum omnes excußit habenas:
Iam furor assultu, & longo certamine victor
Furtiuam arripuit veniam, quem cæca morandi
Formido, partoq. timens vesania furto
Præcipitat, stimulisq. viros furialibus vrget.
Pro-

*Protinus ære cauo insonuit vulgata per vrbem*
*Mors victo properanda Deo. stat flebile robur*
*Ardua sustollens transuerso cornua trunco,*
*Infandæ mensura necis, mæstumq. trophæum.*
*Hanc fesso molem imponunt, pressuq. grauatum*
*Ingenti, sine more trahunt, raptuq. fatigant*
*Collabantem humeris, & vix genua ægra trahentem.*
*Quis tibi, quis, Virgo, cernenti talia sensus?*
*Quale oculis vulnus, fixi per saucia dumi*
*Tempora tam cari capitis, geminataq. collo*
*Vincula, vel tergo moles imposta labanti!*
*Illa inter medios equitum, peditumq. tumultus*
*It comes, ad gressus vix vnquam admissa propinquos:*
*Et gemitum nati, & longum bibit aure dolorem.*
*Ah quoties gressu trepidum, raptuq. trahentum*
*Succumbentem oneri, spirantemq. vltima vidit*
*Nequicquam auxilio densos subitura per hostes!*
*Nec mora: peruentum ad collem, & lugubre theatrum.*
*Hic sontes de more animas extrema piabant*
*Supplicia, effuso funus spectabile vulgo.*
*Huc vbi carnificum media inter millia ductus,*
*Et geminos inter socios, par vile nocentum,*
*Vix animam cursu reuocabat fessus anhelo:*
*Cum furor ingeminat, supremaq. tela ministrat.*

*Sylua alto composta rogo. stat victima vinclo,*
*Spes quondam armenti, vitulus, flammæq. paratæ;*
*Iamq. aris appulsa pecus: iam ritè sacerdos*
*Instabat iugulo, & ferrum librabat acutum.*
*Hic subitum, visuq. nouum, & mirabile monstrum.*
*O quantum in pueri cecidit præcordia numen!*
*Rex puer Eous, Gaspar, quo pulchrior alter*
*Non fuit Auroræ in gremio, dum proximus adstat*
*Spectandi studio, pecudem succedere ferro*
*Vt videt, atq. alta seniorem incumbere dextra:*
*Ipse alacer, toto Regum clamante senatu,*
*Aduolat, oblataq. ictum ceruice cadentem*
*Penè subit; ni dextra senem exanimata moretur.*
*Immoritur ferro senior: stant lumina Reges*
*Attoniti: vastum subitus ruit impetus agmen,*
*Et circum agglomerant magno se murmure turbæ.*
*At puer elusus voto, Ne me irritus (inquit)*
*Huc adigat, qui me cœli nouus impulit ardor;*
*Colla feri, si digna tuo sum victima ferro.*
*Si pecudem hanc illi puero, quem quærimus, offers,*
*Quod reor, & dignum est; meritis ab suffice sacris*
*Votiuam hanc cœlo, &, tantùm si parcere nolis,*
*Fortunatam animam. ne sortem hanc eripe voto.*
*Parcere si pergas animæ, si me altera poscit*

*Dona*

*Dona puer, vitamq. finit; dona altera porro*
*Nulla negem, * nitidum primo cum flore pudorem,*
*Obsequiumq. animi, & iußis tractabile pectus,*
*Quicquid opum, & regni nobis, & quicquid amorũ est.*
*Audiat hoc cœli summus pater, audiat æther,*
*Et, qui me Solymis tandem dux appulit oris,*
*Ætherius flammæ fulgor, qui parta fatetur*
*Tempora virginei partus, & pignora monstrat.*
*Audiat, & mentem hanc vero fortunet amanti,*
*Illa Poli, quæcumq. sua est cum prole, puella,*
*Quæ tam pulchra nouo nobis affulsit in astro.*
*Tuq. sacer ferro dextram, sacer ora tiara*
*Sancte senex, tantis numen quem præficit aris;*
*Accipe. tu voti manceps, tu legifer esto,*
*Qui vultu, qui voce vicem mihi numinis imples.*
*Tango aras. Hæc regna Deo quàm digna voueri,*
*Atq. æuo florens cum cælibe virgineum ver,*
*Et Ducis in nutum sacri iurata voluntas!*
*Tergemina hæc illi referam bis vota quotannis.*

Tria nuncupat religiosi hominis vota, quæ à nostris ipso sacro Epiphaniæ, quo carmen est habitum, die renouari mos est.

# De acerbiſſimis Chriſti cruciatibus.

## III.



*Vale refers portentum oculis! quæ funera portas*
*Vel cælo metuenda dies! Heu quis furor! heu quæ*
*Tam noua per terras tantùm Libitina ſuperbit,*
*Auſa Dei ſobolem cæcis inuadere telis?*
*An magis Alecto? aut quis agit mortalia tantus*
*Corda furor? Bellare Deo, nec parcere cælo!*
*Iam rerum noua monſtra, ſacras noua iura per aras*
*Aſpicimus. Deus ipſe ſuis datur hoſtia flammis.*
*Ipſe rogis accenſor adeſt, ſacrisq. miniſter*
*Inſtat amor, ſtrictoq. manum mucrone coruſcat,*
*Nil veritus numen iuſta pro numinis ira*
*Vlciſci, & dubio miſerûm pro iure nocentum*
*Sternere cæde Deum, & rerum confundere leges.*
*Scilicet hoc illi Superûm licet ante tribunal*
*Iudicis interitu vitam ſeruare clientum.*
*O vitam furate Deo, nec fraude magiſtra,*
*Et cælum, & cunctos legum populate rigores*
*Aliger, igne potens, & numinis arte necandi;*

Si vi-

*Si vires non vlla tuas vitare potestas,*
*Si flammas non vlla tuas extinguere virtus,*
*Aut iaculis obstare valet, si deniq. tantùm*
*Arbitrio parere tuo iura omnia cogis:*
*Nostra libens molire tuas in pectora flammas,*
*Nostra, precor, dignare tuo præcordia telo.*
*Nosce animas vri faciles, ad vulnera molles.*
*Nos etiam, tua cura, tuis en adsumus aris,*
*Hîc vbi votiuum nostro pro crimine munus*
*Sistitur, ætherij proles æqueua parentis,*
*Sponte tuis arsura focis. Tu Diue sacerdos*
*Nos face, nos ferro, nos vulnere victor eodem*
*Confice: da sobolem caro comitem ire parenti.*
*Ibimus optato, duce te, data victima letho.*
*Verum, ò, quid tantis cælum circumsonat armis?*
*Quò stygius tantùm solymas furor occupat arces?*
*Vestrum hoc, cælicolæ, tales auertere terris*
*Eumenidas. Tuq. ò rerum inuiolabile numen*
*Si tua nunc ferro, atq. vltricibus abstinet armis*
*Ira potens rerum; quæ tandem ad crimina seruas*
*Terrificos ignes, & fulmine tela trisulco?*
*En tua progenies, cæcis male credita terris,*
*(Proh scelus) hostiles inter deserta cateruas,*
*Succumbit data præda, suæ data fabula genti.*

*At tu nate Deo furijs obiture tuorum,*
*Quem telis aduersa cohors ad funera poscit*
*Insontem; nullum ne paras in turbine tanto*
*Effugium? nullum ne truci tutamen ab ira?*
*Quò pietas, quò sola trahit te cura tuorum?*
*Stat casus superare omnes, omnemq. ferendo*
*Sæuitiam superare, nec vllum horrere periclum.*
*Sic erat in votis Mundum fulcire labantem,*
*Et cæli abruptum terris adiungere pontem.*
*Ergo vbi diuinos epulis persoluit honores,*
*Inq. dapem sese, & Cerealia munera mensis*
*Apposuit, seseq. modis in pocula miris,*
*Et Cererem, & liquidum specie mentitus Iacchum:*
*Hortatur vario sociam sermone cohortem.*
*Hinc abit: olli abitum cuncti mouere sequacem.*
*Est locus, arboreo facilis quem semita cliuo*
*Monstrat, & antiquæ densum nemus ambit oliuæ.*
*Huc, vbi cum socijs primo sub vesperis ortu*
*Concceßit; trepida preßus formidine mentem,*
*Et multùm instantis turbatus imagine mortis*
*Mutari, & subito vultum pallore nouari,*
*Et trepidare metu, & vario præcordia fluctu*
*Huc, illuc agitari, & mortem horrere futuram:*
*Iamq. magis, sensimq. magis concussa pauore*
*Pecto-*

Pectora funestis per noctem ægrescere curis.
Qualis vbi instantem leuior primùm aura procellam
Portendens, vultus Nereo crispare marinos
Incipit, & summo exoriens arat æquora sulco.
At vires vbi sumpsit hyems, maioraq. voluit
Murmura; terrifico Neptunum horrescere nimbo
Cogit, & ingentes vndarum attollere montes:
Haud aliter lethi portentum immane propinqui
Cum subijt; lento primùm terrore lacessit
Haudquaquã remorãtem animum, nec fata timentem.
Hinc dolor, & tristes animi crebrescere motus,
Et penitus totos frigus lethale per artus:
Iam tenues animæ paulatim extinguere vires.
Hic animis pauitantem vltro se exuscitat heros.
Nixus humi genua, & mentem suspensus Olympo,
His aurem aggreditur dictis tentare paternam.
Summe pater, tanto quicquam indulgere timori
Si licet, & capiti pestem hanc auertere nostro;
Vitam oro: sin hoc natum sperare precando
Posse vetas, & nostra tibi sunt funera cordi;
Sponte ferar, quocumq. vocet tua, Magne, voluntas;
Nil precibus, nil oranti concede timori:
Nec moror hanc animam cara pro gente pacisci.
Auspice te, nullum exitium, nulla arma timendum.

*Hæc vbi dicta, nouus menti super ingruit horror.*
*Iamq. appressa solo, prono dat pectora lapsu,*
*Vix reuocans vitalem altis singultibus auram:*
*Et sensim suus ora color, calor ossa relinquit,*
*Languentemq. animam pulsu tremor vrget anhelo.*
*Tum labor extremus vitæ: miserabile dictu,*
*Purpureum toto proruptum corpore flumen.*
*An cruor? an sudor subiectam illabitur herbam?*
*Nec mentem labor eripuit; sed corpore lapso*
*Stant animi, sensusq; & vinci nescia virtus.*
*Quid memorem toties reuocantem in pristina pectus,*
*Surgentemq. horrorem animo, rursumq. cadentem,*
*Et stimulis actas proprijs ad prælia vires?*
*Tres aderant citra socij, nec tramite longo,*
*Fida, sed haud tantis imperdita corpora curis.*
*Alta quies oculos multa iam nocte premebat.*
*Sæpe illos rerum oblitos, & lumina fessos*
*Stare iubet, tantumq. oculis arcere soporem.*
*Hi refugos inter somnos, cæcumq. pudorem,*
*Sæpe sui memores nequicquam, & sæpe reclusis*
*Luminibus frustra noctem damnare proteruam.*
*O socij, quæ tanta animis obliuia nostri?*
*Hæccine vos (inquit) cepere hac nocte laborum*
*Tædia? sed quæ oculi præbent mihi munera vestri?*

*Ve-*

*Verùm agite, & nocti rursum indulgete soporæ:*
*Ipse adero vigil, & vestræ tutela quictis.*
*Ecce autem medijs ingens exercitus vmbris*
*Mœnibus ex vrbis vicinum ascendere collem*
*Auditur, syluamq. procul fremere inter opacam*
*Grande satellitium. fandi metus ora premebat*
*Nequicquam, & strepitu vadentum proditur agmen.*
*Iam propius nocturni ignes, & lumina furtim*
*Cæca micant: rutilis legio sublucet in armis.*
*Ante alios auctor sceleris, scelerisq. minister,*
*Infelix caput, & turpi mercede redemptum,*
*Dux erat, & facilem cursum ad loca nota regebat*
*Nocturnus Ducis ante sui venator Iudas.*
*Ipse, vbi iam ventum ad collem, subsistere turbam*
*Admonet, & solam nemorum subrepit in vmbram;*
*Nequa explorandi frustretur inertia partam*
*Accepta mercede fidem, fraudemq. retexat.*
*Ergo auidum ingrediens oleæ per opaca virentis*
*Mollit iter: nihil ignotum, nil linquit inemptum.*
*Sublustrem obseruans nocturni luminis auram,*
*Infida se nocte tegit post robora passim*
*Arborea, & tacito numerat vestigia gressu.*
*Quis dolus ò Superi! pauidè, furtimq. latentes*
*Subuolat in tenebras, nunc hoc, nunc dexter ab illo*

*Stipite subsiliens, obtutuq. omnia lustrat:*
*Omnibus admotum truncis latus adsuit: omnes*
*Explorat latebras. aciem sitis explicat auri.*
*Iamq. viri dubiam per noctem occurrit imago*
*Haud procul adstantis. iuxta tria visa cubantum*
*Corpora subiecta tantum caput edita saxo.*
*Hunc, illum aduertit. quæsitum heroa, iacentes*
*Lumine seruantem socios, noctemq. malignam,*
*Vt videt; vt prædæ aspirat! Iam caßibus (inquit)*
*Irretite meis, pretium mihi dulce rependes*
*Effusi quondam nulla pro merce liquoris.*
*Hæc secum. Redit ad socios, & visa reportat.*
*Nulla hodie nostris, inquit, spes irrita cœptis:*
*Tu modò promissis maneas, iurataq. serues*
*Præmia, Dux, nostræ fidei, & reliqua omnia soluas.*
*In manibus furtum est. Culmen viden illud oliuæ*
*Altius, & latè porrectum horrentibus vmbris?*
*Hic socios iuxta paucos, & molle iacentes*
*Stat vigil, & caram seruat custodia pubem.*
*Ite: breuis certam ad metam via ducit euntes.*
*Non ego me agnosci cupio, coramq. videri.*
*Nam modò post epulas furtim digressus ab illo,*
*Ora mihi videor tali fœdare regressu.*
*Ductor ad hæc.* Noctem *hanc aliquis frustrabitur error.*
*Igno-*

*Ignotum, & socios inter, sub nocte profunda,*
*Quæ tandem mihi signa virum, quæ prodet imago?*
*I prior, & meritis imple mea vota supremis.*
*Ipse manus prædæ prior inijce: nostra sequentur*
*Agmina: neue tuæ indubita, me auctore, saluti.*
*Hoc iurata fides, promissum hoc postulat aurum.*
*Ille autẽ. Haudquaquã hãc operã tibi vẽdere nostrũ est.*
*Seruitium mea dextra fori nunquam attigit. hoc te*
*Obsequio tandem dignor. me cuncta sequatur*
*Turba ducem: &, ne quem facies male cognita fallat,*
*Illum, cui primo occursu figam oscula, prendat.*
*Nec sat erit dextra, & vinclis, nisi fortibus vti.*
*Hic opus ingenio raptantum, & robore dextro.*
*Assensere omnes, plausumq. dedere cateruæ.*
*Ergo implent pretium. Tum se læto agmine circum*
*Effundunt; notosq. aditus, & aperta locorum,*
*Insidijs passim positis, & milite vallant.*
*Vnum omnes sperare, vnum spectare cacumen*
*Arboris, & certo cursum prædiscere signo.*
*At Deus occulta sensit se fraude teneri*
*Nequicquam; ni sponte sua se dedere fato,*
*Consilijq. optet fortunam implere reposti.*
*Tum rerum immemores, dulci iam nocte sepultos*
*Excussit somno socios. Hæc meta quieti:*

*State animis, oculisque. Adsunt. En prodimur, armis*
*Cingimur. Amentes illi recidiua sopore*
*Lumina, cumq. metu primo luctantia soluunt.*
*Attoniti circumspiciunt. nemus vndiq. circum*
*Lumine furtiuo, & rutilis intermicat armis.*
*Fit fragor; armorumq. virumq. superuenit horror.*
*Flamma minax latè vultus discriminat omnes.*
*Ipse animis coram, aspectuq. interritus heros*
*Dat sese, atque nouo spectabilis imperio stat.*
*Quò ferrum, flammæq.! adsum, si quæror: & vltro*
*Deuotum insidijs caput adsto, & sontibus armis.*
*Vocibus his collapsi omnes, & prona dedere*
*Ora solo: horrendum ingeminant super arma sonorem.*
*Assurgunt; lapsuq. animis dementia creuit.*
*Ante Ducem sese sceleris mercator agebat,*
*Aßiliensq. Deo vultum apprimit, oraq. libat.*
*Cui Deus. At video quò me venalia poscant*
*Oscula, fide comes. mene hæc per symbola prodi?*
*Indicium Diræ subeunt. caput omnis in vnum*
*Armorum globus, & furiarum incumbere turbo.*
*Inijciunt vinclorum immensa volumina collo,*
*Et paßim sua lapsantem in vestigia raptant.*
*Ah poterant oculi, qui tantum audere tuendo,*
*Lapsusq. tractusq. viri, pulsusq. sequentum!*

Egre-

*Egregiam verò laudem, & furta ampla reportas*
*Turba tuis operata dolis haud numine dextro.*
*Ergo hilares magnis intrant clamoribus vrbem.*
*Dirum ad supplicium magni consulta senatus*
*Implorant, pœnasq. rogant, & funera capto.*
*Scinditur in varias patrum sententia curas:*
*Nec certum quo teste virum, quo crimine damnent.*
*Olli iudicium summis clamoribus vrgent.*
*Nam quid nocturnos memorem per iniqua recursus,*
*Iura, magistratusq. indigna voce rogatos?*
*Rumulides legum custos, cui nota precantum*
*Inuidia, & fraudum illecebræ, cæciq. furores;*
*Vocibus, & diro victus terrore frementum*
*(Demens, qui iuris nil conscia pectora curat)*
*Quò furor? (exclamat) meritis nil poscitis æquum.*
*Si quicquam est pœna dignum; sat flagra. quid vltra*
*Clamandum! flagris inimicum explete furorem.*
*Hoc dedit effugium quæsitæ mortis: at illi*
*Pignus habent, votisq. inhiant grauiòra proteruis.*
*Interea, furijs nequid mora linquat inausum,*
*Neu cœptam eludat properandi incuria fraudem;*
*Nudatum ingenti iuuenem admouere cylindro,*
*Vinclorum immensa circum compage reuinctum.*
*Huc rapto certatim omnes incumbere loro.*

*Horribiles dextra pulsus torquentur; & omnem*
*Verberibus veniam furor addit: inulta furori*
*Barbaries: dextræ labor indubitare labori.*
*Labitur effusum latè per candida membra*
*Purpureum flumen: nec iam discriminat vllus*
*Aut artus, aut ora color; sed corpore toto*
*Horrendum aspectu vulnus, liuorq; cruorque.*
*Quis gemitum illius noctis, quis funera fando*
*Explicet? aut certet lacrymis æquare dolorem?*
*Postera iam cœlo matura luce calebat*
*Alta dies, neq. adhuc irarum monstra facessunt.*
*Cui foret in pœnis mors vnum optanda leuamen;*
*Supplicium, voti summam, vitæq. precantur.*
*Quid loquar insanos cunctantem ad iudicis aurem*
*Terrorum strepitus? quid legum, & Cæsaris iram*
*Imploratam odijs, & læsi iura Quirini?*
*Nec mora, nec requies; donec decreta Deo mors.*
*Postquam odijs labefacta fori, legumq. potestas,*
*amq. dolus causam obtinuit, iurisq. magistro*
*Tempestas irarum omnes excußit habenas:*
*Iam furor assultu, & longo certamine victor*
*Furtiuam arripuit veniam, quem cæca morandi*
*Formido, partoq. timens vesania furto*
*Præcipitat, stimulisq. viros furialibus vrget.*

Pro-

*Protinus ære cauo insonuit vulgata per vrbem*
*Mors victo properanda Deo. stat flebile robur*
*Ardua sustollens transuerso cornua trunco,*
*Infandæ mensura necis, mæstumq. trophæum.*
*Hanc fesso molem imponunt, pressuq. grauatum*
*Ingenti, sine more trahunt, raptuq. fatigant*
*Collabantem humeris, & vix genua ægra trahentem.*
*Quis tibi, quis, Virgo, cernenti talia sensus?*
*Quale oculis vulnus, fixi per saucia dumi*
*Tempora tam cari capitis, geminataq. collo*
*Vincula, vel tergo moles imposta labanti!*
*Illa inter medios equitum, peditumq. tumultus*
*It comes, ad gressus vix vnquam admissa propinquos:*
*Et gemitum nati, & longum bibit aure dolorem.*
*Ah quoties gressu trepidum, raptuq. trahentum*
*Succumbentem oneri, spirantemq. vltima vidit*
*Nequicquam auxilio densos subitura per hostes!*
*Nec mora: peruentum ad collem, & lugubre theatrum.*
*Hic sontes de more animas extrema piabant*
*Supplicia, effuso funus spectabile vulgo.*
*Huc vbi carnificum media inter millia ductus,*
*Et geminos inter socios, par vile nocentum,*
*Vix animam cursu reuocabat fessus anhelo:*
*Cum furor ingeminat, supremaq. tela ministrat,*

*Membra super multo concretam sanguine vestem*
*Diripiunt. corpusne precor, vulnusne videres?*
*Quicquid erat, nudum, & natiuo murice fulgens.*
*Et quamquam pudor accessit, noua plaga dolori:*
*Non tamen ille habuit, quo vultum obduceret ostro.*
*Hiccine, Cælicolæ, cæli regnator! hic ille est*
*Vester honos, & vester amor! tantum ne veretur*
*Ne sua, ni proprios inter suffecta rubores*
*Purpura, neue alio niteat diadema pyropo!*
*At quis erit modus ærumnis! qua meta labori!*
*Instat adhuc dirus furiata mente satelles.*
*Ille, velut medios inter tremit agna leones,*
*Sauciaq. extremi fatum iam vulneris optat;*
*Supremùm appetitur. Solymûm furit illa canum vis.*
*Arboream supra molem, lectumq. trabalem*
*Sternaci ruit impulsu, lapsuq. supino.*
*Non Deus hoc genitor potuisset ferre; sed ipse*
*Occurrit precibus natus, numemq. repreßit.*
*Parce meo generi, cui mentem huc deuius error*
*Imprudentem adigit, rerumq. ignara voluntas.*
*Hæc illum orantem nihilo clementius vrgent*
*Talibus edocti meritis sæuire ministri.*
*Nec modus irarum; donec palmasq; pedesq.*
*Suffixi, & duro distentum in stipite corpus*


*Spe-*

*Spectandum innumeras inter statuere cohortes.*
*Tum verò insultare nouis furor impius armis,*
*Suppliciumq. vrgere iocis, lusuq. procaci.*
*Vltima crudeles onerant conuicia pœnas;*
*Verbaq. ludicros inter vesana cachinnos,*
*Et ficto composita sonant ludibria plausu.*
*Hi caput assultu quassant: hi supplice ritu*
*Cœleste imperium, & delusum numen adorant.*
*Ille gemens cunctis veniam, pacemq. precari.*
*Et iam supremam tenuis citat halitus auram,*
*Languidaq. exhaustis frigent præcordia venis.*
*Sat moles impleta operum; cœliq. redempta*
*Sat pretij pro pace datum. iamq. vltima matri*
*Dicta salus; natiq. instar concredita pubes*
*Altera, suffectum pro pignore pignus adempto.*
*Nec furiæ cessere animis. Immane supremæ*
*Supplicium restat sitis, & venia vltima pœnis.*
*Expediunt laticem, & sitientibus impia labris*
*Munera dant, acri medicatos felle liquores.*
*Ille venenatos, mordentia pocula, succos*
*Attigit, & linguam tactu violatus acerbo;*
*Ventum ad supremum est (inquit) fæx ima laborum*
*Hæc erat; & vitam hanc tenui sitis eximet haustu.*
*Dixit, & ingentes in verba nouissima voces*

*Exprimit, inq. sinus animam iubet ire paternos.*
*Ast oculos iam morte graues rigat vltimus imber,*
*Atq. breuem subeunt morientia lumina noctem.*

# Christi Domini parentalia.

## IV.



*AT furiis, mortiq. datum, & crudelibus armis:*
*Nunc lacrymis soluenda Deo sunt iusta perempto.*
*Cum Superis fletu certandum, & mæsta liquandum*
*Lumina: quærendum meritas ad funera pompas.*
*Vnde pluat tantum lacrymarum? hæc vnde petantur*
*Flumina? quæ tantos euoluant pectora fluctus?*
*Tu potis hos, tu sola oculis emittere fontes*
*Diua parens. Flentes eadem te ad fata sequemur*
*Interea nos turba tuum comitata dolorem.*
*Turba licet gemitum maternum æquare gemendo*
*Nescia, vel tecum dignos componere luctus;*
*At questus tamen apta tuos haurire propinquis*
*Auribus, & gemitum gemitu resonare sequaci.*
*Iam natum extinctum lethali exoluere trunco,*

Et

*Et ferrum eruere, & sacrum tergere cruorem,*
*Et dare certatim fringentibus oscula membris*
*Est amor: & tumulo (si fas) condemur eodem.*
*Triste quidem obsequium, veri sed pignus amoris.*
*Tu modò partiri nobis ne parce dolorem*
*Diua tuum, & sociam lacrymis ne sperne cohortem.*
*Casibus in magnis nullum si dira leuamen*
*Tempora permittunt, & iniquæ iniuria sortis:*
*Ipsa graues minuit flendi concordia fletus,*
*Sed iam nostra tui feriunt præcordia luctus.*
*Ipsæ etiam resonis mœstæ plangoribus auræ*
*Sat repetunt quid voce sones; quo vulnere pectus*
*Icta gemas; quo tristem animam languore fatiges!*
*Vos, quibus æterni Regis miserabile funus*
*Expiat antiquo concretam crimine labem,*
*Et quondam obstructi limen præpandit Olympi;*
*Huc agite, huc omnes oculorum euergite riuos*
*Mortales, genus æternum, cœloq. redemptum:*
*Huc vestrum decreta gelu præcordia soluant.*
*Ipsa docent gemitum discessu abrupta profundo*
*Culmina, sublimi nuper contermina cœlo.*
*Parcite duritiæ: dolor vndiq; & vndiq. luctus*
*Incumbunt, cœlumq. cauo mersere barathro.*
*Euocat ipse vmbras fatali nocte sepultas,*

*Et putres animat cineres, & corpora fletus.*
*Ergo vbi sat furijs indultum, ac turpibus ausis;*
*Stabat adhuc dira (miserum) distentus in alno*
*Filius, adstantis pendens ante ora parentis,*
*Triste onus, & duræ facies asperrima mortis.*
*Qualis Hyperboreis arbor caput icta flagellis,*
*Quæ primo cum vere nitens, atq. vbere felix*
*Pomifero, cœpit teneros educere fœtus,*
*Solliciti spes agricolæ. ruit inuida cælo*
*Ira Noti, aut hyemis violentior ingruit horror.*
*Mox virides decussa comas, vernumq. decorem,*
*Relliquias seruat ramorum, & inutile germen;*
*Floricomam donec pubem nouus educat annus.*
*Talem oculis offert speciem lacrymabile corpus*
*Suffixum horribili, pondus ferale, trophæo,*
*Appositum diro ludicrum ignobile vulgo.*
*Quadrifido latè fixu metitur iniquam*
*Infelix iunctura trabem. stat pectus hiulco*
*Vulnere traiectum; & roseos, dona vltima, rores*
*Demittens altè, terram irrigat instillando.*
*At caput horrificis textum intractabile dumis*
*Asperat, & crebro depascit vulnere frontem,*
*Saucia sanguineam fundens per tempora labem.*
*Vna vero iam forma cruor; totosq. per artus*

Nil

*Nil vsquam nisi liuor, & illætabile vulnus.*
*Et quamquã aspectu pendet miser; haud tamen omnem*
*Squalida mors formam eripuit, numenq. verendum*
*Fulget adhuc, licet ingrata sub imagine mortis,*
*Nescio quæ præter fatum mortale venustas,*
*Tectaq. sublucent diuini signa decoris.*
*Qualis vbi incurrens tempestatem obuius atram*
*Dat rutilum nimbosa caput sub nubila Phœbus;*
*Nec tamen ætherij cursum seruare laboris*
*Immemor, obscura furtim sublustris ab vmbra*
*Obducto regit ore diem, & sua tegmina fallit.*
*Haud aliter diuina licet mors occupet ora,*
*Et cruor aspersos nusquam discriminet artus:*
*At decor occultum spirans, & amabile numen*
*Oris, & augustæ facies obducta iuuentæ,*
*Per medium lethi squalorem, & vulnera furtim*
*Irradiat, seseq. procul spectantibus offert.*
*O quibus hæc oculis haurit spectacula mater!*
*Et socias inter tristi clamore frementes*
*Sola silet: sæuit tacito sub pectore vulnus*
*Fortius: interdum singultu verba lacessit.*
*Ah quoties elata oculos ad flebile pondus,*
*Complexus aspirans dulci, stetit irrita voti,*
*Natum inhians, cœloq. datis immota lacertis!*

*Atq. auras ut sæpe sinu captauit inanes;*
*Ferte (ait) hanc animam suspiria, ferte per auras*
*Languẽtem hanc animã, atq. illis precor indite mẽbris.*
*Ferte: dolor nam posse iubet, non ianua vobis*
*Vna aditum reserat; quamquam egredientibus vna,*
*Cor patet. ah possem totidem per vulnera vobis*
*Egressus præbere pares è pectore nostro.*
*Ah tantum si velle datur, cur posse negatum?*
*Hæc inter festina cohors audita frementum.*
*Iamq. erat aspectu propior: paßimq. frequentes*
*Clarescunt voces properantum, & triste gementum.*
*Hi scalas humero tollunt: hi forcipe dextram*
*Armati veniunt: alij candentia lino*
*Texta ferunt, longas, feralia tegmina, vittas:*
*Hi chalybem tundendo habilem, clauoq. minacem.*
*Portantur pheretro vestes, portantur odores.*
*Ipse inter primos mæsto sese ore ferebat*
*Dux Arimathiadûm, cui cum dedit obuia Virgo*
*Lumina; subsidium, gentemq. agnouit amicam.*
*Ille autem attonitus visu, & formidine tanti*
*Prodigij, singultum inter, vocemq. trementem,*
*Vnde hæc ò Virgo facies rerum? hoccine cerno*
*Portentum sceleris! cui tantum audere furendo*
*Concessum! tantum ne ausis mortalibus iræ!*

Hoc

*Hoc ipsi metuunt oculi sibi credere monstrum.*
*At te nimirum hæc olim fortuna latebat*
*Care hospes, nec summa tuæ tibi copia vitæ.*
*Ah vtinam talis vitæ foret æqua voluptas;*
*Non tua te genitrix fœdatum hac cæde videret.*
*Nec plura his: nam plura dies iam sera vetabat*
*Hîc Ducis obsequium Virgo, notosq. ministros*
*Aspectans placidè, grauiterq. affata gementem*
*Pauca refert; quãquã & gemitũ, & gratũ inter amorẽ*
*Fronte magis responsa viro, quàm voce resignat.*
*Ergo instant operi, & feralis ad vtraq. molis*
*Brachia constituunt scalas. Hi terga bicornis*
*Arboris, hi faciem subeunt: hi scandere certant:*
*Hi manibus clauos ferrato dente refigunt:*
*Illi roboreo suspendunt lintea dorso,*
*Perq. alas supposta Deo, perq. ilia prona*
*Suspensi adnixu librant, corpusq. retento*
*Ire sinunt lapsu paulatim. at mater aperto*
*Iam subit amplexu, & pectus supponit anhelum.*
*Altera, cui cari vestigia nota magistri,*
*Acclinata pedes auulsa cuspide soluit,*
*Nescia complexu solui. caput obuius alter*
*Collapsum subit, horrentemq. è vertice syluam*
*Implicitos dumos, & senticomum labyrinthum,*

Abstrahit, elusi frustra ludibria regni.
Huc acies adstantum auido se murmure trudit
Femineo conserta globo, fremituq. gementum.
Quale fauos circum patrios, aut florea rura
Innumeras visu, & confuso Marte sonoras
Exercet certamen apes: aut qualis aceruos
Ingentes foliorum agili rotat impete turbo,
Et variam agglomerat syluam vertigine in vna.
Haud aliter turbata coit luctamine denso
Mixta virûm, matrumq. cohors: it plangor ad auras.
Quid memorem confusum animis, & vocibus agmen,
Et gemitum, tristiq. sonantia pectora pulsu?
Postquã aliqua immensum præbere silẽtia murmur;
Et iam cura animis matri permittere natum
Ad gemitus: paruo remouet se turba regressu.
Nempe omnes propius, propiusq. adstare cupido
Vna mouet, furtimq. omnes adstare laborant.
Vt natum appellet genitrix? lacrymosa cruentum
Diua Deum qua mente vocet? num qua inter acerbos
Vox gemitus elapsa? occisum numen, & iras
Imploret Superûm, aut ruituri funera mundi?
Suspensi aspectant omnes, fixiq. pauore.
Illa graui complexa sinu lacrymabile pignus,
Vix reuocans vitalem auram, nec vocibus ægram

Suffi-

Sufficiens animam, ſingultu immortua prono
Languet, & algentes nati ſuper incubat artus.
Vix animat lentò interdum ſuſpiria ſenſu:
Exanimum procurua gelu vix ora tepenti
Æternùm illacrymans libat, languentiaq. ora
Mille per obtutus, & mille per oſcula luſtrat.
Mirantur nihil indignum, nihil ore mouentem
Femineum. ſuperant animi fata omnia vires.
Tum verò adſtantum molles in pectora ſenſus
Ingruere, atq. vltro miſerantum increſcere murmur.
Et quamquam aſtra vocant primo iam lumine funus:
Neſcio quæ ſublapſa animis obliuia rerum
Excutiunt omnem memori de pectore noctem
Quamquam oculis ſubeuntẽ, & lumina ſera ſequentem.
Ipſa ſuo ingentem populum ſeruire dolori.
Senſit, & vrgeri ſolo ſe veſperis ortu.
Nec verò obſequium Virgo ingrauat aſpectantum:
At ſubita gemitum ſpe temperat; inq. iacentis
Prona aurem quædam nullis audita ſuſurrat.
Tum breuiter, nixuq. animæ meliore ſecuta eſt.
Interea quidquid lucis mihi, Nate, relinquis,
Aut animæ, aut vitæ, aut circum ſpirabilis auræ;
Somnia ſunt, vmbræq. leues. ne credite viuam
O ſociæ, matrem ſi creditis. Ite, ſepulchro

*Me primam, auspicium nati mandate sepulti.*
*Hic nouus exoritur matrum per pectora plangor.*
*Sic medios inter gemitus longo ordine funus*
*Expediunt, corpusq. linunt frigentis odora*
*Merce Tyri, redolet fusos procul aura liquores.*
*Composito tum membra toro suffita locantur.*
*Ceu teneram nimbo frondem fœdatus aquoso*
*Languet adhuc spirans, & triste rubens hyacinthus,*
*Sollicitæ quem dextra leuat miserata puellæ.*
*Funereas verò flammas haud sola ministrant*
*Sydera per noctem, aut cœli fax vltima Phœbe.*
*Conueniunt, quibus imperio, & virtute præibat*
*Ductor Arimathides, & quos Bettanidis oræ*
*Dux habet aut studio comites, aut stirpe propinquos.*
*Præterea quos ipsa Deo, dum vita manebat,*
*Iunxerat officij pietas, & cognita virtus.*
*Seu stupor accendit mentes, & conscia monstris*
*Religio, siue augusti præsentia vultus*
*Numinis os, habitumq. gerens, & amabile visu*
*Imperium, & mira in dictis innata potestas.*
*Huc varijs quondam morbis, & faucibus Orci.*
*Ereptum genus omne, huc reddita corpora vitæ*
*Præcipitant, munusq. Deo ferale rependunt*
*Pro meritis quondam, & dulci pro munere lucis.*

*Sci-*

*Scilicet ille olim, nostras dum carperet auras,*
*Omnibus auxilij, & vitæ dator omnibus ibat,*
*Si quod erat sæui monstrum immedicabile morbi,*
*Aut lymphaticus error, & irreuocabile mentis*
*Exilium, aut laterum morsus, aut regia pestis,*
*Aut sitiens Neptunum intercutis angor aquai,*
*Aut stupor, & rigor, & versatilis ira Dianæ,*
*Aut labefacta salus, atq. artubus ægra solutis,*
*Aut capita æternas letho captiua sub vmbras,*
*Tum quibus exactus vitæ irremeabilis error,*
*Siue oculis aciem, & læsis commercia vocum*
*Auribus, aut linguæ vires vsumq. loquendi*
*Fors quondam eripuit, vel inops natura negauit,*
*Siue aliquem quæuis Erebi vexaret Erinnys:*
*Omnibus ille malis vnum, & commune leuamen.*
*Ergo omnes amor vnus agit; quin ipsa supremo*
*Vincitur officio diræ inclementia turbæ.*
*Ipsi etiam, qui cæde Deum strauere nefanda,*
*Pertæsi reuocant iras, & tristia damnant*
*Consilia, & tantùm lapsas in deuia mentes.*
*Iamq. animis pietas serò rediuiua pauorem*
*Intentat, scelerumq. vltrices aggerat iras.*
*His etiam lacrimæ, & tumuli solennia curæ.*
*Fit strepitus vadentum ingens: iamq. agmina tollunt*

Funereas accensa faces: noctemq. fugauit
Flammarum nocturnus honos, & flebile lumen.
At procerum delecta manus, pars vltima pompæ,
It lacrymans, humeros altè supposta pheretro.
Post numerus plorantum ingens, & longa sequentum
Agmina diuinæ circum sociata parenti.
Ecce autem Solymæ celsis in turribus vrbis
Dispositæ apparent, vulcania sydera, tædæ;
Plurimaq. in summis spectantum millia tectis.
Mirantur flammarum agmen, murosq. sub ipsos
Fulgentem sine Sole diem, longeq. tonantem
Murmure luctifico, & tristi formidine noctem.
Ventū erat ad tumulū, præceps cū turba ministrūm
Romulei mandata Ducis tristißima portat,
Destituant funus: defunctum luce satelles
Det tumulo corpus: tumulum custodia seruet,
Cæsareo quæ fida foro: genus omne recedat
Suspectum: & lecti proceres, & nomen amicum:
Ipsa inter primas abeat, procul vna facessat
Bettanis Regina: sinant iam lumine cassum
Ipsum animam reuocare, ipsum sibi quærere lucem
Amissam, & superis rursum se sistere terris.
Quid faciant? neque enim placidis tractabile dictis
Lictorum genus, aut iuris violanda potestas.

Con-

*Confuſi, & dubia preſſi formidine mentem,*
*Certatim hoſtiles inter, ſimul inter amicos,*
*Sublatum amplexu condunt ſub marmore corpus:*
*Iamq. recedebat tumulo haud ignara futuri*
*Diua Parens, magna comitum ſubeunte caterua:*
*Cùm noua mœrenti facies obiecta doloris.*
*Nam propius, quà multa cauam funalia noctem*
*Diſcutiunt, certosq. virûm dant noſcere vultus;*
*Vnum præ cunctis mæſtum, gemituq. frementem*
*Aſpicit. ille inter Solymas pars vltima tygres*
*Diuinum extremo pectus traiecerat ictu;*
*Senſerat & tali matrem mucrone petitam.*
*Hunc ſimul aſpectu refugum, greſſuq. vagantem*
*Attonito, & propius metuentem aſſiſtere vidit,*
*Nec tamen audentem longo ſecedere tractu;*
*His illum aduertit dictis, atq. aduocat vltro.*
*Quis probibet te terror? ades precor. Ille precantem*
*Quamquam audit; mentitã amens ſibi credidit aurem:*
*Spemq; metumq. inter greſſum leuat. Ipſa trementem*
*Turba citans animat dubium, impellitq. morantem.*
*At Virgo pauitantem animo, & commiſſa gementem*
*Conſciaq. indignæ metuentem pectora noxæ*
*Aſpiciens; Debes, inquit, mihi nobile munus:*
*Da precor. Ille nouo magis, ac magis vſq. moueri*

*Affectu, sensimq. capi; nec credit inanem*
*Vana sonare auram, nec deceptam increpat aurem.*
*Stant auidè suspensi omnes, & quærere mussant,*
*Et dubia inter se miscent præsagia rerum,*
*Quid roget adstantem Virgo, quæ dona precetur?*
*At doni reus incerti, stat lumina fixus*
*Mœsta solo, & vultum lacrymis humectat obortis.*
*Ancipites inter curas, mæstumq. pudorem*
*Addubitat, quas gratus opes, quæ munera promat?*
*Omnia se posci credit, sese omnia credit*
*Iam sacer obsequio: tantum nil vocibus audet.*
*Sat mentem officio promptam, sat pectoris arcam*
*Exposuere omnem lacrymæ, nutusq. loquaces.*
*Ah nimium Longine tui male conscie, nescis*
*Quæ niteant in fronte notæ, quod muneris instar?*
*Ille recens à cæde manum, vultumq. notatus*
*Sanguineis dudum guttis, inopina gerebat*
*Signa necis; coramq. offert quæ munera nescit.*
*Inspicit obtutu fixo miserè anxia Virgo*
*Purpureas oris maculas. ea signa reposci*
*Tum demum sensere omnes, ea pignora Nati.*
*Postquam oculis hausit luctus monumenta supremi,*
*Sæuaq. materni sensit fomenta doloris;*
*Candentem digito vittam, lacrymisq. madentem*

Inuo-

*Inuoluit, dextramq. ad supplicis ora tetendit.*
*Sic auidè lumenq. viro, frontemq. cruentam*
*Abstergens, roseum vittato pollice rorem*
*Excipit, optatum materno pignus amori.*
*Macte nouo, dixit, mentis quoq. lumine, non me*
*Marte tuo quamuis percussam, antiqua reliquit*
*Cura tui: tantùm nostro comitare dolori.*
*Tu mihi supremum vulnus, primumq. leuamen*
*Fide animis; dignamq. meo spem concipe nato,*
*Hæc ait, & tota mæstum plaudente corona*
*Iam noua tempestas lacrymarum, & mollia sensus*
*Tentamenta pios agitant. Illapsa pauori*
*Extremùm illacrymat pietas, funusq. resoluit.*

# Christi Domini in cœlum ascensuri triumphalis pompa.

V.



*Ltima primæuo tandē data meta labori*
*Indecorem exilio vitam, & mœrore sepultam*
*Spe leuat, & nostrum tetro genus eximit Orco.*
*En dulce auspicium miseris! Sacra limina Diuûm*

*Attonitas rupere feras, obstructaq. quondam*
*Cælicolûm domus alta patet. Iam fidite cælo*
*Mortales, olìm superis inuisa propago,*
*Et stygio longùm imperio seruire paternis*
*Natæ sub auspicijs: non te Stygis vlla potestas*
*Arcebit, non vlla trucis violentia Ditis.*
*Pone metum gens lecta Deo. meliora renasci*
*Secula iam cœpere. nouus rerum incipit ordo.*
*Tartarei furare iugo tua colla tyranni.*
*Excute seruitium antiquum, molemq. malorum*
*Pone humeris defessa tuo, defessa tuorum*
*Exitio patrum, & fatalis origine noxæ.*
*En reuocat quondam victos, & sæpe rebelles*
*Æternum ad fœdus Diuûm pater. Ite redempta*
*Progenies: Deus ipse Deo vos fœdere iungit.*
*Prænius ipse viam cælo præpandit; & auras*
*Dum superat, superare docet. En dextera fatis*
*Humanis humana præest. Nouus arbiter Orbi,*
*Nec Deus ille nouus: cæli nouus imperat hæres,*
*Et cæli vetus ille sator, Diuûmq. repertor.*
*Sume animos mortale genus: tibi munere tanto*
*Concessum humanis natalibus indulgentem*
*Autorem peperisse tuum; rerumq. potentem*
*Virgineas vidisse Deum gestire per vlnas.*

*Fœlix*

*Felix prole tua; felix, cui numen alumnum*
*Obtigit. & rerum imperium, cæliq. potestas,*
*Æterniq. ignes astrorum, æternaq. Diuûm*
*Concilia, & summi stellantia regna parentis*
*Hæredi cessere tuo. Deus ipse nepotem*
*Te voluit sperare Deum, qui sanguine cretus*
*Mortali, & nullo generis sub iure paterni*
*Maternos agnoscit auos: vitæq. labores*
*Sponte subit, rerumq. vices, & labile tempus.*
*Hunc illum ætheria nuper sub luminis aura*
*Vidimus ab cœci spirantem, & lucis egentem.*
*Illum Erebo dominantem, & corpora luce carentum*
*Ad superas reuocantem auras, & fluxa nouantem*
*Fata virûm, mortisq. simul, vitæq. potentem*
*Vidimus, & visis libitum non credere tantis.*
*Tantum oculis excussa fides. Tu Diue triumpho*
*Aucte nouo, quem mille ferunt ad sydera currus,*
*Quem genitor cælo, & patrij penetralia regni*
*Excipiunt reducem, & spolijs Phlegethontis onustum;*
*Si te hodie lætis redeuntem ad sydera votis*
*Prosequimur, plausuq. tuos celebramus honores,*
*Pertæsi mentem ingratam, cæcumq. veternum:*
*Da dextram, & superas tecum nos tolle per auras,*
*Aut animis spem fige tui, & nutantia siste*

*Pectora, & incertos rerum da fallere casus,*
*Et vitam hanc Erebo, & lethalibus exime noxis:*
*Sedibus vt tecum superis in morte potiri*
*Contingat, victumq. dolo contemnere Ditem.*
*Tu quoq. desertis hominum spes altera terris*
*Auxilio dum viua subis, Orbemq. tueris*
*Diua parens, partem hanc oro mihi carminis imple,*
*Da, memorem, qua mente tui diuortia nati*
*Pertuleris? quis amor mentis, qui pectoris ardor*
*Ire simul, cœlumq. pari conscendere cursu?*
*Quale triumphantem terras? quo nubila curru,*
*Quo sociûm fremitu subeuntem, aut quale per oras*
*Aërias radiantem aspexeris ire per altum*
*Æthera? quos illum bijugos ad fræna vocantem?*
*Quem leuis aurigam bigæ? quæ lora tenentem?*
*Quo flecti temone iugum? quæ sydera verti*
*Pro nitidis supposita rotis? quæ plaudere circum*
*Agmina? quàm longo cœlum discedere tractu,*
*Prospiciens, quales animo procul hauseris ignes!*
*At tibi queis credam vinclis potuiße teneri*
*Absilientem animam terris, nec abire morantem?*
*Ergo hilares inter curas, & gaudia, mentem*
*Versabat genitrix nati memor. vna recursat*
*Spes animo, totumq. liquat dulcedine pectus,*

*Qua*

*Quæ natum ventura dies ſuper æthera ſiſtat*
*Linquentem terras, & ſydera nota petentem,*
*Et quo vadentem obſequio, qua voce ſequatur?*
*Oſcula quæ figat? quibus illum amplexa moretur*
*Fletibus, alternos cunctantem euoluere nexus?*
*Qua prece dimiſſum ſubeat? qua mente relinquat?*
*Quo veniam vultu tantam ferat? vnde ſupremos*
*Librantem aſpiciat terris ad ſydera greſſus?*
*Talia ſola domi ſecum dum corde volutat;*
*Ecce coronatum rutilo videt aëra nimbo*
*Ante oculos, & luce micat ſeptemplice natus*
*Auguſtum, ætherium ſpirans, iam numen apertum,*
*Aſpectuq. habituq. Deus. micat obuia pulchro*
*Ora ſupercilio ſpectabilis: aurea crinem*
*Lux obit, & triplicem diadematis explicat orbem;*
*Et centumgeminum iacit alto à vertice Solem.*
*Sub pedibus conuexam altè premit arduus Irim*
*Luce coloratam, & terris inſueta micantem.*
*Et chlamydem, cui mille vago diſcrimina textu,*
*Fulgor obit varius pictai lucis, & auri.*
*At manibus, pedibusq. patens, & pectore corpus*
*Quina procul quinos per vulnera mittit Eoos*
*Lumine inexhauſtos, roſeoq. ardore coruſcos.*
*Dextera porrectum ſceptri decus, & graue regni*

*Aetherij gestamen habet. stant plurima circum*
*Millia plaudentum, & strepitu fremit aura volantum.*
*Hi caelo attollunt porrectis ardua signis*
*Deuictae monumenta necis, fusiq. trophaea*
*Mille Erebi, portantq. sui decora inclyta Regis.*
*Hi manibus praeferre tubam, & vocale metallum*
*Armati clangore sequi data signa sonoro,*
*Nec mutas iam ferre moras, auramq. silentem.*
*Pars digitis accincta fides animare loquaces*
*Stat citharas complexa sinu, sensimq. fugaces*
*Neruorum irritat numeros. iam pollice lento*
*Mussat ebur, mussatq. cohors; & prima canendi*
*Tentamenta, nouasq. artes, & foedera vocum*
*Concilians, pressis concentibus aëra tentat.*
*Hoc Deus occursu matrem aspicit admirantem,*
*Haerentemq. oculis, & Numinis ora tuentem*
*Cara sui. tunc ille auidam sic orsus ad aurem.*
*En mihi qui trunco, genitrix, prouentus ab illo!*
*Quantum illa de clade decus, quae sceptra reporto*
*Alma tibi! tu namque mei pars altera regni.*
*Sic decet, & merito es tanti comes vna laboris.*
*Quidquid vbique hominum, quidquid per secula rerũ*
*Aut superũm caelo, aut vmbrarum in sedibus Orci,*
*Stat nutu Regina tuo, stat numine nostro.*

*Accipe*

*Accipe (nil meritis impar damus) accipe iuris*
*Fœdera diuini. quando mecum vna voluntas*
*Semper erat; iam ſemper erit mecum vna poteſtas.*
*Tu tanti imperij partes molire ſecundas*
*Altera poſt Numen regnatrix, altera Diuûm*
*Lecta parens. quamquam & materni iuris honores*
*Æterna te lege Deo fecere verendam.*
*Sola Deo veneranda, Deum venerabere. nulli*
*Tantum optare datum, vel tantum audere precando.*
*Ergo age (quod ſummo placitum iußiſſe parenti)*
*Accipe regnandam gentem hanc, & diſce tuorum*
*Nomina. dicam omnes, & te tua regna docebo.*
*Ille (viden?) rutilo crinem ſpectabilis aſtro,*
*Et viridi fulgore nitentem indutus amictum,*
*Qui præit hanc ſimili tectam velamine gentem,*
*Humani generis primus pater; hunc mihi quondam*
*Abſtulit, & cœco Stygius furor intulit Orco*
*Haudquaquam remorantem, & triſtia iuſſa ſequẽtem.*
*Tum decus hoc regni lacrymis, fletuq. redemptum*
*Obtinuit; mecumq. meo potietur Olympo.*
*Tantum audet ſperare fides; tantum vna meretur*
*Auxilio mens freta meo, & ſpe læta futuri.*
*En illum ſua poſteritas, & quanta nepotum*
*Turma ſubit, fato genitorem imitata ſequaci.*

*Hic genus Isacidûm cernas licet omne tuorum,*
*Progeniem antiquam, & Reges numerabis auitos,*
*Et vates, & prima tuæ cunabula gentis.*
*Aspicis hunc vultu fulgentem heroa verendo?*
*Ipse tuam quondam stirpem vetus edidit autor.*
*En vt habet fidæ venerandum insigne senectæ,*
*Accinctus rutilo dextram mucrone sacerdos.*
*Scilicet hoc olim natum pater ense reuinctum,*
*Insontem, vnigenam, senior mactabat ad aras,*
*Et iugulum, mandante Deo, tam dulce petebat;*
*Ni, celerem secura manus dum tenderet ictum,*
*Deficeret prompto diuinitus irrita telo.*
*Hoc ille obsequio, & deceptæ munere dextræ*
*Promeritus sperare suæ te gentis alumnam,*
*Me dedit, antiqua supremum à stirpe nepotem.*
*Illius hanc numera deductam à sanguine gentem,*
*Maioresq. tuos. Hic lumine clara bicorni*
*Ora gerens, sceptroq. manum imperiosus, & auro;*
*Primus hic Isacidas Mareotide ductor ab ora,*
*Isacidas regno oppressos, & sorte parentum*
*Indigna, fatiq. iugum natale ferentes*
*Eripuit, certamq. dedit sperare salutem.*
*Hic nostro sacer afflatu, præsagia rerum*
*Prima dedit; fatumq. animo, & sermone præibat.*

*Ille*

*Ille autem, egregiæ facies formosa iuuetæ,*
*Qui zona candente nitet, cinctuq. niuali,*
*Hoc nitidus candore venit, quia sacra pudoris*
*Iura puer, castosq. animo seruabat amores.*
*Hic Pelusiacæ contemptor amantis, hic ille est*
*Fraterna puer inuidia. quia vera canebat*
*Somnia; vi quondam, & pretio mutatus, & auro*
*Imperium Pharij subijt crudele tyranni.*
*Nempe meam simili testatus imagine sortem,*
*Me fore mutandum pretio signabat iniquo.*
*Nosce alios, circumq. oculis lege sacra tuorum*
*Agmina, diuinos, genus alto à sanguine, vates.*
*Femineos hinc cerne choros, gentemq. pudicam.*
*En tibi quo fulget Bethulias ore virago,*
*Te quondam exemplo referens, at viribus impar*
*Bellatrix, & parua tuæ virtutis imago;*
*Hæc fuit, hæc olim patrijs quæ mœnibus hostem*
*Infensum, & rabidi monstrum insuperabile Martis*
*Contudit, & tantæ te prætulit omine palmæ,*
*Casurum testata tuis Acheronta sub armis.*
*Verte, age, nunc oculos ad læuam. Hos lumine lustra*
*Signiferos heroas, & agmina mille sequentum.*
*Pro titulis en ora meum referentia nomen.*
*Millia bis senæ numerant duodena cohortes.*

*Ductores totidem, pubes fraterna, potentis*
*Isacidæ genus, & proles antiqua tuorum.*
*Ille Manaßiadûm ductor venit: ille Gaditûm.*
*Hic præit Asseridas: magnos præit ille Rubenas.*
*Leuiadûm pater ille, suos ille agmine longo*
*Nepthalidas ad regna vocat cœlestia ductor.*
*En reliquum, capita illa, genus, nec sanguine dispar,*
*Nec patria virtute. viden, quæ deinde sequatur*
*Turba suos animosa duces, promissaq. cœlo*
*Progenies quondam, & certis mihi debita fatis?*
*Hunc tibi de tota numerum tellure subegi:*
*Et quidquid ventura virûm per secla videbis;*
*Seruitium, Regina, tuum est. Nunc cerne phalanges*
*Ætherias. hæc verò etiam tua millia sunto.*
*En superûm genus aligerûm, ter dicita ternos*
*Agmina per cuneos. nomen diuersa dederunt*
*Munera: sunt certæ cunctis ex ordine leges,*
*Et variæ nostri sedes, & fœdera regni.*
*Hæc acies, ternos quæ diuidit vltima cœtus,*
*Nubiuagas operas, certos mihi seruat ad vsus.*
*Hinc data seruandis vigilum custodia terris*
*Ad nutus accincta meos. hi lubrica certo*
*Secula voluentes cursu, mortalia primi*
*Obtutu propiore vident, & visa gubernant.*

*His*

*His operum mensura triplex. lex ipsa laborum*
*Non eadem cunctis. alijs datur vltima nostro*
*Cura sub imperio, tantùm qui iussa capessant,*
*Atq. obeant, omnesq. citi legentur ad oras,*
*Gens alacris dextra, & pernicibus ignea pennis.*
*His alij præsunt, certo qui iure magistri*
*Præscribant operum fines, atq. altius instent*
*Ordinibus rerum, & varijs incumbere cæptis.*
*Hos alij porro superant, qui principe ductu*
*Res agitant, proceres operum ad consulta parati;*
*Conciliumq. regunt operosum, & summa tuentur*
*Iura laborantum certa sub lege ministrûm.*
*Præsidet his acies gentis vicina secundæ.*
*Hic non vlla operum molimina, nulla laborum.*
*Tantum animis intenti omnes, & pectore toto.*
*Hi cælo dominantem altis à sedibus ardent*
*Inspicere, & regni fines sine fine profundos;*
*Quos ille occasus rerum, quos imperet ortus,*
*Quas metas, aut quantum habeant opera alta cacumen.*
*Mirantur dextram semper maioribus orsis*
*Maiorem, & nullo præscriptas culmine vires.*
*Post alij, quid cura Dei, quid prouida virtus*
*Prospiciat, quàm longam aciem per secula tendat,*
*Longius inspectant. Alij quàm lata potestas*

In superos, hominesq. vident, & dicta iubentis
Accipiunt, certisq. notant in pectore signis.
Sic velut inscriptas disponunt mente tabellas,
Vnde suas legio descripserit vltima leges.
Tertia regnantum solio gens proxima nostro,
Prima acies cœli, & famulûm suprema tuorum
Tres numerat partita choros. his plenior haustus
Numinis illabens animos, & sola tuendi
Cura Dei, totos rapit alto à pectore sensus.
Verum alij melius, quibus hæc concessa potestas,
Diuinum explorant oculorum indagine pectus.
Et iubar abstrusum, mentisq. arcana profundæ
Altius obtutu subeunt, & lumine certo.
Pars etiam raptu mentem suspensa beato,
Clarius æterni dum numinis ora tuentur,
Flagrantes animorum ignes, & viuida cordis
Vulnera concipiunt. stat nullo explebilis æuo
Flammarum potator amor, visuq. laborat
Expleri, longumq. tuens ad dulcia rapto
Gaudia suspectu, sensus effundit anhelos.
Sic Deus immensa coram se luce videndum
Præbet, & ingenti captas dulcedine mentes
Æterno beat illapsu, nec deficit auctus
Ingeminans torrente suos à fonte voluptas.

Hæc

*Hæc Superûm domus omnis habet genus omne meorũ.*
*His ego te statui Reginam: hæc millia nutu*
*Flecte tuo: veniunt celeres, & iußa precantur*
*Accipere, & primis certant dare legibus aurem.*
*Dixerat effusæ Superûm cum protinus alæ.*
*Submißi Reginam oculos, & supplice vultu*
*Certatim agnoscunt hilares, matremq. salutant*
*Virgineam, Cœloq. canunt, Ereboq. potentem.*
*Illa suo cupidos non vsquam à numine vultus*
*Detorquet, totumq. haurit per lumina natum,*
*Et rutilos oculorum ignes, & frontis honorem*
*Sydereum, & vario missos à vulnere Soles.*
*Suspenso rapit obtutu, rapiturq. tuendo.*
*Non illam tanti imperij mouet vlla voluptas;*
*Non datus, aligerûm toto plaudente senatu,*
*Aut animo blanditur honos, aut pectora carpit,*
*Aut flexus oculorum vllos, aut verba laceßit.*
*Natus habet mentem, raptuq. incendit anhelo*
*Flagrantes visus: & inexaturabile lumen*
*Explet inexpletum, & largo sese ingerit haustu.*
*At simul affari potuit, sic ore locuta est.*
*O Nate ingentem numerum ne ostende tuorum,*
*Neue pares regni tecum mihi porrige metas.*
*Sat mihi maternum in te ius, mea gloria. non me*

*Dulcius ulla tui rapiunt spectacula regni.*
*Tu cape supremum regnati munus Olympi.*
*Tu tua cœlicolûm venientem ad iussa cohortem*
*Rex habeas, Regumq. omnes rege solus habenas.*
*Tu cœlum, tu regna mihi, tu quidquid ubique est*
*Aut hominũ, aut superûm, aut vẽtura in secula rerum.*
*Explebis vero dictus mihi nomine Natus.*
*Siqua tamen sperare iubes hunc præter honorem*
*Munera, nec dulcem prohibes optare parentem*
*Quid velit, & nostris metam libet addere votis:*
*Vna mei deuota tibi iactura cruoris*
*Cœlicolûm regnis mihi dulcior; vna supremis*
*Extulerit mentem cumulis, & munere largo.*
*Illa cor explebit, triplici si cuspide fixam*
*Me quoque tollat humo facies funesta trophæi*
*Per geminam quadrata trabem, quæ te mihi nuper*
*Obtulit, affixos lacerum crudeliter artus.*
*Aspiceres quàm dulce tui me corporis instar*
*Pendentem, & simili tua funera morte sequentem.*
*Nec tamen aspectu tali (quæ me una cupido*
*Summa tenet, quæ summa animi foret una voluptas)*
*Non, inquam, aspectu tali, nec flumine nostri*
*Sanguinis, aut caræ centeno vulnere matris*
*Ingemeres, nunc ò nostros exute dolores,*

Nec

*Nec potis ad tristes animo tabescere casus.*
*Nam si pectus adhuc gereres mortale, vel vllo*
*Mobile curarum tactu, sensuq. doloris:*
*Non tibi me cerni cuperem sic, Nate, cruentam;*
*Tantùm vt nequa mei premeret te cura laboris,*
*Neu peterem materna tuum per vulnera pectus!*
*Nunc, dum nulla tibi mœrendi, Nate, facultas,*
*Nec metus ad luctum, nec te mea damna lacessunt*
*Immunem, & flendi arbitrio sensuq. carentem;*
*Nunc, precor, hanc voti partem concede supremam;*
*Hanc sine fortunam experiar; sine, Nate, parentem*
*Ad superas ferri tua per vestigia sedes.*
*Natus ad hæc, tanto postquam subrisit amori.*
*Dura rogas: verùm hæc edissere, Mater, amanti*
*Vera tuo, vel falle Deum responsa petentem.*
*Si mihi nunc iterum subeundi funeris ardor*
*Ille foret, qui nuper erat; nec morte potiri*
*Optata possem, nisi tu mihi victa precando*
*Id statuas, lethumq. pares (iam finge rogantem*
*Arbitrio me stare tuo, & te numinis instar*
*Expendentem omnes nullo sub iudice leges,*
*Iuraq. cedendi moderantem, & iura negandi)*
*Quo, precor, exitio tua me exorata voluntas*
*Absumptum, qua cæde tibi me ferret ademptum?*

*Nō tulit hoc Virgo, & tremebundū exterrita pectus*
*Per varios agitur fluctus: natumue, Deumue*
*Ereptum interitu nolit; natiq. Deiq.*
*Horruit auditam vana sub imagine mortem.*
*Hoccine (Natus ait) poßim tibi velle precanti*
*Cedere, quæ fugeres eadem me dona rogantem?*
*Arbitrio te posse meo tot ferre dolores,*
*Me totidem non posse tuo? seu munus vtrumq. est;*
*Seu magis obsequium, & victi consensus amoris;*
*Iura tuis precibus poscis potiora remitti,*
*Et mhi das nostro partes in amore secundas.*
*Quo tantùm me iure præis? ò funere nuper*
*Consternata meo, quid mortem, & vulnera rursum*
*Sæpe accepta rogas? alium qui talia donet*
*Quære Deum. me tale Deo non munus habebis.*
*Quin ego te cœlo, cum crastina fulserit hora,*
*Ætheriis mecum regnis inferre parabam;*
*Ni mea gens aliò cogat me vertere mentem.*
*Nam dubijs æterna meo fata sanguine terris*
*Relligio, & noua iam teneri primordia mundi,*
*Sunt opibus firmanda tuis, ductuq. secundo*
*A vario rerum cursus errore tuendi.*
*Quà facere id poßis, non te latet. accipe quantum*
*Mox tibi subsidium, & terris quæ munera mittam.*

*Tres sumus, omnipotens quorum per secula numen:*
*Et quisque inter nos alij par, alter, & idem.*
*Didimur indiscreti omnes, nec diuiduus fons*
*Viuendi, sed habet ternos vno vbere ductus*
*Vis eadem vitæ, rerumq. ter ampla potestas.*
*Hinc eadem sumit vultum natura triformem,*
*Et triplicem vario speciem sub nomine præfert.*
*Hunc mens alta parit: vigor illum expirat amandi:*
*Hunc pater, atq. illum primus discriminat autor.*
*Ille gerens fœtam natiuo numine mentem,*
*Me sibi perpetuis prolem natalibus æquam*
*Parturit, æternumq. parit. quo reddita partu*
*Altera, par, eadem genitori innascor imago,*
*Incrementum augustum, æternum. & numine compar*
*Progenies, mentisq. satu discreta perenni.*
*Nec primos experta dies, nec labilis æuo*
*Orta orior, semperq. idem mihi ducitur ortus.*
*Nam patrij vis alma sinus mihi perpetuum cor,*
*Et vigor, & vitæ semper nascentis origo.*
*Amplexus vtrinq. pares vrgentur, & ambo*
*Alter in alterius dulci præcordia nexu*
*Certatim ingerimur, trahiturq. à pectore pectus.*
*Nos vincti, nos vincla sumus: natuq. diremptus*
*Abiungor, cui nascor idem. qua lege soluti*

*Iungimur, hac nobis alternum afflamus amantem.*
*Perpetuas agit ille vices, & fœdere certo*
*Instat agens vtrumque pares par ipse per ignes.*
*Præsentem veluti cum me tua mentis imago*
*Exprimit, & noti vultus tibi fingit amantis;*
*Sponte subit, pectusq. rapit materna cupido.*
*Iamq. vltro crebrescis amans, dum credis amari,*
*Acceptasq. refers flammas: aut quale profundo*
*Cynthius in vitro multa se luce figurat,*
*Seq. suo ferit obiectu, flexuq. resultant*
*Vibrati radiorum ictus, missuq. remissuq.*
*Obtruduntur, & occursu collisa frequenti*
*Lumina inardescunt, mediusq. interuenit ignis.*
*Haud aliter mentis numen geniale paternæ*
*Ingenerat sibi me; dumq. illi alternus, & idem*
*Natiuo iubar obiectu natale remitto:*
*Hinc, atq. hinc simul afflati venit ardor amoris.*
*Hunc ego iam terris diuini flaminis ignem*
*Præmittam, qui vestra suas in pectora flammas*
*Ingerat, & terras certo mihi fœdere iungat.*
*Crastina cùm primos aurora recluserit ortus;*
*Cum socijs notum ad collem felicis oliuæ*
*Prima ades. huc nostras liceat concedere matres.*
*Ipse adero; atq. omnes extremùm affatus, ad auras*
*Euehar,*

*Euebar, & patrij repetam spectacula regni.*
*Dixit, & ex oculis paulatim auulsus abibat*
*Conditus arcani fugientem in luminis auram;*
*Cum subitò erumpunt voces, totisq. canentum*
*Ordinibus lætum modulatur pugna canorem.*
*Dant cælo ingentes sonitus animosa tubarum*
*Æra procul: resonat festis clangoribus æther.*
*Parte alia coëunt cìtharæ, & vocalis arundo:*
*Et cæleste melos neruorum, & flabile vulgus*
*Dulcisonûm lituorum, & fila sonantia plectro,*
*Dulcia flexiuagos numerant discrimina cantus*
*Per varios fugitiua modos. fremit ordine concors*
*Dissidium vocum, & fidium numerosa propago.*
*Panditur interea stellantis regia cæli.*
*Tum procul aëriæ nitidum per inane quadrigæ*
*Errare, & leuibus sub curribus astra rotari,*
*Et volucres sensim terris aduertere cursus.*
*Agnouit Superûm fastus, molemq. triumphi*
*Diua parens; Regemq. suum, Numenq. vocari*
*Gaudebat, patriam cæli exultantis ad arcem.*
*Tum diuina oculis, & toto lumina tecto*
*Deficere, & tacito sopiri gaudia cælo.*
*Occiduus veluti pelago dum Phœbus Ibero*
*Præcipitat; iam iamq. subit, iam vertit Eoum,*
*Et iubar emenso paulatim extinguit Olympo.*

# Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ triumphus.

VI.


Vòd noua mutato facies affulsit Olympo,
Et festis ambita choris, lusuq. frementum
Cælicolûm tellus plaudētibus adsonat astris:
Nil mirum. Regina Deûm iam reddita Cælo,
Exitium Diti, spem nostris addere votis
Incipit, & caros ad sydera poscit amantes.
Illa renascenti renouat cunabula mundo:
Illa suos iubet ire dies. En sydera nutu
Femineo iam cœpta regi. stat numine cælum
Virgineo, gaudetq. noua se lege teneri.
Ite, nouam celeres votis ambite parentem
Mortales, profugum cæli genus. ite redemptum
Obsequio patriam, & maternum agnoscite numen.
Vos ego per sacras ædes, & compita supplex,
Perq. auras, quò læta vocant nos agmina Diuûm,
Rite sequar; mecumq. viæ comes ibit Apollo;
Lesbiadumq. choros, & amantes ardua Musas
Deducam, & totum votis Helicona ciebo.

Tu

*Tu modò, cui tantis plaudit concentibus æther,*
*Cui properant superi certatim ad iussa ministri,*
*Alma parens (ò Diua tui potis vna Tonantis*
*Materna trifidum dextra contingere fulmen,*
*Et regere imperio terras, & tartara telo*
*Sternere, & æterno Superûm dare iura senatu)*
*Cerne laborantem tanto sub carmine Phœbum,*
*Luctantemq. tuo numeros æquare triumpho;*
*Dumq. furit pauidis nequicquam insistere cæptis;*
*Prosequere afflatu metuentem audere secundo.*
*Forsan & ætherias inter, tua castra, cohortes*
*Nos quoq. transcripti quondam (si te auspice tantum*
*Speramus, nec vana fidem præsagia fallunt)*
*Carmine te merito, & lituo meliore canemus.*
*Nunc, age, Mœnaliam, mea munera prima, camœnam*
*Auspicijs dignare tuis, & numine dextro.*
*Postquam res hominum fractas, & funera mundi*
*Rex Superûm miseratus, opem labentibus vltro*
*Attulit, & sese terris concessit habendum,*
*Mortalesq. animæ vires, corpusq. caducum,*
*Quod sibi virginea conceptum adsciuerat aluo,*
*Hostiles vltro occumbens prodegit in iras:*
*Annuus exactos bis septem euoluerat orbes*
*Cursus, & auspicijs ibat melioribus ætas.*

*Iam cœlo prognata salus, dabat aurea terris*
*Secula; vertebant alio se cardine menses:*
*Cum se Diua parens venturo accinxerat æuo,*
*Sat cœlo matura, suo sat debita regno*
*Iam dudum, & rerum varijs exercita fatis.*
*Vltima procliues ætas incumbit in annos,*
*Et carum materna vocant suspiria natum.*
*Qualis vbi effœtam volucris Panchæa senectam*
*Sentit, & occasu rediuiuum exuscitat ortum;*
*Frugibus Aßyrijs, & stramine fulta Sabæo*
*Flammantem obtutu carpit Titana proteruo.*
*Iamq. renascentem genitali funere lucem*
*Accersens, animam voces trahit inter aniles,*
*Et vitam moribunda nouam, & noua fata salutat.*
*Sic Virgo æternum vitæ cœlestis amorem*
*Integrat, & dulci funus iam voce lacesßit.*
*Ah nimium mihi longa, inquit, numerata sub astris*
*Annorum series! nimium producta per auras*
*Mortalis mihi vita! Quid ò, quid abire moratur*
*Spiritus, & lentos renouat mihi lucifer annos?*
*Sat vitæ, terrisq. datum: tua funera vidi*
*Nate. quid ex illa lætum mihi contigit hora?*
*Perpetuos inter gemitus, longum inter amorem*
*Ætheris optati, languens en occubat ætas.*

*Optabam, vt gemino tecum darer hostia trunco,*
*Et tecum hostiles inter deprensa furores*
*Occiderem, tecum ferro mactarer eodem;*
*Non fuit huic voto finis: nec vulnera pectus*
*Illa meum fixere, tuam quæ plurima vitam*
*Artubus effossis, largumq. hausere cruorem.*
*Et viuo sine te, & possum meminisse dolores*
*Nate tuos! nec tantus adhuc me euiscerat angor,*
*Qui tantùm occursu mentem funestat acerbo!*
*Fallor: & hæc vitæ solùm mihi tristis imago est,*
*Et frustra hæc oculos ludunt insomnia lucis.*
*Dum tua creuisti quondam dare lumina letho,*
*Atq. vltro captiuam animam concedere fato;*
*Extinxti me, teq. simul. sed luce sepultam*
*In media moriens liquisti, nate, parentem.*
*Quòd si ingratus adhuc animam fouet halitus haustu*
*Ætherio, corpusq. regit; spirabile funus*
*Ducimus, & lenta nequicquam vescimur aura.*
*Illa mihi penitus quondam in præcordia cuspis*
*Sæuit adhuc inflicta, tuos quam sæuus in artus*
*(Ah nimium sæuus) post funera miles adegit.*
*Ex illo lethale mihi sub pectore virus*
*Conceptum, exitio, & longa me tabe peredit.*
*Et iam confectis vitam dolor artubus idem*

*Elicit, & pectus singultibus haurit anhelis.*
*Ah mihi quàm iucunda tuæ contagia mortis!*
*Quàm dulci languentem animam dolor immolat ictu!*
*Vlterius spem, Nate, tui producere durum est.*
*En ego suspectu æterno fugientis Olympi*
*Deficio, molliq. sequor mea sidera cursu.*
*Ni sola in terris tua me mandata morentur.*
*Quamquam optata dies tua me ad promissa volentem*
*Iam vocat. ò tandem te amplexibus ingere nostris.*
*Quid superest vltra in terris? mea pignora vidi*
*Christigenas latè terras implere repostas:*
*Rumulidûm gentem, & regni septemplicis arces*
*Auspicijs parere tuis. iam libera veris*
*Relligio indulget sacris, & temperat Orbem.*
*Hinc adeo te dona pias, te vota per aras*
*Rite vocant: multa tellus tibi fumat acerra.*
*Iam domitor lethi, iam debellator Auerni*
*Diceris, & nullos nescit tua fama recessus.*
*Me quoq. (nil quamquam merui) tibi subditus Orbis*
*Prædicat, & tanto consortem adscribit honori.*
*Vndiq. visendi studio me effusa iuuentus*
*Quærit, & ad Solymos properat contendere fines.*
*Mirantur tali dignatam prole parentem;*
*Nec modo terrarum, aut hominum Regina salutor.*

*Tu*

Tu molem hanc laudum tantarum, hoc numinis instar
Sponte tua capiti voluisti imponere nostro.
Tu meritis hoc adde tuis, qui pignore tanto
Virgineam, & tanto partu dignate parentem,
Vis mihi natales vltro debere secundos.
Hinc adeo tantorum operum mihi credita virtus,
Quæ manibus natiua tuis. En agmine quanto
Longa cohors inopum nostræ venit assecla famæ
Accurrens, & rebus opem deposcit egenis.
Auspice te, cunctis cœli dare munera cogor.
Omnia largimur, precibusq. occurrimus vltro.
Te nostras implente manus, promittimus omnia:
Te nostram præstante fidem, confidimus arcæ
Nate tuæ, qui vota iubes audire precantum.
Audimus: præstamus opem: depellimus ægris
Corporibus vulgò pestes, & monstra malorum.
Sufficimus naturam alijs, quorum orba nouamus
Lumina, vel vitæ munus reparamus ademptæ.
Omnia conspectum metuunt contagia nostrum.
Quin obsessa dolo grassantem in pectora Ditem,
Afflantemq. animis tabem, & furiale venenum
Turbamus profugum, & patrio demittimus Orco.
Hanc mihi tu solitus quondam promittere laudem;
Cùm fore prædixti, terras vt viua per omnes

Dicerer, & præsens multis ad vota vocarer.
Cumq. omnes late complessem hoc nomine gentes;
Tunc mihi præscripti vesper lucesceret æui.
En suprema dies. quid demoror? omnia dictis
Respondent euenta tuis. da, meta laborum
Iam cumulet prædicta fidem, & præsagia firmet.
Talibus orabat Virgo, cum Natus ab astris
Annuit, & cæli portas iubet esse patentes.
Tum celerem, & niuea fulgentem in veste ministrum
Ad sese vocat, & fidas hæc fatur ad aures.
Care vigil, nostrum quondam solate laborem,
Cùm mihi languentem vicinæ mortis imago
Eliceret sudore animam, totosq. per artus
Debile sanguineo stagnaret flumine corpus;
Ire tuum est, matremq. meis accersere regnis.
Mortem orat. verùm hoc illi me auertere fatum
(Quà licet) & patrio viuentem adsciscere cælo
Velle refer: ferat ipsa modo, nec velle recuset,
Et sese fatis adimi communibus optet.
At scio; detrectat pactum, & tua dicta relegat,
Nec maternus amor nostro subscribit amori.
Sic fas: & secum leges bellantur amandi.
Tu verò officium noti securus amantis
Exequere, & precibus cunctantem audacibus vrge.

Do

*Do, partem vtramcunq. mei sibi numinis optat,*
*Siue immune caput morti concesserit vltro,*
*Seu velit exemptum; neutra se lege teneri*
*Norit; & est maius materno in nomine pondus.*
*Sanciat ipsa sibi fatum, & mea iura gubernet;*
*Se tantum expediat terris, atq. inferat astris*
*Tu procerum multas nostrorum accerse cohortes*
*Aut animam excipere, aut mortem frœnare paratas.*
*Interea, dum tu maternam hæc faris ad aurem,*
*Ipse adero, mecumq. aciem, & cœlum omne ciebo.*
*Hinc pubem ætheriam, & nostræ lectißima gentis*
*Agmina, plaudentumq. choros, & multa canentum*
*Millia disponam, terrisq. adstare iubebo.*
*Nubiuagos flectent mecum toto æthere currus*
*Cœlicolæ, assueti frœno submittere Coros.*
*Gaudia cœlestes mecum ad communia ciues*
*Hi volucres venient: hi curribus insidentes.*
*Vna tibi ante alias cœlo ductanda quadrigas,*
*Quæ medias inter primis insignibus ibit.*
*Aërio pro calce, rotarumq. orbe volucri,*
*Quattuor hinc, atq. hinc cursu premet ardua Soles.*
*Huc Hyperionios accerse ad frœna iugales,*
*Et septemgemina socios ceruice Triones.*
*Hanc verò ætherias mecum ventura per auras*

*Conſcendet genitrix. tu currum agitabis ouantem.*
*Illa meo veniet læuam ſubnixa lacertò,*
*Æqua ſupercilio, & vultu ſpectanda gemello.*
*I, Dominam expectatam alto Dux inuehe cœlo.*
*Hæc vbi dicta; citò liquidum ſecat aëra lapſu*
*Nuntius, & ſociam longo trahit agmine turbam.*
*It nimbo in medio, & varium radiatus amictum,*
*Vndantemq. ſinum curſuq. auroq. tumentem*
*Mille iacit circum rutilai fulgura pallæ.*
*Olli ſidereum caput, & grauis ore venuſtas*
*Promicat imperium; & vincto coma nexilis aſtro*
*Porrigit effuſum colli per nuda capillum.*
*Æquatæ aſſurgunt humeris fulgentibus alæ,*
*Remigium aërium, rapidiq. inſignia curſus.*
*Hoc etiam pubes habitu ſociata nitebat.*
*Vt ventum ad Reginam; omnes vno ordine ſeſe*
*Affuſi ſtrauere ſolo: ſtant lumine prono,*
*Solliciti vultum obſequio, numenq. ſalutant*
*Virgineum aſpectu tacito, fixiq. tenent ſe.*
*Illam accumbentem, & ſuffultam ſtramine paruo,*
*Dulciaq. ingratæ ſpirantem obliuia vitæ,*
*Et vultum attonitæ ſimilem, ſimilemq. videnti*
*Aſpectant auidi, gaudentq. ardere tuendo.*
*Illa nouos, ſemperq. nouos aſpirat amores.*

*Stant*

*Stant oculi rerum immemores, raptuq. supino*
*Intenti lucem ablegant, cœlumq. requirunt.*
*Vitales toto requierunt pectore motus:*
*Nec vigor extinctus, tacito licet ore sepultus.*
*Nempe animum subiere perempti funera nati:*
*Et dolor humanis soluit præcordia curis,*
*Affixitq. Polo mentem, sensumq. sequacem:*
*Atq. animat vegetas per amica silentia vires.*
*Nil aciem circumfusam, nil proxima sentit*
*Verba salutantum, & stantes ad limina Diuos.*
*At memores postquam rediere ad lumina sensus;*
*Aspicit adstantem, cæli nota agmina, pubem,*
*Fulgentesq. choros, & supplicis ora coronæ.*
*Ergo aderas (inquit) superæ dux alme cohortis!*
*Ecquid voce paras? quæ tandem ad funera natus*
*Me vocat? exortemne suæ me cernere mortis*
*Audet, & hanc nullo repetet cum sanguine vitam!*
*Ille autem. Quid tantum animo, quæ funera versas*
*Diua parens? te ne hoc vltro fatale tributum*
*Suscipere, & tantum nobis inferre dolorem!*
*Sat lacrymis mortiq. datum; sat vidimus vnam*
*Perniciem cœli, & terrarum expleuimus iras:*
*Cùm nostrum eripuit ferro mors aspera Regem.*
*Tum verò exhausit superûm præcordia mæror*

*Diluuio lacrymarum, & flebilis imbre cruoris.*
*Tu ne etiam fati cumules captiua triumphos!*
*Ah mortem ne perge nouis ditare trophæis.*
*Parce, precor, tanto capiti. Ne gaudia Diuûm*
*Hoc perime interitu, neue hoc pete vulnere cælum.*
*Falle, potes, mortem; teq. his procul eripe terris.*
*Nec verò nisi iussa loquor: iubet ipse licere,*
*Hoc tibi regnator superûm; hoc te numine donat,*
*Mortis vt immunem poßis te sistere cælo,*
*(Si sedet hoc animo) & fati mutare tenorem.*
*Nos etiam, tua cura (preces nisi despicis æquas)*
*Oramus, ne talem animam discedere templo*
*Coge tuo. serua thalamos, atq. inclyta Regis*
*Claustra tui. serua augusti sacraria partus.*
*His ille affari dictis, vitamq. precari.*
*Tum Virgo. Ah videas potius me stipite duro*
*Pendentem, vt vidi natum pendere cruentum.*
*Tu quoq. nolentem, ò rerum pulcherrime, tanto*
*Numine me donas? quin me illo funere donas,*
*Quo mihi te quondam eripuit tua sola voluntas?*
*Quæq. tuos obitus, & quæ tua vulnera vidi,*
*Sperasti me nolle mori? me scilicet atræ*
*Lætari solùm imperio, te vulnere mortis.*
*Dixit, & hæc animam fugientem in verba trahebat.*

*Talibus*

Talibus attonitus contra nihil Aliger ausus,
His mortem alloquitur dictis, atq. imperat vltro.
Pone animos vesana truces: hanc exue frontem.
Nil opus hîc ferro. Viden illa in pectora quantum
Vulnus agat cuspis, tanti vetus hospita cordis?
Adde manum capulo, pulsuq. adnitere lento,
Atq. adytis animam tantis exclude volentem.
Obstupuit, tantæ metuens diuortia vitæ,
Immitis Libitina; sacri nec pectoris arcem
Attentare audet. quamquam ensem inspexit acutum
(Infelix pignus Nati post fata relictum)
Vulnere defossum, penitusq. in viscera lapsum:
Horruit illa tamen, natiuum excussa furorem,
Obriguitq. manu, telumq. vrgere tremiscit.
Iamq. fugax detrectet opus; nisi Diua morantem
Increpitet, nutuq. iterumq; iterumq. lacessat.
Iam vetitas timet illa moras; iam territa iussu
Sponte inuita subit iaculo, & leuis impulit ictum,
Absoluitq. animam, cursumq. auersa retorsit.
Stabat, & aduerso moribundam lumine matrem
Filius obseruabat, apertisq. obuius vlnis
Pandebat roseo reseratum pectus Eoo.
Scilicet optatam ad sedem, atq. adyta vltima cordis
Voce vocat: iam iamq. sinu, iam lumine captat

*Fortunatam animam; cum protinus illa, relictis*
*Artubus, amplexu & toto hauriit pectore natum.*
*Qualis vbi in sylua, & nemorosi carceris vmbra*
*Deprensum captiua pedem si forte columba*
*Seruitium longum ingemuit, desertaq. quondam*
*Pignora; syluano licet irrita præda rapaci.*
*Namq. vbi libertas respexit sera gementem,*
*Et iam votiuis cœli spatia ampla querelis*
*Emeruit; laqueo victrix luctata proteruo*
*Euolat, & nido reducem se sistit in alto.*
*Quis memeret, primo occursu quæ gaudia mentem*
*Extulerint! quàm læta animis illapsa voluptas!*
*Tum verò in numerum festas attollere voces*
*Cælicolæ affusi circum, plausuq. frementes*
*Alternos agitare choros, & carmine carmen*
*Hortari, pulsuq. fides animare canoras.*
*Ingeminat vox vna modos audita per omnes,*
*Venit io, festinat io, Regina triumphum:*
*Soluite felices vaga nubila, soluite cursus.*
*Diua veni: stabis rutila redimita corona.*
*Cede iugis: sat culta tibi montana Saniris.*
*Linque supercilio syluosum Hermona supino,*
*Et Libanum, & sæuis habitata cubilia pardis,*
*Et virides Amani colles. fuge, Diua, leonum*

*Tuta lares. non ille tuum furor amplius agnum*
*Auferet, aut pauidam quatiere rugitibus aurem.*
*Solue pedem ventura tui super ætherčis axem,*
*Aura fauet: cedunt hyemes: exuta niualem*
*Canitiem, verno pubescit germine tellus.*
*Te superi matura vocant connubia Regis,*
*Et thalami, & nitida laquearia texta cupresſu,*
*Et rosei fulcra alta tori. date munera nuptæ*
*Aurea vincla comæ, sed vermiculis argenteis*
*Illusura auro, gemmarumq. aspera textu.*
*Tum diuina canunt sacrati vota pudoris,*
*Dona olim data prima Deo, data vincula cœlo.*
*Hinc partum in terris numen, pacemq. redemptam*
*A superis, & firma datas in fœdera dextras.*
*Nec minus interea defunctum lumine corpus*
*Bis senûm pia turba patrum, & socia agmina curant;*
*Et triste officium lacrymarum, & funera mæsti*
*Ad tumulum multa celebrant solennia pompa.*
*Tertia iam terris Aurora illuxit, & auræ*
*Vndiq. concentu superûm, plausuq. resultant.*
*Iamq. altos Regina parat conscendere currus;*
*Cum prior affari natum, & sic læta precari.*
*Tantum vltra largire fidem! tua munera tanto*
*Vbere promissum superant! fruor ebria vultu*

*Nate tuo, semperq. nouo torrente redundant*
*Gaudia. qui tantum poterant sperare labores?*
*Nosco animum, nosco generosi fœnus amoris.*
*Nec tamen, hæc auctus quamuis affusa recentes*
*Lætitia ingeminet, menti vetus illa voluptas*
*Exciderit, qua te quondam complexa fruebar*
*Componens manibusq. manus, & pectore pectus.*
*Nunc illos artus, illos, tua vincla, lacertos,*
*Atq. illos, tua claustra, sinus excussa laboro*
*Complexu in medio, dum corpus inutile tactu*
*Sæpe tuos frustra repeto intractabilis vmbra,*
*Et repeto tamen vmbra sinus. tua vulnera felix*
*Aspicio genitrix. tu non illa vbera contra,*
*Quæ puer hausisti quondam: non lumina matris*
*Illa vides: non ora sono componimus æquo.*
*Hic Deus arridens. At tu ne sola venires:*
*At socios artus gereres, quod posse iubebam.*
*Nec plura. Aspectant superi Regem arridentem.*
*Scilicet & risum agnoscunt, nec voce moneri*
*Expectant. subitò ad tumulum, veluti agmine facto,*
*Aligerûm glomerata manus procul æthere toto*
*Præcipitant, sanctumq. cauo de marmore pignus*
*Subnixum excipiunt nimbo, & Thaumantide fulua*
*Exanimum Diuæ corpus. sed pallida frustra*

*Ora, nec obductum superat mors irrita numen;*
*Luminaq. audaci nequicquam obliterat vmbra.*
*Tantùm animat formosa suos post funera virtus.*
*Spirat adhuc viuo tantum assimilata sopori*
*Maiestas generosa, & cedere nescia fato.*
*Quale micat, pleno Phœbum si Cynthia vultu*
*Accipit aduersum, & celeri subuecta quadriga*
*Fraternum vix orta diem mentitur Olympo.*
*Tale redit clausa productum corpus ab vrna*
*Immortale, augustum, æternum, & lumina vibrans:*
*Sic superûm latè circum plaudente corona*
*Euehitur; sed luce sua. stant fulta supino*
*Vallatu famulantum, aut qua virtute ministra*
*Brachia, complexum veluti porrecta lacessant?*
*Inq. sinus offerre sinus, inq. oscula credas*
*Oscula. sic muto facies asseruit amori,*
*Et tali officio nutus affingit honestos.*
*Vt ventum ad germanam animam, Diuamq. sororem:*
*Illa suas porrecta manus, & compare vultu*
*Fraternos simul aspexit; simul induit artus.*
*Ergo auram rediuiua nouam, & noua lumina vitæ*
*Accipit. æterni veniunt in pectora sensus,*
*Pectora, quæ pleno concepti numinis haustu*
*Irradiant flammata Deo, cœlumq. serenant.*

*Quale solet, pura nubes quæ cogitur aura,*
*Aduersum accipere, & radijs effingere Solem;*
*Æmulaq. alternis cœlo colludere flammis.*
*Haud aliter conceptum alto sub pectore numen*
*Emicat, & latè ardentem discriminat auram.*
*Itur in amplexum nati, notosq. recessus*
*Pectoris. hîc omnes posuere sedilia curæ.*
*Dicite vos, fandi vobis si tanta facultas*
*Cœlicolæ (vidistis enim, & memorare potestis)*
*Ecquæ tempestas gaudiorum amplexibus illis*
*Ingruerit? quanta capti dulcedine sensus?*
*Qui risus animorum? alternaq. pectora quantis*
*Plausa cupidinibus, quantos luctata per ignes?*
*Hæc inter, Natumq. vnà, Diuamq. parentem*
*Aliger excepit currus, cui colla subacti*
*Dant celeres alis bijuges, animæq. volantes.*
*Bis gemina verò subtus pro mole rotarum*
*It quadruplex toto versatilis aëre Titan.*
*Stat biga turrita leui, comes vnica nato*
*Diua Deo, læuum lateri latus addita dextro,*
*Materna gaudens humeros contingere palma.*
*Quo Deus obsequio caram dignatus amantem,*
*Et læuam subit, & lateri se immobilis aptat.*
*Ergo iter expediunt promptis exercitus alis.*

*Iamq.*

*Iamq. nouo se castra mouent cœlestia plausu.*
*Insonuere tubæ, totumq; à sedibus altis*
*Attonat, & resono cœlum clangore resultat.*
*Tolluntur medios vndantia signa per Euros.*
*Nec mora: sidereis passim data lora quadrigis*
*Dant facilem cursum dociles ad fræna vocari*
*Flammæq. Zephyriq. & lumine picta sereno*
*Nubila, flagrantesq. vagis ardoribus auræ,*
*Nubiuolis auræ pennis, & præpete cursu,*
*Viuida vis, & lene fugax, & flamine rauco,*
*Sollicitans socios animata sonoribus ignes.*
*Stant Superi aërijs in puppibus; & noua semper*
*Fœdera concentu variant; passimq. loquaces*
*Conspirant auræ in numerum, nec dulce remittunt*
*Dissidium vocale ebur, & spirabile carmen*
*Dulcisonûm lituorum, & suaue trementia vocum*
*Ludicra, neruorumq. & mille fugacibus inter-*
*Valla modis iterata, & fila loquentia plectro.*
*Hos inter, fremebunda cohors, mille agmina Diuûm,*
*Aërias ambire plagas, & quærere longis*
*Orbibus ascensum, & gyrum transcendere gyro.*
*Sicut olorifero Mæandri si quis ab alueo*
*Aspicit aërio lætantes agmine cycnos*
*Sæpe coronato paulatim assurgere cælo,*


*Et procul ad summas per gyrum euadere nubes.*
*Haud aliter spatijs ingentibus aera cingunt*
*Cælicolûm exultans acies, atq. orbibus orbes*
*Exuperant, cursuq. Polum, cantuq. coronant.*
*Ecce propinquabant cœlo, & iam cominus aurea*
*Tecta micant æternæ vrbis, radiataq. gemmis*
*Limina, & ardentes stellato cardine postes.*
*Iam stratas adamante vias, & sidere texto,*
*Luciferosq. altè structos pro marmore secto*
*Conspiciunt. altæ pandunt adyta vltima portæ.*
*Hic numerus regnantum ingens; quot millia nusquam*
*Vlla ferent hominum terris, aut vlla tulerunt*
*Secula, nec totidem numerant maria omnia fluctus.*
*Præfulgent omnes habitu, & candore niuali.*
*Siderei vultus iucunda luce renident:*
*Et roseam gemmata comam diademata cingunt.*
*In manibus nitidæ, victorum insignia, palmæ.*
*Plausus vbiq. ingens, & multisono modulatu*
*Gens varijs operata choris. ergo agmine festo*
*Effundunt sese portis, & conscia cantus*
*Fœdera cum socijs, atq. obuia gaudia iungunt.*
*At procul ex summis adytis (iubar vnde coruscum*
*Ingeminat, spissoq. venit lux mißilis ictu)*
*Iam genitor sese è radijs, & luce profunda*
*Obtulit,*

Obtulit, oſtentans vultum, & vibrantia Soles
Ora ſuos. rutilum circa iam lumen hebeſcit,
Et cinctam offuſa credas caligine lucem.
Crebreſcunt ſubitò ſonitus, animiq. frementum.
Iamq. orſis animoſa nouis diſcrimina vocum
Altius exultant; veluti modò nulla fuiſſent
Gaudia, vel nullo fremuiſſent agmina plauſu.
At quò Phœbe ruis? quò nos par vile tubarum
Ingerimur, quà ſe tot agunt clangentia Diuûm
Millia, quà reſoni vertex diſſultat Olympi?
O nimium ſemper, numquam ſatis auſe canendo,
Dum ſuperis inferre choris tua Mænala certas:
Ludimus eluſi iamdudum; & magna ſecuti
Vana laboramus, neq. adhuc deſiſtimus orſis.
Quòd ſi dignus amor venia, vel ſi quid amanti
Legibus audendum proprijs; tu Diua potentum
Cœlicolûm vna potens, audaci ignoſce Camœnæ.
Quidquid id eſt, dum te canimus tua regna petentem,
Siue ereptam oculis proles deſerta parentem
Proſequimur gemitu, ſeu vectam ad ſidera Diuam
Suſpicimus pauidi, & ſacris aduoluimur aris;
Accipe confuſum lacrymis, & carmine votum,
Et genus hoc miſerum, & terras miſerare relictas.

# In B. Franciscũ Xauerium è Societate Iesu.

PANEGYRIS

VII.



*T quid iners animi nobis, & præpete penna*
*Cassus amor? quæ vincla pedum, quæ causa morandi*
*Ire vetat, cursumq. metu deterret inani?*
*Exulat in patria, patriam qui linquere tanto*
*Abnegat auspicio, & formidine vota gubernat.*
*Non hæc, ò socij, nobis data regia: non hæc*
*Vera domus, quamuis natalibus hospita nostris.*
*Vltima nos Ophire, & Gangetidis Amphitrites*
*Ora vocat, latiq. parens Aurora diei.*
*En procul aurati nobis lucentia Phœbi*
*Limina panduntur. stant verso cardine postes,*
*Accessumq. ad regna parant, & nocte fugata*
*Luce viam rutila monstrant, cursumq. serenant.*
*Illic vera domus, generi quam numina nostro*
*Conci-*

Scripta panegyris est in gratiã sociorum, iter in Indiam ad earum gentium salutem affectãtium. Hinc illa toto passim inculcata poëmate, de Indica profectione parænesis.

*Conciliant: illuc æterni in fœdera regni*
*Ire iubent latios nostræ Sirenis alumnos.*
*Illam Erebi quondam leges, & signa secutam*
*Progeniem, nunc in mores traducit auitos*
*Relligio, & reduces animas transcribit Olympo.*
*Et gentem iam lege nouat, regnumq. reuisit.*
*Quæq. olim, amißis patriæ custodibus arcis,*
*Cesserat imperio, populos exosa rebelles;*
*Nunc rursum antiquas inter caput extulit vrbes,*
*Et posita secura domo, iam liberat aras*
*Seruitio, & meritos Diuis instaurat honores.*
*Iam sceptris intenta nouis, iam læta secundis*
*Auspicijs cæptorum operum, & felicibus orsis,*
*Delubra alta colit victrix, & cara suorum*
*Ora recognoscit, seq. in sua iura reponit.*
*A duce deficiunt Stygio longo ordine gentes.*
*Illa ardens operi, & regnis instare futuris,*
*Mille ciet famulantum acies, & mille tonantum*
*Ora virûm, qui vera canant, qui certa malorum*
*Effugia, & superi præpandant limina regni.*
*Stant cinctæ populis circum acclamantibus aræ,*
*Perpetuis Arabum donis, & fruge calentes*
*Aßyria, votiq. reos ad munera damnant.*
*Iam positæ templis leges, & iura precandi*

*Deturbant longè grassantem in limina Diuûm*
*Regnatorem Erebi, & sacris penetralibus arcent.*
*Paulatim humani redeunt in pectora mores,*
*Pectora tartareo quondam regnata furori,*
*Et Stygis imperio multum temerata nefando.*
*Illa domus nobis; illic fas altera Diuis*
*Regna peti; casus illuc fas ire per omnes.*
*Longa via est; seram errandi dant æquora metam.*
*At quid inaccessum Superis? quid pergere durum est*
*Quò pietas, quò fata vocant, quò cælitis auræ*
*Flamen agit cursum, & fortunam auertit iniquam?*
*Ductor adest, qui certus eat, qui sponte periclis*
*Imperet occursu, & sortem virtute secundet,*
*Saberius. Quæ fata obstent? quas inuida tendant*
*Insidias? en ille viam fortunat eundo*
*Punicei primus nobis monstrator Eoi.*
*Ille aditus rerum tantos, & prima laborum*
*Tentamenta subit, pelagoq. immane furenti*
*Primus inexpertam gaudet committere vitam.*
*Vsque adeo fortes animas, & conscia cœlo*
*Pectora fatiferi metuunt irrumpere casus.*
*Illum emensus Arabs, illum superatus Atlantis*
*Oceanus vidit fines intrare repostos*
*Memnonidûm, & Phæbo sacras Orientis arenas.*
*Olli*

Olli nos comites tantorum operũmq. laborumq.
Accinctos cursu numen iubet ire sequaci.
Quis pudor, aduersam fortunam animare timendo?
O nunquam indecores animæ, ne fallite tantam
Spem generis vestri, & fatis instate paternis.
Quid nunc ille rogat Diuos? quæ sospitis auræ
Auxilia implorat Nabathæa solus in acta?
Scilicet Italiam, & fines meditatus Iberos,
Vela vocat sociûm, sociûm per littora nomen
Explorat; simul externam Notus appulit alnum.
Quin etiam (ah quantum cœlo fors inuidet!) illum
Aspicite (ò si qua est animis generosa cupido,
Si quis honos, si vera fides, si cura tuendi
Numinis) aspicite, affectis vt viribus heros,
Æger, inops rerum, solo decumbit in antro
Fusus humi, & stipulas inter proiectus agrestes.
Ah nimium fessos tabes inuasit in artus,
Afflixitq. solo vires, & debile corpus.
Et sociûm solamen abest, & cura medentum
Nulla parat studio pestem lenire salubri,
Nec lectas accincta dapes, & dona ministrat.
Iam faciles morbo neruos facit acris egestas,
Debilis auxilio, vitæ immemor, aspera cultu,
Quæ tenuem victum indigno dat munere mensæ.

*Non illuc vllæ veniunt à Pæone merces,*
*Nulla Machaonios virtus quæ venditet vsus.*
*Vix laceris aptum tectis, & poste reuulso*
*Hospitium, nuda languentem excepit arena;*
*Ni fors ipsa torum folijs, & fasce palustri,*
*Littoreosq. vlua cumulos, & virgea culmo*
*Stramina syluestri, & stipulæ substernat aceruos.*
*Hic ille abiectum duro latus aggere fulus*
*Triste iacet; nec rebus adest, nisi languor, egenis.*
*Ipsa etiam, si qua est notæ vicina gentis,*
*Mente licet fida, studio nihil vtile versat*
*Artis inops: vrget rerum penuria pestem.*
*O decus Hesperiæ quondam, dum prima iuuenta*
*Forma nitet, Martemq. nouus citat ardor auitum,*
*Et tua barbaricæ fouere cubilia vestes,*
*Perq. coronatos visum splendere penates*
*Sidonio pictum fuco velamen, & auro.*
*Et tibi regali fulsit domus inclyta gaza,*
*Turritas ambita fores, vndante corona*
*Mane salutantum, & iussis adstare frementum:*
*Te Charitum fouere sinus, pulchrumq. decorem*
*Afflauere oculis, & ouantes indole mores*
*Egregia, & stimulis dulces cum mollibus iras,*
*Et bello faciles, & amantes ardua vires.*

*Te quoque, te procerum lectæ videre cohortes*
*Diuitias inter proauûm gestire superbas;*
*Et teneros animantem æui florentis amores,*
*Laudis ad æternum patriæ succedere culmen.*
*Qualis eras, ah magne tui contemptor, & antri*
*Incola littorei! quem te contemplor! at olim*
*Quantus eras, quàm largus opum, quàm diuite censu!*
*Et quibus heroum titulis, qua prole potentum*
*Fœta domus, quæ te tantum suscepit alumnum!*
*Quem tibi quis fortes dextræ insuperabilis artes*
*Exercere parem, aut primo te vidit honori*
*Posthabitum, pulchra iuuenum certare corona?*
*Seu iuuat ardentem saltu librare iuuentam,*
*Seu rapidum celeri cursu præuertere Martem,*
*Seu clypeum, seu tela manu vibrare coruscą;*
*Prælia seu duræ tentas ludicra palestræ;*
*Magnanimosq. cies alacri certamine lusus,*
*Æmula prosternens aduersæ robora pubis;*
*Seu dulci modulata choro vestigia flectis,*
*Arduus in numerum gressus formare decoros.*
*Nec te non syluæ, nec te non alma Dianæ*
*Regia correptum illecebris, & amore pharetræ*
*Vidit equo sublimem altos irrumpere lucos,*
*Et cursu terrere feras, & fallere telo.*

Nec minus excitum ſtudij popularis, & auræ;
Cum te ducentem longos per compita cætus
Heſperiæ videre vrbes, primosq. ſequentum
Affatu pendere tuo; ſeu iuſſa capeſſant,
Seu diuina petant magni reſponſa Lycæi,
Ardua dum Graiæ reſeras arcana Mineruæ.
Ecquis amor Martis! cùm te pulcherrimus alto
Fulmineum componis equo, ſubigisq. frementem
Stare loco, glomerare fugas, conſcendere ſaltu
Turbineo ſublimem auram, & colludere ventis;
Mox alta ceruice datos pede ſiſtere gyros,
Tum furijs actum pernicibus ire per æquor
Immenſum ſpatio, & curſus iterare volucres.
Talibus ardentem ſtudijs, & tale micantem
Ingenio (proh quanta tui cuſtodia Diuos
Sollicitat!) non vlla dolo te cepit Erinnys,
Nulla Venus, nulli tetigere Cupidinis ignes;
Quanquã opibus, quãquam luxu domus ampla ſuperbo
Affluerct, nec ſe obſequij præberet auaram,
Aut votis comes ire tuis fortuna negaret,
Quo te cumq. vocat placidæ indulgentia mentis;
Seu varios effuſum aurum depoſcit ad vſus
Prodiga libertas animi; ſeu mollibus ætas
Illecebris genium exultantem incauta laceſſit;

Siue

*Siue animos optas hominum vincire merendo,*
*Et Charitum primos ambis donator honores;*
*Seu libet affusa famulantum incedere pompa,*
*Atque agere imperio venientem ad iussa cohortem*
*Seruitio facilem, & nutus pro lege sequentem.*
*O caput æternis famæ dotale triumphis*
*Et proauûm magnos inter noua gloria fastos,*
*Quis te nunc illo deiectum culmine rerum*
*Casus habet? te ne ignota contemplor in alga*
*Depositos languentem artus ad limina mortis!*
*Tanta ne Tithoni populos, Indumq. rebellem*
*Cura fuit patrio reuocatum adiungere cælo,*
*Et socium quondam superis genus ire redemptum;*
*Ah quanta mercede tui, quo pignore vitæ!*
*Nec vice te rerum tali ne rere beatum;*
*Quin age fortunæ melior contende priori.*
*Cerne animo, quæ te superûm promissa vocabant;*
*Cum tibi regificos vitæ præcidere fastus*
*Optasti; pulchrumq. æui labentis amorem*
*Mente relegatum, cæli sub vincla dedisti.*
*Fortunate virûm, potuit cui dulce videri*
*Exilium patrijs à sedibus, & fuga tanti*
*Nominis, & tam dura nouæ primordia vitæ;*
*Tantum audere animis, tantum succedere Diuis*

*Ingenio, factisq. dedit pulcherrima virtus.*
*Illa suo instinctu, & cœlestibus excita iussis,*
*Tot quondam indigetes, paribus quoque casibus actos*
*Fortunam lacrymosam inter, durosq. labores*
*Extulit, & durum per iter dux intulit astris.*
*Teq. adeò illorum mores, & facta secutum*
*Thure pio quondam, & positis dignabitur aris.*
*En despecta tibi tua laudis adorea creuit*
*Pulchrius, occultumq. hausit diuinitus æuum.*
*Te ne ego tam vili desertum in straminis herba*
*Despiciam, supremà licet tam rebus in arctis*
*Spirantem, & nullo non munere sortis egentem!*
*Ah tibi si qua vnquam clementia numinis addat*
*Me socium, & tecum nuda proiectus arena*
*Quamlibet indigno doleam sub verbere fati.*
*Hanc mihi, cœlicolæ, certo spem ducite cursu,*
*Et partem hanc laudum faciat mihi fama supremam,*
*Nec supra inuidiam ferri me longius optem.*
*Macte animis ad facta nouis ingentia victor,*
*Langueat afflictum quamuis, & inutile corpus.*
*En tibi nos iunctum genus, & cognata propago,*
*Et lectum ex ora patriæ Sebethidis agmen,*
*Te sequimur, te vela nouis damus auspice ventis;*
*Et tecum in longum excidium nigrantis Auerni*
*Conspi-*

Conspirare auidi, sanguis tuus, vltima Mundi
Hospitia, & primo terras Oriente repostas
Accincti peragrare, tuis succedimus orsis.
Si qua vicem statio, aut vigiles custodia poscit,
Pars tibi si cœptorum operum vacat vlla ministris;
Suffice nos. et nostra tuis manus æmula factis,
Et vitæ contemptor honos; nec stirpis auitæ
Degeneres animæ nobis, aut sanguinis error.
Da consanguineo generi, Pater optime, dextram:
Nosce tuos, Marti data nomina Loiolæo,
Et vires confessa pias, & prodiga vitæ.
Ergo inter primos quondam tua signa sequentum,
Nos etiam domus alba die nascentis, & auro
Picta vagas Matuta rotas, & ianitor æui
Lucifer, aurato torquens à cardine cœlum,
Excipiet, lætosq. tuo dabit ore potiri.
Et si quid fortuna parat, quod vincere durum,
Sat vitæ diuina tuæ dum viuit imago,
Spem regit, & cœlo nobis iter indice signat.
O, quibus hanc Diui partem posuere laboris,
Felices Ignatiadæ! vos omine tanto
Iam vocat; & lectum cæli seducit in agmen
Alma fides, magno superûm desponsa parenti.
Vos, quibus hoc sperare datum, præcurrite sortem

*Consilio. Quid vota iuuat languere morando?*
*Digna viris audete viri, dum Numen agit res.*
*Cedendum patria, & cursu maria alta secandum*
*Ad Garamantæam sedem, & Titania regna,*
*Gangaridûm fines vltra, quà Caspia Taurum*
*Alluit, & fluctu rapidum Thetis haurit Araxem.*
*En vbi dux generis tanta hæc ad præmia nostri,*
*Æger agit nudo deiectum in littore corpus,*
*Et vocat auxilio gentem, si qua agmina bello*
*Sufficiat, cœptamq. truci cladem integret Orco.*
*Sæpe iacens, cupido vastum procul æquor oberrat*
*Lumine, suspirans aduentum, & cara suorum*
*Ora pater, gemitusq. animam trahit inter anhelos.*
*Et quanquam incubuit fessis inimica mali vis*
*Artubus, & nullam permittit sæua quietem;*
*Ille tamen meditans cœpti suprema laboris,*
*Instat adhuc, nec certa sui dispendia curat,*
*Aut immite malum, aut vulnus lethale senectæ.*
*Scilicet ad voti summam per tela, per hostes*
*Instimulans operosam animam, nil posse ferendo,*
*Nil ausu tentare nouo, nil vincere nescit.*
*Nec satis Eoæ quantum telluris obiuit,*
*Quantum animæ audendo, quantum prodegit amando.*
*Nil memori visum, quicquid per deuia ponti*

*Ante*

*Ante laboratum; quicquid per inhospita regna*
*Exitij, seu ferre dedit, seu spernere virtus.*
*Illa etiam ex animo facies tam dira recessit*
*Cladis Hyperboreæ. Vos factum euoluite fando*
*Cœlicolæ, nam vestra fuit medicina, iacenti*
*Addita; dum sæuum longus dolor vlcus inurit,*
*Et fracto recidiua labant vestigia cursu.*
*Vos medicas aptastis opes, & vestra dolenti*
*Dextera cœlesti lita vulnera fouit oliuo*
*Molle rigans, tersitq. malum, viresq. refecit.*
*Ecquis amor, quæ cura viro, sic prodere tali*
*Sternendam exitio vitam, nec mollibus vltro*
*Tam durum in sese stimulis vrgere laborem!*
*Nempe viæ non dura satis comes ibat egestas,*
*Quæ victum ancipitem longas tenuabat in horas,*
*Tam rebus diffisa suis, quàm credula cœlo,*
*Nescia cœlestum hospitio peregrina videri.*
*Non sat erat tantum cursu tentare pedestri,*
*Et rigidas Geticis à finibus ire per Alpes;*
*Dum glacies terris altè consurgit opertis,*
*Riphæamq. hyemem vis intempesta Trionum*
*Aggerat, & pigro duri stant frigore fluctus.*
*Ipsum alias iuuat ex alijs accersere pœnas,*
*Vltoremq. sui nimirum, aut vindice voto*

*Omnibus indulgere malis, aut cælite nutu.*
*Ergo iter vrgebant nudos adstricta lacertos*
*(Tormenti genus) ærata sub compede crura;*
*Arctaq. complexu nodorum, & cannabe torto*
*Pressa dolent, cinctuq. tument admorsa tenaci.*
*Hos ille in laqueos, atque aspera vincula sese*
*Carpendum, & rigido morsu, pressuq. domandum*
*Induerat nodis, & tortilibus labyrinthis.*
*Hoc vitam instituit plagarum horrore piandam,*
*Ne quid amet non triste pati. nempe vna voluptas,*
*Vna animum tangit nunquam importuna cupido,*
*Vt pœna crudescat iter, semperq. recenti*
*Supplicio properandum inter via carpat euntem.*
*Ah nimis inter acerba potens amor, & sua solus*
*Tentamenta sui nunquam satis ardua credit.*
*Sæuit atrox penitus membris inflicta cicatrix.*
*Loraq. iam sensus vitam rimantur ad imos.*
*Vincta per ancipiti nexus ambage latentes,*
*Et vinclo miseranda lues succrescit edaci.*
*Ille diu tacitum vulnus simulare ferendo*
*Certus iter, cursumq. sequi; licet ægra labanti*
*Succumbant genua, & pestem sufferre recusent.*
*Itur adhuc luctante malo, sensuq. doloris*
*Ingenti succussa viæ labor ilia mordet.*
*Ille*

*Ille iterum tractuq. pedem, nisuq. proteruo*
*Sollicitat, damnatq. moras, lapsuq. relapsuq.*
*Inualidos redimit vano luctamine gressus.*
*Quid tanto, generose, negas parere dolori?*
*Sit virtus inuicta licet, non illa iubenti*
*Naturæ promittit inexorabile pectus.*
*Iam vice suprema (visu miserabile) corpus*
*Alternat passu vestigia rara caduco.*
*Et tandem extremis inhians conatibus heros*
*Succidit assurgendi impos, fessusq. resedit.*
*Quid faciat? neque enim lapso iam corpore vires*
*Sufficiunt: ingens imis dolor oßibus ardet.*
*Stat rigor, & læsos vinclorum immane volumen*
*Corripuit neruos, atq. artubus hæsit adesis.*
*At sociûm dilecta cohors absterrita visu,*
*Stat circum, afflicti casum miserata sodalis.*
*Illum intra hospitium portant, sedesq. propinquas.*
*Mirantur tenerum mordentia cingula corpus;*
*Quæ dudum exesis laxari nescia membris,*
*Ad viuum infindunt vlcus, cæcamq. sepultis*
*Nexibus in seriem, sua se in vestigia condunt.*
*Vulnus hiat: circumq. altè liuorq. tumorq.*
*Iam capita occuluit multum nodosa reuinctæ*
*Compedis. illa altos intra se condidit artus;*

*Et miserè accisum rigida femur arcet habena.*
*Nec via pæonias quicquam tentare per artes.*
*Ipsa reformidat virtus consulta medentum*
*Attrectare manu genus intractabile morbi,*
*Aut dubia cæcos ambage retexere nodos.*
*Ilicet à Superis (vnum hoc sperantis asylum)*
*Expectanda salus. nec auarum ad munera numen*
*Ille ratus (neq. enim Diuûm solamen egenti*
*Vsquam aberat) rogat auxilium, & cæleste leuamen.*
*Nec sociûm desit votum commune precantum;*
*Et pietas, & freta Deo fiducia rerum,*
*Nescia successus voti sperare sinistros:*
*Nec fuit orantum precibus spes irrita iustis.*
*Ecce leuèm tacita carpit dum nocte quietem*
*Æger, amans pœnarum, & vulnere lætus acerbo;*
*(Vera fides, & rara noui miracula casus)*
*Iam diuina manus (nam quæ potis altera virtus?)*
*Nocte sub obscura pesti insidiata malignæ,*
*Molle subit fesso, & languentibus addita membris,*
*Mulcet inobseruata malum, viresq. redonat,*
*Et laceros vinclis mordacibus exuit artus.*
*Omnis abit subitò membris dolor: ipsa repente*
*Vulnera vanescunt nodis obducta solutis.*
*Nox abit, & placido soluuntur lumina somno,*

*Vnà oculis affusa dies, animoq. voluptas*
*Orta repens, inopina, ingens. nec credita menti,*
*Instaurata salus membris, & reddita virtus.*
*Proripit ille toro sese integer; inq. solutos*
*Haud mora prosiluit rediuiuo poplite gressus.*
*Sentit opem, sentit cœli mirabile donum,*
*Excussamq. luem, & reduces à funere vires.*
*Stat pede subnixum intrepido modò labile corpus,*
*Nec durum detrectat iter, longumq. laborem.*
*Acciti simul insueto clamore sodales,*
*Accelerant, plausumq. & conscia gaudia iungunt.*
*Mirantur surgentem illum, mirantur euntem,*
*Nitentemq. solo, & vestigia firma mouentem.*
*Vincula cum nodis femori delapsa recisis*
*Tollere humo, & tantis gaudent vix credere monstris.*
*Vulnera discipiunt; sed iam vix vlla supersunt*
*Signa, fidem morbi quondam factura prioris.*
*Ergo instant Superis dignas persoluere grates.*
*Supplicibus sanctum obsequijs ad numen ouantes*
*Lætitia, plausuq. nouos dant carmine cantus,*
*Et qua, fas mortale sinit, vice dona rependunt.*
*Olli primus amor, studijsq. accensa cupido*
*Gratari cælo, & diuinum agnoscere munus,*
*Propitiumq. alto prospectat pectore numen.*

*His ille auſpicijs quantum ſe credere cælo!*
*Et quantum à ſuperis didicit ſperare precando!*
*Quantum obſtare malis, quantos contemnere caſus!*
*Hinc procul Auroræ populos, atq. vltima Cauri*
*Regna petit, curſuq. ſonantem aduectus Hydaſpen,*
*Tot vada victrici Neptunia traijcit alno.*
*Non illum Oceani rapidæ videre procellæ*
*Alternantem animo curas, aut molle trementem;*
*Quanquã abrupta freto trepidantem aſſultat Olympum*
*Tempeſtas, ſæuitq. minis immane profundum.*
*Illum inter pelagi fremitus, cæliq. ruinas,*
*Nauifrago quamuis fluitantem errore carinæ,*
*Et trepido nullos ſperantem à remige portus,*
*Illibata quies, & amicis conſcia Diuis*
*Spes animat, dubijsq. vetat ſuccumbere curis.*
*Quid pietas animoſa nequit ſuperare ferendo?*
*Vos quoque ſenticomi vepres, & ſpicula duro*
*Ceſpite, quæ ſaltus inter ſylueſcitis Indos,*
*Ah quoties illum ſtimulis liueſcere veſtris*
*Ictum, & ſanguineo vidiſtis rore madentem!*
*Crimen, amor diuine, tuum; ſi crimen habendum eſt.*
*Namq. pijs animum curis, & cælite flamma*
*Correptum dum forte gerit, ſecumq. volutat*
*Vberius ſolito lapſum in præcordia numen;*

*Ibat*

*Ibat inexpertum per iter, quà casus eunti*
*Dux erat. horrebant altè prærupta viarum*
*Vulnificis prætenta rubis, & caute fragosa.*
*Ille vbi taurino vestigia nudus amictu*
*Per nemorum dumosa viam nimis anxius vrget,*
*Nec meminit, quantus cœli rapit ardor euntem;*
*Dat sese abreptum incessu, quà deuius error*
*Palantes adigit rapido ceu turbine gressus:*
*Quanquam stipitibus passim rigor hirtus acutis*
*Vulnerat occursantem, & vulnera nulla cauentem.*
*Dumq. alacres inter Diuûm bacchatur amores*
*Ebrius, inq. nouos inhiant cita pectora sensus;*
*Illum diuini mens acta cupidinis oestro*
*Dulcibus instigat furijs, & præpete raptu*
*Errabunda citum trahit in vestigia corpus,*
*Nec dolet illidi saxis, passimq. retundi*
*Saucius obiectu ramorum, & robore duro.*
*Obuia procurrit securum in vulnera pectus*
*Roboreis pulsum obijcibus, nec sentit inermem*
*Per loca senta pedem iam dudum errare cruentum.*
*Sæpe etiam sese prono sinit impete lapsum*
*Ad terram ruere, & fragiles vix erigit artus.*
*Quin etiam hyberna nunquam defensus ab aura,*
*Dum premit horrentem glaciem, cursuq. niuosos*

*Montesq. camposq. petit, quà turbida cælo*
*Squallet humus pluuio, & multùm Ioue pulsa tonanti*
*Sæpe pedem rigidæ torpentem horrore pruinæ,*
*Lapsantemq. solo, & correptum frigore neruos*
*Destituit, longùmq. gelu stetit obsitus vdo,*
*Ingressumq. tremens, & inutilis ire, repreßit.*
*Hæret agens sese nequicquam, & viribus audax*
*Indubitat, frustraq. viam, cursumq. reprendit*
*Inualidus. tandem afflicto se poplite raptat,*
*Et niue prolapsum in media vix tollere corpus*
*Sufficit. adstricto steterunt cum sanguine vires.*
*Quid memorem exactas opera inter sedula noctes;*
*Dum medicam molitur opem, dum curat egentum*
*Triste laborantes fœda contage cateruas?*
*Nec minus exhaustum curæ, dum Tartara victor*
*Depopulans, lustrat sacris, & fonte salubri*
*Primitias cari generis; primosq. nocentum*
*Impia pertæsos vitæ commissa prioris,*
*Sollicitat Stygijs animas exoluere vinclis;*
*Nec fugit hæc inter solertis munera vitæ,*
*Perpetuos, nulla mensæ vice, ducere soles,*
*Nec labor in magnis, quanquam vel maximus, ille est,*
*Iactatam ignotas vitam traxisse per vndas,*
*Nil dubijs pauitantem ausis, aut corde caduco:*

Et

*Et matutinis ardentem solibus Orbem,*
*Caucaseumq. accesse iugum, & Vulcania regna*
*Nigrantum Æthiopum, & cognati Memnonis oras.*
*Quid rapidis fractas vndis, & gurgite mersas*
*Auxilio seruasse rates? strauisse tumentem*
*Neptunum, & tantum Superos concesse precanti?*
*Quid tantis (ò rara fides) tam pectore læto*
*Insurrexe malis? nulli subtraxe periclo*
*Indefessam animam, & tot funera præteruectam?*
*Quid nullis cedentem illum feruoribus anni*
*Tantum olim per iter, toties sudore liquentem*
*Aspra per & saxis, & iniquo ardore dierum*
*Lustra fatigatum medio sedisse sub æstu,*
*Ora siti exhaustum, & suspensum errore locorum;*
*Nec lenisse famem, & duræ ieiunia lucis,*
*Nec tacitæ noctis partem posuisse quieti;*
*Non ipsum meminisse sui, nec viribus ægris*
*Pæonias accerse manus; nulla otia menti,*
*Nullum operi quæsisse diem sudoris auarum.*
*Hæc animo despecta iacent. nec summa laborum*
*Vltima, tam certi versantem in turbine lethi*
*Attentasse manu tantùm, curamq. suorum*
*Præ vitæ vertisse suæ; mollisse docendo*
*Barbariem horrendam populorum, & ferrea cultu*

*Consilium sub fræna vocat, curamue remittit.*
*Instat, & aduerso nimirum audentior Orco*
*Inconcessum irrumpit iter. Stat, tendere contra;*
*Stat, certa superare manu fastigia rerum*
*Vltima, nec voti partem concedere ventis.*
*Verùm aliter visum superis. nec languida morbo*
*Vita finit, certo spem tantam euadere cursu.*
*Ergo vbi consilijs adimit se tempus, & vltra*
*Supremum incumbit, nec habet iam vita regressum:*
*Ille ratus, frustra proferri fata medendo,*
*Et se lethali victum contage teneri;*
*Supplicibus cœlum palmis, & voce salutat,*
*Mille nouos inhians vitæ cœlestis amores.*
*Tum lacrymans; Equidem venio, nec demoror, inquit,*
*Summe pater. quid enim talem mihi deprecer horam,*
*Si tantùm dignere tuo mea lumina vultu,*
*Et me cœlicolûm sistas ante ora tuórum?*
*Nil erat in votis vltra: tantumq. mereri,*
*Diue, tuum est; sperare meum, & tentare precando.*
*Huc meritis desponsa tuis fiducia nostram*
*Impulit, & pigra soluit formidine mentem.*
*Quanquam, ò, quid nullam subeo ceruice securim*
*Emoriens; nec mille meam per vulnera vitam*
*Accipis? ah nullis venio data victima flammis.*

Hoccine

*Hoccine sub cœlo sperandum immune cruoris*
*Funus erat! mecum imbellis fortuna iocari,*
*Credo equidem, & nullo voluit decernere ferro.*
*Mene hoc hospitio tam lentum, has inter amantum*
*Oppetere illecebras! hæc desidis otia mortis*
*Sortiri, nulloq. animam hanc effundere telo,*
*Nec diros hoc ipse caput sub cuspidis ictus!*
*Nec verò abnuerim quicquid tua, Magne, voluntas*
*Præstituit; quæcunque datur venia vltima vitæ.*
*Si tamen vlterius votis prodire licebat,*
*Aut super vlla fuit morienti optanda voluptas;*
*Ille mihi ante alios felix, & prima secutus*
*Præmia magnorum indigetum, qui sanguine fuso*
*Obsignans tua iura, nouas obeuntia terras,*
*Egregiam pulchra mortem virtute redemit;*
*Seu face, seu ferro corpus, seu vindice fluctu*
*Mulctandum hostiles vltro prodegit in iras;*
*Seu diram ingluuiem, & morsus data præda ferinos*
*Expleuit, furiasq. inter securus agrestes,*
*Horrendum rabie fremitum imperterritus hausit;*
*O ego si vixem numero non alter ab illo,*
*Et pars vna forem tanti, licet vltima, census;*
*Iam voti pars nulla vacet. nec semper abesset*
*Fors capiti tam læta meo, si vita maneret.*

*En stygia munita sera plaga Sinica portum*
*Iam dedit, & magnam subeo Cantonis ad vrbem,*
*An ferro sacer, an flammis? ab vita triumpho*
*Suffice te, & tanto rerum ne cardine cessa.*
*Spira animis, ni fas anima, ni luminis aura.*
*Hæc illum orantem, suspectuq. alta tenentem*
*Lumina, circumstat studio confusa gemendi*
*Turba virûm, & lacrymis morientem affatur obortis.*
*O pater, ecquæ te duri inclementia casus*
*Eripit instantem euerso succurrere sæclo,*
*Fundantemq. manu superis Tithonia regna?*
*Fallimur; an nobis non te fortuna, sed æther*
*Inuidet, & numerum Diuorum augere laborat?*
*Parce oculis tam dulce caput subducere nostris:*
*Parce, potes; ni posse fugis. Venit in tua numen*
*Vota libens. tantùm audiri ne sperne precando.*
*Sin & cælicolûm poscit te dulce tuorum*
*Concilium, & iam te nostro furatur amori;*
*Da dextram, & superas tecum nos tolle per auras.*
*Quo spes nostra loco? quis te solator adempto?*
*Quæue animis non ægra salus? Tu numina nobis*
*Concilias; tu das regno succedere Diuûm,*
*Et stygias nostris prohibes ceruicibus iras.*
*Te pelagi fremitus, fluctusq. immane tumentes*
*Pacant*

*Pacantem imperio, & ventos tua iussa secutos*
*Vidimus. ò qui te vectorem habuere magistri!*
*Quale per insanas pelagi lusere procellas!*
*O cineri illapsura tuo tot gaudia nostra.*
*Scilicet æquoreos nautæ prædiscere casus,*
*Aut rapidos vltra poterunt illudere ventos,*
*Aut timidæ venient, vt quondam, in corpora pestes;*
*Aut aliquis vitalem auram post fata reuisct.*
*Ah quantum exanimas moriens deserta tuorum*
*Pectora! Fors rebus fuerit minus aspera nostris,*
*Si tua nos tecum sub terras funera portent.*
*Hæc illi, & largos mæsto dant lumine fletus;*
*Quos bonus extremis affari vocibus heros.*
*O mihi gens dilecta, meis licet obuia votis,*
*Ne me, oro, tantis defletum amittite curis.*
*Omnibus implenda est huius mensura pericli;*
*Nec certi sub Sole dies, nec longa manendi*
*Conditio. mutanda domus tam flebilis æui.*
*Dulcis ab exilio patriam discessus ad vrbem.*
*Vos illuc æternum, oro, contendite cursum,*
*Quò pietas fert alma pedem, quæ militat astris.*
*State animis; nec me maturum in funus euntem*
*Tam dulci officio, & tantis prohibete querelis.*
*Non mea vos fortuna premet, non vlla voluptas*

*In cineres lapsura meos è pectore vestro.*
*Nec me Relligio quicquam nutabit adempto,*
*Cui longum auxilium longa de stirpe meorum*
*Numina sufficiunt, viresq. ad regna secundant.*
*Aduenient (nec longa dies) qui dulce laborum*
*Fœdus, & hæc rerum tantarum exorsa sequantur.*
*Est mihi cognati generis mansura propago*
*Hesperia in magna, Tyrrheni ad Tybridis vndam,*
*Nomen vbi Ausonium, & Capitoli immobile culmen,*
*Et Vaticani fasces, atque alta parentis*
*Regia Romulei, cui regnum affine Tonanti.*
*Hîc mihi fraternum genus, & nascentis origo*
*Militiæ, cui certa fides, & nobile votum,*
*Res Diuûm in terris fractas, & iura tueri,*
*Si qua labant, rerumq. ægra ditione laborant.*
*Hîc pater æternos fixit Loiola penates,*
*Pollentemq. sacris alta cum stirpe Senatum*
*Esse dedit, viduis Diuûm qui consulat aris.*
*Ille domum, & germana meæ cunabula gentis*
*Instituit, vitæ ductor, legumq. repertor.*
*Olli primus honos, & fortunata laborum,*
*Et patiens operum, & Phlegethonti imperdita virtus.*
*Ille animis pubem generosam haud mollibus ausis*
*Erudiens, cladem æternam iam destinat Orco.*
*Huc*

*Huc alij, genus egregium, & data nomina cælo,*
*Conueniunt, votisq. virum auxiliaribus optant*
*Ire ducem; belliq. vices, & signa sequuntur*
*Vnanimes. Ille ordinibus dat iura coactis,*
*Exploratq. aciem, & cælestibus asserit armis.*
*Crebrescunt numero faciles ad iussa cohortes,*
*Inq. dies veniunt certatim ad conscia gentes*
*Arma nouæ; totusq. in fœdera cogitur Orbis.*
*Atque idem virtutis honos, amor omnibus idem,*
*In Latium iurare caput. Stat Romula sedes,*
*Fons generis, pubemq. serit, legesq. merendi*
*Imponit, moremq. viris, & munera belli.*
*Hinc nostrum in varias nomen transcribitur vrbes,*
*Et toto fortuna domus sedet hospite Mundo.*
*Quale ferunt animas, & eadem à stirpe profectam*
*In sobolem ducuntur apes, & limen auitum*
*Spernere amant. errant totis examina syluis,*
*Et patrios liquere fauos, secumq. per auras*
*Spem generis, regemq. suum, & fata pignora gentis*
*Traijciunt aliò, & peregrina in sede locantur.*
*Suadet amor mutare solum, & natiua voluptas,*
*Non labor exilij, vitæq. ignobilis error.*
*Ergo alit ingenio vires operosa iuuentus,*
*Atq. omnes molitur opes, studia omnia versat,*

*Nequa ſit in terris regio illibata viarum,*
*Neue aliquis curſum lateat locus. Itur in omnes,*
*Quà plaga porrigitur cœli ſpirabilis, oras.*
*Hinc & Hyperboreis quantum ſe finibus agmen*
*Intulit, & regno quantum ſe fudit Ibero.*
*Semper læta nouis ſoboles adoleſcit alumnis,*
*Spe grauis, & longam ſeriem viſura nepotum.*
*Vna omnes ſupra Tyrrhenæ gloria gentis.*
*Nec vires Italas vnus capit Orbis, & vnus*
*Traiecti labor Oceani. non machina laudum*
*Vna ſatis. felix illo venit vbere virtus.*
*Illa acri ingenio præſtans, & dura labori*
*Progenies, & lentam animis exoſa quietem,*
*Nullum operi egregio, nullum auerſata periclis*
*Occurſum, ò quantam trepidi ſpem ſuſtinet Orbis!*
*Nec decus hoc Latio ſolum, & Laurentibus aruis,*
*Aut vna Italiæ ſtatio eſt. venit ora Timaui*
*Fœdus in Auſonidûm, noſtriſq. accingitur armis.*
*Fiximus Illyricam ſedem, ſocioſq. vocamus*
*Magnanimos Antenoridas. & iura capeßit*
*Noſtra Ligur, latiſq. ingens Hetruria campis,*
*Hadriacûmq. vrbes Henetûm. quid regna Triquetræ?*
*Quantùm audere parant, opibus concredita noſtris?*
*Illa etiam affines nobis in ſede coloni,*

Et

Et consanguinei proceres; quorum omnis amicum
In studium conspirat amor: paribusq. mouemur
Auspicijs: morumq. & nominis vna propago.
Est & magnanimûm heroum, sceptrisq. potentum
Alma Ducum genitrix, Campano in littore Siren,
Diues opum, Regumq. satu fœcunda superbo.
Gens apprima ferax generosæ laudis, & altum
Pectus, inexhaustumq. animis, ausuq. decoro.
At placidi mores, & vis natiua, fugaces
Illecebris captare animos, interq. merendum
Et prior officijs, & amorem æterna tueri.
Illic & generi sedes pulcherrima nostro,
Quà fœcunda virent Sebethidis arua paludis,
Et sua deuexo vergens ad littora clino
Parthenope, baccata iugis, & colle theatri
Pomifero, muros altè lunata supinat.
Et nunc militiæ consors ad munera nostræ,
Fundat opes nobis Italas, dant conscia ciues
Auxilia, & Latijs despondent nomina signis.
Vnam hanc (ò Superi fas, oro, attendite tantum)
Hanc vnam optarim Sinarum ad littora gentem
Classe vehi. non illam arctis imperuia claustris
Regna vetent, refugas in fœdera poscere dextras,
Aut vrbes lustrare sacris, & iure potiri

Et miserè accisum rigida femur arcet habena.
Nec via pæonias quicquam tentare per artes.
Ipsa reformidat virtus consulta medentum
Attrectare manu genus intractabile morbi,
Aut dubia cæcos ambage retexere nodos.
Ilicet à Superis (vnum hoc sperantis asylum)
Expectanda salus. nec auarum ad munera numen
Ille ratus (neq. enim Diuûm solamen egenti
Vsquam aberat) rogat auxilium, & cœleste leuamen.
Nec sociûm desit votum commune precantum;
Et pietas, & freta Deo fiducia rerum,
Nescia successus voti sperare sinistros:
Nec fuit orantum precibus spes irrita iustis.
Ecce leuèm tacita carpit dum nocte quietem
Æger, amans pœnarum, & vulnere lætus acerbo;
(Vera fides, & rara noui miracula casus)
Iam diuina manus (nam quæ potis altera virtus?)
Nocte sub obscura pesti insidiata malignæ,
Molle subit fesso, & languentibus addita membris,
Mulcet inobseruata malum, viresq. redonat,
Et laceros vinclis mordacibus exuit artus.
Omnis abit subitò membris dolor: ipsa repente
Vulnera vanescunt nodis obducta solutis.
Nox abit, & placido soluuntur lumina somno,
Vnà

*Vnà oculis affuſa dies, animoq. voluptas*
*Orta repens, inopina, ingens. nec credita menti,*
*Inſtaurata ſalus membris, & reddita virtus.*
*Proripit ille toro ſeſe integer; inq. ſolutos*
*Haud mora proſiluit rediuiuo poplite greſſus.*
*Sentit opem, ſentit cœli mirabile donum,*
*Excuſſamq. luem, & reduces à funere vires.*
*Stat pede ſubnixum intrepido modò labile corpus,*
*Nec durum detrectat iter, longumq. laborem.*
*Acciti ſimul inſueto clamore ſodales,*
*Accelerant, plauſumq. & conſcia gaudia iungunt.*
*Mirantur ſurgentem illum, mirantur euntem,*
*Nitentemq. ſolo, & veſtigia firma mouentem.*
*Vincula cum nodis femori delapſa reciſis*
*Tollere humo, & tantis gaudent vix credere monſtris.*
*Vulnera diſcipiunt; ſed iam vix vlla ſuperſunt*
*Signa, fidem morbi quondam factura prioris.*
*Ergo inſtant Superis dignas perſoluere grates.*
*Supplicibus ſanctum obſequijs ad numen ouantes*
*Lætitia, plauſuq. nouos dant carmine cantus,*
*Et qua, fas mortale ſinit, vice dona rependunt.*
*Olli primus amor, ſtudijsq. accenſa cupido*
*Gratari cælo, & diuinum agnoſcere munus,*
*Propitiumq. alto proſpectat pectore numen.*

*His ille auſpicijs quantum ſe credere cælo!*
*Et quantum à ſuperis didicit ſperare precando!*
*Quantum obſtare malis, quantos contemnere caſus!*
*Hinc procul Auroræ populos, atq. vltima Cauri*
*Regna petit, curſuq. ſonantem aduectus Hydaſpen,*
*Tot vada victrici Neptunia traijcit alno.*
*Non illum Oceani rapidæ videre procellæ*
*Alternantem animo curas, aut molle trementem;*
*Quanquã abrupta freto trepidantem aſſultat Olympum*
*Tempeſtas, ſæuitq. minis immane profundum.*
*Illum inter pelagi fremitus, cœliq. ruinas,*
*Nauifrago quamuis fluitantem errore carinæ,*
*Et trepido nullos ſperantem à remige portus,*
*Illibata quies, & amicis conſcia Diuis*
*Spes animat, dubijsq. vetat ſuccumbere curis.*
*Quid pietas animoſa nequit ſuperare ferendo?*
*Vos quoque ſenticomi vepres, & ſpicula duro*
*Ceſpite, quæ ſaltus inter ſylueſcitis Indos,*
*Ah quoties illum ſtimulis liueſcere veſtris*
*Ictum, & ſanguineo vidiſtis rore madentem!*
*Crimen, amor diuine, tuum; ſi crimen habendum eſt.*
*Namq. pijs animum curis, & cœlite flamma*
*Correptum dum forte gerit, ſecumq. volutat*
*Vberius ſolito lapſum in præcordia numen;*

*Ibat*

*Ibat inexpertum per iter, quà casus eunti*
*Dux erat. horrebant altè prærupta viarum*
*Vulnificis prætenta rubis, & caute fragosa.*
*Ille vbi taurino vestigia nudus amictu*
*Per nemorum dumosa viam nimis anxius vrget,*
*Nec meminit, quantus cœli rapit ardor euntem;*
*Dat sese abreptum incessu, quà deuius error*
*Palantes adigit rapido ceu turbine gressus:*
*Quanquam stipitibus passim rigor hirtus acutis*
*Vulnerat occursantem, & vulnera nulla cauentem.*
*Dumq. alacres inter Diuûm bacchatur amores*
*Ebrius, inq. nouos inhiant cita pectora sensus;*
*Illum diuini mens acta cupidinis oestro*
*Dulcibus instigat furijs, & præpete raptu*
*Errabunda citum trahit in vestigia corpus,*
*Nec dolet illidi saxis, passimq. retundi*
*Saucius obiectu ramorum, & robore duro.*
*Obuia procurrit securum in vulnera pectus*
*Roboreis pulsum obijcibus, nec sentit inermem*
*Per loca senta pedem iam dudum errare cruentum.*
*Sæpe etiam sese prono sinit impete lapsum*
*Ad terram ruere, & fragiles vix erigit artus.*
*Quin etiam hyberna nunquam defensus ab aura,*
*Dum premit horrentem glaciem, cursuq. niuosos*

*Montesq. camposq. petit, quà turbida cælo*
*Squallet humus pluuio, & multùm Ioue pulsa tonanti*
*Sæpe pedem rigidæ torpentem horrore pruinæ,*
*Lapsantemq. solo, & correptum frigore neruos*
*Destituit, longùmq. gelu stetit obsitus vdo,*
*Ingressumq. tremens, & inutilis ire, repreßit.*
*Hæret agens sese nequicquam, & viribus audax*
*Indubitat, frustraq. viam, cursumq. reprendit*
*Inualidus. tandem afflicto se poplite raptat,*
*Et niue prolapsum in media vix tollere corpus*
*Sufficit. adstricto steterunt cum sanguine vires.*
*Quid memorem exactas opera inter sedula noctes;*
*Dum medicam molitur opem, dum curat egentum*
*Triste laborantes fœda contage cateruas?*
*Nec minus exhaustum curæ, dum Tartara victor*
*Depopulans, lustrat sacris, & fonte salubri*
*Primitias cari generis; primosq. nocentum*
*Impia pertæsos vitæ commissa prioris,*
*Sollicitat Stygijs animas exoluere vinclis;*
*Nec fugit hæc inter solertis munera vitæ,*
*Perpetuos, nulla mensæ vice, ducere soles,*
*Nec labor in magnis, quanquam vel maximus, ille est,*
*Iactatam ignotas vitam traxisse per vndas,*
*Nil dubijs pauitantem ausis, aut corde caduco:*

*Et matutinis ardentem solibus Orbem,*
*Caucaseumq. accesse iugum, & Vulcania regna*
*Nigrantum Æthiopum, & cognati Memnonis oras?*
*Quid rapidis fractas vndis, & gurgite mersas*
*Auxilio seruasse rates? strauisse tumentem*
*Neptunum, & tantum Superos concesse precanti?*
*Quid tantis (ò rara fides) tam pectore læto*
*Insurrexe malis? nulli subtraxe periclo*
*Indefessam animam, & tot funera præteruectam?*
*Quid nullis cedentem illum feruoribus anni*
*Tantum olim per iter, toties sudore liquentem*
*Aspra per & saxis, & iniquo ardore dierum*
*Lustra fatigatum medio sedisse sub æstu,*
*Ora siti exhaustum, & suspensum errore locorum;*
*Nec lenisse famem, & duræ ieiunia lucis,*
*Nec tacitæ noctis partem posuisse quieti;*
*Non ipsum meminisse sui, nec viribus ægris*
*Pæonias accerse manus; nulla otia menti,*
*Nullum operi quæsisse diem sudoris auarum.*
*Hæc animo despecta iacent. nec summa laborum*
*Vltima, tam certi versantem in turbine lethi*
*Attentasse manu tantùm, curamq. suorum*
*Præ vitæ vertisse suæ; mollisse docendo*
*Barbariem horrendam populorum, & ferrea cultu*

*Pectora; tot vultu furias illexe benigno,*
*Et mentem immanem sæuis excusse Tyrannis.*
*Quid superûm antiquas leges, moremq. sacrorum*
*Memnonias latè securum inuexe per urbes,*
*Tot fremitus superantem Erebi; tot ciuibus aras,*
*Tot superis posuisse domos; tot millia fando*
*Ad spem traxe piam; cælo transcripse Patinum*
*Tantam urbem, & medium ciues animasse per ignem*
*Funus ad egregium, & cælum pepigisse peremptus?*
*His vitam ærumnis iactatam, & clade perenni*
*Iactat adhuc: quanquam afflictis iam viribus auram*
*Vix trahit, & tandem emeriti celer Hesperus æui*
*Migrandum terris monet, & supera alta petendum.*
*Ipse, licet certus fati iam nuncius adsit,*
*Cælicolûm accitu quamuis, & morte propinqua*
*Iam dudum exultans animis; at sæpe suorum*
*Res animo versat dubias, secumq. moratur*
*Consilio vitam ancipiti. nempe illa retentat*
*Cura virum, & mortis dulcem præuertit amorem;*
*Ne suscepta animo tot rerum exorsa relinquat,*
*Neue operum moles morienti posthuma surgat,*
*Quæ vocet extinctum, & crudelia funera damnet.*
*Omnis ab exactis veluti si gloria rebus*
*Nulla foret, memori sese abstulit auia menti.*

Ipse,

*Ipse sibi tam rarus honos inglorius vni*
*Apparet, nescitq. sua se luce tueri.*
*Consilijs mens fœta nouis, vocat anxia partum;*
*Et voti mensura vacat, virtutis abundat.*
*Ergo & lustratus Garamantum imperuius Orbis;*
*Et plaga Luciferi, & Gangetidis ora paludis;*
*Et data lex Indo, & sacris imbutus Iapon;*
*Atque instauratum templis decus, & sata terris*
*Nascenti sub Sole fides; & reddita Diuis*
*Imperij quondam amissi, legumq. potestas;*
*Et Chamis eiectus, casuq. afflictus eodem*
*Fatochides Acheron; & debellatus Amidas;*
*Atque animis inducta salus; & luce carentum*
*Corpora vitales tumulis excita sub auras;*
*Somnia sunt, vmbræq. operum. Tantùm inscia virtus*
*In meritum iurare suum, & sibi pulchra videri.*
*Vlterius rumpendum animis; alia orsa mouendum.*
*Iamq. ausis appulsa manus. vocat vltima finem*
*Pars operum, longo multùm vigilata labori.*
*Obluctandum Erebo, & superis noua regna locandum;*
*Stat rerum excubitor tantarum in limine primo*
*Sinarum, opperiens aditum; licet inuia frustra*
*Affectans ad regna viam. nec territus heros*
*Obijce fatorum, & tanto luctamine Ditis,*

*Consilium sub fræna vocat, curamue remittit.*
*Instat, & aduerso nimirum audentior Orco*
*Inconceßum irrumpit iter. Stat, tendere contra;*
*Stat, certa superare manu fastigia rerum*
*Vltima, nec voti partem concedere ventis.*
*Verùm aliter visum superis. nec languida morbo*
*Vita finit, certo spem tantam euadere cursu.*
*Ergo vbi consilijs adimit se tempus, & vltra*
*Supremum incumbit, nec habet iam vita regressum:*
*Ille ratus, frustra proferri fata medendo,*
*Et se lethali victum contage teneri;*
*Supplicibus cœlum palmis, & voce salutat,*
*Mille nouos inhians vitæ cœlestis amores.*
*Tum lacrymans; Equidem venio, nec demoror, inquit,*
*Summe pater. quid enim talem mihi deprecer horam,*
*Si tantùm dignere tuo mea lumina vultu,*
*Et me cœlicolûm sistas ante ora tuorum?*
*Nil erat in votis vltra: tantumq. mereri,*
*Diue, tuum est; sperare meum, & tentare precando.*
*Huc meritis desponsa tuis fiducia nostram*
*Impulit, & pigra soluit formidine mentem.*
*Quanquam, ò, quid nullam subeo ceruice securim*
*Emoriens; nec mille meam per vulnera vitam*
*Accipis? ah nullis venio data victima flammis.*

Hoccine

*Hoccine ſub cœlo ſperandum immune cruoris*
*Funus erat! mecum imbellis fortuna iocari,*
*Credo equidem, & nullo voluit decernere ferro.*
*Mene hoc hoſpitio tam lentum, has inter amantum*
*Oppetere illecebras! hæc deſidis otia mortis*
*Sortiri, nulloq. animam hanc effundere telo,*
*Nec diros hoc ipſe caput ſub cuſpidis ictus!*
*Nec verò abnuerim quicquid tua, Magne, voluntas*
*Præſtituit; quæcunque datur venia vltima vitæ.*
*Si tamen vlterius votis predire licebat,*
*Aut ſuper vlla fuit morienti optanda voluptas;*
*Ille mihi ante alios felix, & prima ſecutus*
*Præmia magnorum indigetum, qui ſanguine fuſo*
*Obſignans tua iura, nouas obeuntia terras,*
*Egregiam pulchra mortem virtute redemit;*
*Seu face, ſeu ferro corpus, ſeu vindice fluctu*
*Mulctandum hoſtiles vltro prodegit in iras;*
*Seu diram ingluuiem, & morſus data præda ferinos*
*Expleuit, furiasq. inter ſecurus agreſtes,*
*Horrendum rabie fremitum imperterritus hauſit.*
*O ego ſi vixem numero non alter ab illo,*
*Et pars vna forem tanti, licet vltima, cenſus;*
*Iam voti pars nulla vacet. nec ſemper abeſſet*
*Fors capiti tam læta meo, ſi vita maneret.*

En stygia munita fera plaga Sinica portum
Iam dedit, & magnam subeo Cantonis ad vrbem,
An ferro sacer, an flammis? ah vita triumpho
Suffice te, & tanto rerum ne cardine cessa.
Spira animis, ni fas anima, ni luminis aura.
Hæc illum orantem, suspectuq. alta tenentem
Lumina, circumstat studio confusa gemendi
Turba virûm, & lacrymis morientem affatur obortis.
O pater, ecquæ te duri inclementia casus
Eripit instantem euerso succurrere sæclo,
Fundantemq. manu superis Tithonia regna?
Fallimur; an nobis non te fortuna, sed æther
Inuidet, & numerum Diuorum augere laborat?
Parce oculis tam dulce caput subducere nostris:
Parce, potes; ni posse fugis. Venit in tua numen
Vota libens. tantùm audiri ne sperne precando.
Sin & cœlicolûm poscit te dulce tuorum
Concilium, & iam te nostro furatur amori;
Da dextram, & superas tecum nos tolle per auras.
Quo spes nostra loco? quis te solator adempto?
Quæue animis non ægra salus? Tu numina nobis
Concilias; tu das regno succedere Diuûm,
Et stygias nostris prohibes ceruicibus iras.
Te pelagi fremitus, fluctusq. immane tumentes
Pacant

*Pacantem imperio, & ventos tua iussa secutos*
*Vidimus. ò qui te vectorem habuere magistri!*
*Quale per insanas pelagi lusere procellas!*
*O cineri illapsura tuo tot gaudia nostra.*
*Scilicet æquoreos nautæ prædiscere casus,*
*Aut rapidos vltra poterunt illudere ventos,*
*Aut timidæ venient, vt quondam, in corpora pestes,*
*Aut aliquis vitalem auram post fata reuisct.*
*Ah quantum exanimas moriens deserta tuorum*
*Pectora! Fors rebus fuerit minus aspera nostris,*
*Si tua nos tecum sub terras funera portent.*
*Hæc illi, & largos mæsto dant lumine fletus;*
*Quos bonus extremis affari vocibus heros.*
*O mihi gens dilecta, meis licet obuia votis,*
*Ne me, oro, tantis defletum amittite curis.*
*Omnibus implenda est huius mensura pericli;*
*Nec certi sub Sole dies, nec longa manendi*
*Conditio. mutanda domus tam flebilis æui.*
*Dulcis ab exilio patriam discessus ad vrbem.*
*Vos illuc æternum, oro, contendite cursum,*
*Quò pietas fert alma pedem, quæ militat astris.*
*State animis; nec me maturum in funus euntem*
*Tam dulci officio, & tantis prohibete querelis.*
*Non mea vos fortuna premet, non vlla voluptas*

*In cineres lapsura meos è pectore vestro.*
*Nec me Relligio quicquam nutabit adempto,*
*Cui longum auxilium longa de stirpe meorum*
*Numina sufficiunt, viresq. ad regna secundant.*
*Aduenient (nec longa dies) qui dulce laborum*
*Fœdus, & hæc rerum tantarum exorsa sequantur.*
*Est mihi cognati generis mansura propago*
*Hesperia in magna, Tyrrheni ad Tybridis vndam,*
*Nomen vbi Ausonium, & Capitoli immobile culmen,*
*Et Vaticani fasces, atque alta parentis*
*Regia Romulei, cui regnum affine Tonanti.*
*Hîc mihi fraternum genus, & nascentis origo*
*Militiæ, cui certa fides, & nobile votum,*
*Res Diuûm in terris fractas, & iura tueri,*
*Si qua labant, rerumq. ægra ditione laborant.*
*Hîc pater æternos fixit Loiola penates,*
*Pollentemq. sacris alta cum stirpe Senatum*
*Esse dedit, viduis Diuûm qui consulat aris.*
*Ille domum, & germana meæ cunabula gentis*
*Instituit, vitæ ductor, legumq. repertor.*
*Olli primus honos, & fortunata laborum,*
*Et patiens operum, & Phlegethonti imperdita virtus.*
*Ille animis pubem generosam haud mollibus ausis*
*Erudiens, cladem æternam iam destinat Orco.*

Huc

*Huc alij, genus egregium, & data nomina cælo,*
*Conueniunt, votisq. virum auxiliaribus optant*
*Ire ducem; belliq. vices, & signa sequuntur*
*Vnanimes. Ille ordinibus dat iura coactis,*
*Exploratq. aciem, & cælestibus asserit armis.*
*Crebrescunt numero faciles ad iussa cohortes,*
*Inq. dies veniunt certatim ad conscia gentes*
*Arma nouæ; totusq. in fœdera cogitur Orbis.*
*Atque idem virtutis honos, amor omnibus idem,*
*In Latium iurare caput. Stat Romula sedes,*
*Fons generis, pubemq. serit, legesq. merendi*
*Imponit, moremq. viris, & munera belli.*
*Hinc nostrum in varias nomen transcribitur vrbes,*
*Et toto fortuna domus sedet hospite Mundo.*
*Quale ferunt animas, & eadem à stirpe profectam*
*In sobolem ducuntur apes, & limen auitum*
*Spernere amant. errant totis examina syluis,*
*Et patrios liquere fauos, secumq. per auras*
*Spem generis, regemq. suum, & fata pignora gentis*
*Traijciunt aliò, & peregrina in sede locantur.*
*Suadet amor mutare solum, & natiua voluptas,*
*Non labor exilij, vitæq. ignobilis error.*
*Ergo alit ingenio vires operosa iuuentus,*
*Atq. omnes molitur opes, studia omnia versat,*

Nequa ſit in terris regio illibata viarum,
Neue aliquis curſum lateat locus. Itur in omnes,
Quà plaga porrigitur cœli ſpirabilis, oras.
Hinc & Hyperboreis quantum ſe finibus agmen
Intulit, & regno quantum ſe fudit Ibero.
Semper læta nouis ſoboles adoleſcit alumnis,
Spe grauis, & longam ſeriem viſura nepotum.
Vna omnes ſupra Tyrrhenæ gloria gentis.
Nec vires Italas vnus capit Orbis, & vnus
Traiecti labor Oceani. non machina laudum
Vna ſatis. felix illo venit vbere virtus.
Illa acri ingenio præſtans, & dura labori
Progenies, & lentam animis exoſa quietem,
Nullum operi egregio, nullum auerſata periclis
Occurſum, ò quantam trepidi ſpem ſuſtinet Orbis!
Nec decus hoc Latio ſolum, & Laurentibus aruis,
Aut vna Italiæ ſtatio eſt. venit ora Timaui
Fœdus in Auſonidûm, noſtriſq. accingitur armis.
Fiximus Illyricam ſedem, ſocioſq. vocamus
Magnanimos Antenoridas. & iura capeſſit
Noſtra Ligur, latiſq. ingens Hetruria campis,
Hadriacûmq. vrbes Henetûm. quid regna Triquetræ?
Quantùm audere parant, opibus concredita noſtris?
Illa etiam affines nobis in ſede coloni,

Et

*Et consanguinei proceres; quorum omnis amicum*
*In studium conspirat amor: paribusq. mouemur*
*Auspicijs: morumq. & nominis vna propago.*
*Est & magnanimûm heroum, sceptrisq. potentum*
*Alma Ducum genitrix, Campano in littore Siren,*
*Diues opum, Regumq. satu fœcunda superbo.*
*Gens apprima ferax generosæ laudis, & altum*
*Pectus, inexhaustumq. animis, ausuq. decoro.*
*At placidi mores, & vis natiua, fugaces*
*Illecebris captare animos, interq. merendum*
*Et prior officijs, & amorem æterna tueri.*
*Illic & generi sedes pulcherrima nostro,*
*Quà fœcunda virent Sebethidis arua paludis,*
*Et sua deuexo vergens ad littora clino*
*Parthenope, baccata iugis, & colle theatri*
*Pomifero, muros altè lunata supinat.*
*Et nunc militiæ consors ad munera nostræ,*
*Fundat opes nobis Italas. dant conscia ciues*
*Auxilia, & Latijs despondent nomina signis.*
*Vnam hanc (ò Superi fas, oro, attendite tantum)*
*Hanc vnam optarim Sinarum ad littora gentem*
*Classe vehi. non illam arctis imperuia claustris*
*Regna vetent, refugas in fœdera poscere dextras,*
*Aut vrbes lustrare sacris, & iure potiri*

*Templa suo, & vero Diuûm fumare parenti.*
*Tantùm aliquis veniat Crateride vectus ab ora;*
*Succedet nullo pietas submota repulsu.*
*Ipsa viam inueniet virtus, quæ pectora fando*
*Permulcens inimica, nouis præcordia pulsat*
*Officijs, adituq. animos, & inhospita corda*
*Laxat, & externo sedem molitur amori.*
*Hæc oritur pulchra Sirenis origine virtus.*
*Moribus his vulgò patrias intenta per artes,*
*Et Charitum gens illa potens, atq. inter amandum*
*Dulcis inire vices, odijsq. obstare merendo.*
*Quid non regnatum, officij tam dulcibus armis?*
*Hi raptus animorùm, & suauè tenacia vincla.*
*Ah, precor, hæc olim veniat mihi fama sepulto,*
*Huc aliquem regno ex illo dare vela meorum,*
*Atque operis tam iusta sequi primordia nostri.*
*At tu, quæ sobolem tantam promittis Olympo,*
*O quondam Auroræ magnum ventura sub axem,*
*Exorere, ò tanti famam quæ nominis imples,*
*Posteritas Ignatiadûm, sata cælite partu,*
*Et formidatum Diti genus. exere cælo*
*Ausonias animas, superumq. in nomen ituras.*
*Hæc ait, & vitam labentem in verba relegat,*
*Captaq. fatali declinat lumina somno.*

Ad

# Ad P. Claudiũ Aquauiuũ Societatis Iesu Præpositum Generalem.

## CARMEN VIII.



*One verecundos animi tantisper amictus;*
*Et sine Phœbea pictum te stare tabella*
*Ante oculos, Pater alme, tuos, ante ora tuorum.*
*Non reuocat propria virtus ab imagine lumen;*
*Nec tabulas animare suæ fugit ore figuræ;*
*Sed magis artificem visu damnare seuero*
*Audet, & errantem decepti pollicis artem*
*Corrigit obtutu, & veri discrimine vultus.*
*Quòd si nulla tui vincit te cura videndi,*
*Nec pateris spirare tuos in imagine vultus;*
*Sume animos. ars nostra tuo sat commoda voto est,*
*Quæ tibi te tali spectandum indocta colore*
*Offeret; vt dicas, sic me intuor ipse libenter.*

Scriptum] est carmen, quo tempore Pater Claudius Aquauiuus perhonorifico Archiepiscopatus Neapolitani munere, quod sibi à Clemēte VIII. deferebatur, constātissime repudiato, patriā longo interuallo reuisit.

K

Ne fuge iam nostræ facilem te credere Musæ;
Neu quatias aurem, aut ingrata silentia mandes.
Non ego præclaros titulis regalibus ortus
Ordiar, aut notos fasces, aut nomen auorum;
At, quo te ingenio, quo te venetur amore
Regnorum venator Honor, quibus impiger ausis
Te sua iamdudum fugientem regna sequatur,
Accipe. Te nostrum tibi ludit Apolline carmen.
Luminibus testata meis exordia rerum
Mira canam, & nulli vatum libata priorum,
Horrificos hominum casus, & monstra laborum,
Quæ tibi concessum proprijs euadere fatis,
Fatis ah vtinam certo rerum ordine fixis.
Arx erat ascensu præceps, & calle supino
Ardua, qua summo propior non altera cælo.
Huc iter angusto dubium via tramite monstrat
Nunquam concursu deserta, nec ordine longo
Vadentum, & summa certatim ex arce ruentum.
At summas centena domos altißima cingunt
Mœnia, cumq. suis totidem pomæria portis.
Multa virûm circa bellantum millia, multæ
Bellorum strages, confusaq. luctibus arma.
Obnixi clausum certant obsidere limen,
Atq. aditus, cùm claustra sonent, inuadere primos.

Custo-

*Custodes intra ingenti sæuire tumultu;*
*Et gladijs munire feras, & Marte minaci;*
*Et vix paucorum notos accersere gressus.*
*In foribus standum primis, noctesq. morandum*
*Perpetuas: auro vigiles, & voce vocandum*
*Inter inundantes armis, & sanguine turmas.*
*Vt primi patuere aditus, & cardine verso*
*Insonuere fores; immissum postibus agmen*
*Truditur. incumbunt vigilum super obuia cæci*
*Arma viri: cedendum retro, aut ante cadendum.*
*Ast vbi multorum interitu via panditur vni;*
*Porticibus ductis intro, longißima restat*
*Portarum series. idem fragor omnibus, idem*
*Intrandi labor, atq. armorum imperuius horror.*
*Custodum crudele genus per limina paßim*
*Excubat, & mores venientum, & nomina discit.*
*Hîc animis, hîc vero armis, hîc artibus vsus.*
*Parcendum fidei: falso genus ore nouandum:*
*Altera danda supercilio lex, altera menti:*
*Confertas vrgendum acies, perq. arma ruendum:*
*Hàc iter est auro mercandum, hàc vindice ferro*
*Rumpendũ: hos pretio superandum, hos ense metendũ.*
*Sic properant regalem ad sedem. Hîc altera porro*
*Pernicies rerum, & facies diuersa laborum.*

Altum, horrendum, ingens, nec fixu immobile culmen
Scanditur: hinc longè transmissum ad regia pontem
Limina traijciunt miseri, quos vna ruinæ
Cura trahit. breuibus spatijs, & margine paruo,
Atq. humili laterum vallo dat pinea cursum
Semita, quæ fragili paßim compage fatiscit.
At chaos immensum subtus, vastumq. barathrum.
Ah miserum mortale genus, quàm cæca libido
Præcipitat, quanto iuuat indulgere periclo!
Quà datur obiectam præceps traiectus ad arcem,
Hàc properant effusæ acies euadere plenis
Aggeribus turbarum, & præpetis impete Martis.
Stat gladijs, pugnamq. cohors obtrusa per arctum
Vrget iter, stipatq. moras luctamine denso:
Nec tamen vndantes cessant se immittere turbæ.
Montano veluti pelago torrentia riuis
Flumina, cum subeunt pluuij maria omnia cæli,
Exuperant, fluctusq. trahunt super arua sonantes.
Sic pontem angustum circumq; vltraq; supraq;
Occursuq; recursuq; altum immurmurat agmen
Exundans cumulo, & confusæ stragis aceruis.
Tum lapsum in miserum sponda se inuergit vtraque
Lapsantum, & sese per mutua vincla trahentum
Horrificus turbo, fundoq. aduoluitur imo.
Parcius

*Parcius icta cadunt, Boreali verbere pulsis*
*Arboribus, folia: aut confusa grandine terris*
*Tempestas horrendam hyemem, cœlumq. volutat.*
*Ergo arcem ad summam tot per bella aspera postquã*
*Peruentum, & sæua limen iam clade redemptum est;*
*Apparent, adytis longe post multa reclusis*
*Atria, regales tectis fulgentibus ædes.*
*Forte sub auratis mediæ laquearibus aulæ*
*Stabat agens nutu celeres ad iussa cohortes,*
*Subnixus solio, & Tyrij sub tegminis vmbra,*
*Arduus obtutu, atq. auro radiatus, & ostro*
*Animorum regnator Honor, cui multa coronat*
*Gemma caput, sceptrumq. manu prætenditur alta.*
*Centum illi subiecta gradus cœlo inuida sedes*
*Ascensu numerat, viridi fulgore nitentes.*
*Innumeræ stant circum acies, quæ scandere certant,*
*Luctanturq. optare gradum, & turbare sodalem*
*Quisque suum, & tota propellere longius aula.*
*Dumq. omnes amor vnus habet præcurrere, & altum*
*Vltra alios proferre pedem; se turbine cæco*
*Agmina confundunt, fremituq. illisa premunt se.*
*Quale fremunt, condensa inter cùm nubila venti*
*Aërio se Marte petunt, & vasta volutant*
*Murmura, turbatumq. ruunt certamine cœlum.*

*Sic animo, ſic turba manu, ſic impete cæco*
*Acta ruit, quam ſede vocat regnator ab alta.*
*Hi ſummos tenuere gradus: hi margine in imo*
*Subſiſtunt: ſpatio in medio pars magna laborat*
*Non vno confuſa globo. nam tendere ſurſum*
*Omnibus idem ardor; ſed ineluctabile multis*
*Fatum obſtat, fallitq. pedem, curſumq. moratur.*
*Hinc odia, hinc variæ fraudes, hinc effera bello*
*Pectora, flagrantesq. animis diſcordibus iræ.*
*Rex videt, & ſolio cladem deſpectat ab alto*
*Solus, & hæc oculis haurit ſpectacula ſiccis.*
*Illum pollicitis animantem prælia, turbæ*
*Suſpiciunt auidæ, & ſtudijs riualibus ardent*
*Præuerti, & ſocios aſcenſu fallere primo*
*Quiſque ſuos, nec ferre parem, nec ferre priorem.*
*Ille procul non ſorte omnes accerſit eadem.*
*Sæpe, auidum qui forte pedem promouit in altum,*
*Iamq. parat greſſu ſperatum inuadere culmen;*
*Aduerſa inuidia victus, fatisq. repulſus*
*Præcipitat, trahiturq. gradus reuolutus ad imos.*
*Sæpe etiam, qui rite gradus ſuperauerit omnes,*
*Et valido obſtantem perruperit obijce turbam*
*Iam victor, propiuſq. ſui videt ora Tyranni;*
*Infelix fato rurſum cogente referri*

*Cœpit, & auerſo longum dedit ore relapſum,*
*Afflictusq. ſolo tandem deſedit in imo.*
*Qualis in aëria poſtquam conſederat ales*
*Ilice, quam cæca nemorum ſpeculatus ab vmbra*
*Incautam iaculis auceps, aut glande feſellit,*
*Quam ferus igniuoma Vulcanus arundine miſit.*
*Illa gemens, mortiq. datis exterrita pennis*
*Infelicem animam rapido defendit ab ictu.*
*Sic abit in præceps, & inermem obliqua volatum*
*Vertit ad occultos non vtilis hoſpita vepres.*
*Haud aliter ſi quem toto fors inuida telo*
*Perculit, aut ſummo rerum de culmine traxit;*
*Spes fouet implumes, & humi ſe vertit inermem.*
*At fractos reuocare animos, & rurſus in altum*
*Ferre pedem, & ſortem valido ſuperare recurſu,*
*Sæpe datum. at multis, tanto pugnare labore,*
*Victricemq. manu fortunam inceſſere victa,*
*Mens trepidat. mæſti tota procul æde recedunt.*
*Aſt alij, quos laudis amor monet improbus, orſis*
*Virtutum explorare nouis, & fallere ſortem;*
*Fortius abiecti ſurgunt. hos inuida cœptis*
*Sæpe ſuis fortuna, ſuoq. aduerſa furori*
*Euehit exceptos, curſumq. inſana ſecundat.*
*Ergo omnes fortuna vno ſub turbine verſat,*

*Illum adſpirantem votis, & cœpta vocantem*
*Vlteriora, rogant certo ſpem ducere curſu:*
*Illum obluctantem votis, & torua tuentem,*
*Sæuaq. fulminea minitantem verbera dextra,*
*Contendunt vitare omnes, nec tendere contra*
*Audent, aut nimium lætæ confidere fronti.*
*Nempe animum fucata dolo non ſemper eodem*
*Diuerſum gerit ore habitum, ac ſe vertit in horas*
*Mobilis, & curſum facilis damnare priorem.*
*It flagris armata manum, & media agmina pulſat,*
*Perq. omnes furioſa gradus ſine more vagatur.*
*Hos agit in præceps: hos obuia proruit: illos*
*Prenſat, & ad ſummum dextra rapit ardua Regem.*
*Tum variat pertæſa vices, atq. impete verſo*
*Irruit; & quos ante manu prouexerat alta,*
*Deijcit, & ſurſum lapſos alterna reducit.*
*Sic prohibet lætis nimium confidere rebus,*
*Et prohibet rebus nimium diffidere lapſis.*
*Non illam ambitio ſolers, aut nubilis auro*
*Gratia, conſtantem doceat componere curſum,*
*Aut ſeruare fidem, aut varium dediſcere morem.*
*Illa nouum quondam, & viſu illætabile monſtrum*
*Intulit, & ſpectanda dedit noua ludicra Regi,*
*Ludicra, quæ memori ſeruarunt pectore Muſæ,*
Et

*Et cantu memorare iubent, omnemq. silendi*
*Libertatem animo Phœbi nouus ardor ademit.*
*Tum mihi ne tales, oro, ne despice lusus*
*Alme pater; nec vile puta, quod dictat Apollo,*
*Aut etiam si vile; tuus deluditur hostis,*
*Cui fortuna soror numquam dare verba pepercit.*
*Tantùm da veniam, & frontem depone seueram,*
*Dum tibi dat Phœbus leuium spectacula rerum.*
*Dum populos Rex quondam inter dat iura vocatos,*
*Exploratq. fidem, & meritos decernit honores;*
*Extemplo mediam quadrupes auritus in aulam*
*Barbarico fulgens auro, & Garamantide gaza,*
*Fortuna monstrante viam, sese arduus infert.*
*Quem Dea gramineo pascentem vt vidit in aruo,*
*Et magnas tollentem aures, magno ore rudentem,*
*Forte rotæ imposuit sublimem, & protinus axe*
*Sustinuit fixo: tum se licet orbita circum*
*Acta citet; tamen ille alto se vertice tutum*
*Semper agit, fallitq. dolo fatale volumen.*
*Nec se præcipites pronum committit in orbes*
*Sollicitus lapsum aduerso superare recursu.*
*Hanc artem, fraudemq. feri mirata proteruam*
*Diua; Procos non nostra, inquit, connubia tales,*
*Aut tantum ingeniũ, aut tantum aspernantur honorem.*

*Sic deceptori nupſit malè ſana procaci,*
*Et dedit egregia ſpectandum incedere pompa;*
*Nec mentem cum fronte dedit, nec dona Mineruæ.*
*Is non dum inſanas malè fidæ coniugis iras*
*Expertus, variumq. animi reuolubilis orbem,*
*Mutatus ſpeciem, & Phrygium baccatus amictum*
*It facie ſimulante virum. micat obſita gemmis*
*Frons circum, & criſtis altas vallantibus aures.*
*Qui dudum infami furatus terga labori,*
*Et duro ceruicem operi, iam dignior ipſo*
*Factus hero, cultum abiecit, vultumq. ferinum*
*Iam ſibi nil humero ſimilis, iam nobilis heros.*
*Stat veluti medijs vana ſub imagine campis*
*Compoſitus fœno cuſtos, & cannabe texta,*
*Mole ingens, & torre oculos ſignatus obuſto*
*Oraq. nigrantemq. comam, & non depile mentum.*
*Dextera ſe fulcit conto, læuaq. ſuperbum*
*Stat latus adnixa, atq. altè ſpectabile pectus,*
*Alitibus terror, ludicrum ignobile tauris.*
*Haud melior, quamquam aſpectu præſtabilis, hoſpes*
*Aurifer, & faciem non mentem exutus agreſtem,*
*Verſicolor, quem Diua manu ſibi finxerat aurea*
*Coniugio vinctum inſtabili, nec legibus æquis,*
*Productus celſam ad ſedem, regniq. penates*
*Appa-*

*Apparet. nitido latè domus ore nitescit.*
*Ipse alto grauis incessu, fastuq. superbus*
*Regifico, & vario vestem fulgore coruscus*
*Infert se tectis. illum Dea pronuba ductu*
*Ire suo gaudet, gentemq. ad iussa redemptam*
*Agglomerat lateri, & personam accommodat ori.*
*Hunc vbi iam primo gradientem ab limine cernunt;*
*Hinc atq. hinc visu trepidæ cessere cohortes.*
*Et quamquam attonitæ mussant: tamen ire per agmen*
*Hortantur medium, & comitem venerantur amicum.*
*Tum celsam graduum seriem longo ordine laxant,*
*Et summum ad Regem lato dant limite cursum.*
*Ille pedem attollens, & Dædaleo aliger auro,*
*Incertum qua lege, gradus super exilit omnes,*
*Et tandem optato victor se culmine sistit,*
*Ascensum comitante Dea. Hic orta repente*
*Seditio, & discors animis sententia patrum.*
*Nam proceres Regi adstantes, hinc ardua Mauors*
*Ora minax, magna comitum stipante caterua;*
*Hinc Ianus pater, & sociæ læta agmina gentis,*
*Paciferumq. genus, summi placida ora Senatus,*
*Vt propius notum videre assistere monstrum;*
*Regis ab aspectu frustra detrudere certant,*
*Et validas nequicquam vrgent ad prælia vires.*

*Ilicet ille suæ tutus certamine Diuæ*
*Stat solium ante ipsum, Regiq. adstare superbit.*
*At tibi, Rex inquit, portento nubere tali*
*Cur placitum dilecta soror? quid me inuida tantùm*
*Spernis, & hæc nostris infers ludibria regnis?*
*Ast ego pro dulci obsequio, pro fœdere nostro*
*Hunc tibi, si tantùm tali te coniuge iactas,*
*Esse virum patiar, nec mecum assidere mando.*
*Sit tecum, & duce te nostra se iactet in aula.*
*Tu modò te posthac melioribus adde hymenæis.*
*Sic Dea, quæ rerum varios agit improba casus,*
*Dicitur imperium vani lusisse Tyranni.*
*Tantùm auri vesana valet bellare potestas,*
*Si faueat fatum, & vitæ versatilis error.*
*At quoties tales spoliat fortuna maritos,*
*Et vanam pertæsa fidem, & connubia fallit!*
*Hac duce qui summum voluit tentare cacumen,*
*Sæpe aliquis, cum largus opùm defecerit vsus,*
*Et gressu nequicquam vltra conatus inempto;*
*Ascensu in medio turba detrusus ab aurea,*
*Deficiens labente pedem cum sorte retraxit.*
*Atq. humili vix ima solo vestigia firmans,*
*Cum gemitu rerum euentus damnauit iniquos.*
*Qualis vbi infelix nuda mercator in alga*

*Consti-*

*Constitit, infida pelagi delusus ab vnda,*
*Iam partas exutus opes; qui littore lætus*
*Merce grauem dubia cum solueret alite puppim,*
*Credidit audaci fatum concedere remo.*
*Hinc, vbi Neptuni insano data præda furori*
*Naufragus, & vitam* Boreæ *furatus, & vndis;*
*Attigit ignotam pelagi luctator arenam.*

*Postquam res hominum varias, & prælia vidit*
*Sede sedens alta, cæcorum insanus amantum*
*Ductor* Honos, Rex *idem hominũ, domitorq. laborum;*
*Solatus cladem ingentem, casusq. suorum,*
*Hanc, ait, hanc operum molem, hæc certamina noster*
*Poscit amor, poscunt promißi gaudia Regni.*
*Tum lectos ad iura Patres, atq. omne suorum*
*Concilium vocat, & fidas ita fatur ad aures.*

*Magnanimi proceres, nostrum quibus vna tueri*
*Cura decus, sanctumq. armis defendere Regnum,*
*Omnis spes hominum, & regnandi prouida virtus*
*Imperio nostro semper stetit; arbiter ex quo*
*Cœlicolûm terras hominum sub iura remisit.*
*Hinc adeo præceps nostram concursus ad arcem:*
*Hinc sceptris regnata meis tot pectora Regum,*
*Me duce non vllum manibus, non mente laborem*
*Horrescunt: nullam renuunt, me iudice, mortem.*

Tanta animis nostri quondam cognata cupido.
Et quamquam diuersa domus, quãquam inuia circum
Mœnia nos alto vallant abrupta profundo,
Et fragiles horrent tetra formidine pontes;
Omnia perrumpunt aditu. nec summa laborum
Maxima, si nobis animas pro pace rependant.
Ast ego quid tantùm regnis, quid nomine tanto
Efferor, aut belli monstris, aut stirpe parentum?
Vnius mihi supplicio est antiqua cupido,
Exilium qui sponte meis à sedibus optat.
Ille meum factis, animisq; & laude parentum
Implebat votum, & longum pascebat amorem.
Olli dum sacram Imperij septemplicis arcem,
Romulidûmq. gubernacla, & Mauortia regna
Tradere (quod mecum properassent fata) parabam;
Eripuit sese nobis, & sponte fefellit
Spem tantam Imperij, & votis fata omnia vertit.
Scitis, & hanc luctu cladem fleuistis amaro.
Nunc Ignatiadûm proceres, & summa gubernat
Iura pater, facilesq. animorum flectit habenas
(Magna quidem, at leuior tanto pro pectore moles)
Vrbe licet summa, primisq. in mœnibus Orbis,
Non qua sede velim, nec summo in culmine rerum:
At colit angustos cara cum prole penates.

Huc

*Huc Pindo redimita cohors, huc diuus Apollo,*
*Pieridumq. genus, lectiq. ad sacra ministri*
*Ardentes genio, & furia Parnasside vates*
*Accurrunt, sceptrumq. tremunt, & iussa capessunt.*
*Ille regit dictis omnes, nutuq. coercet.*
*Hîc millena sonant veterum de more Quiritum*
*Ora virûm, terrentq. noua formidine terras.*
*Non grauius caussas orantem prisca Senatum*
*Roma suum vidit, nec grandius ore tonantem.*
*Nec minus arcano pubes addicta Lycæo,*
*Palladiumq. agmen, sacrum spirantia numen*
*Pectora, diuino feruent operata labori:*
*Seu iuuat ancipiti naturam ambage latentem*
*Scrutari, rerumq. obitus lustrare, vel ortus;*
*Siue opus, immensos cœli cognoscere tractus,*
*Ætheriosq. ignes, teneriq. exordia Mundi.*
*His ille auxilijs toti se opponit Auerno:*
*Et sacra cœlicolûm populantem altaria Ditem,*
*Et Phlegethonteas terris exterminat iras.*
*Hic, vbi Tarpeio surgunt Capitolia saxo,*
*Æternam posuit sedem, & cœlestia castra;*
*Promptus vbi aßiduè numen defendere miles*
*Excubet, & stygijs properet bellare maniplis:*
*Seu ferus emittat Lutheridas Orcus Erinnes,*

*Siue Menandriades, flammantia monstra, chimæras:*
*Seu Caluina furens animorum clade Megæra*
*Erumpat, seu diuini populator honoris*
*Nestorius, Pyrrhusq; & monstrũ immane Melanthon,*
*Gorgonidumq. genus Brenti, & Simonides hydræ.*
*Iam gentem horrendam, & sacros euertere ritus*
*Audentem, infesto propugnans agmine ductor,*
*Impia propulsam sub tartara victor adegit.*
*Centum illi turrita secant iam robora latos*
*Oceani fines, stygij nauale Tyranni*
*Exitium. fremit expositus per littora miles,*
*Et passim Eois Pluto detruditur aris,*
*Et passim Hesperijs præceps turbatur ab oris.*
*Non illi Imperij metam vis vlla minatur;*
*Auspicijs regnat fœlix, & numine dextro.*
*Haud equidem inuideo: tantùm si fœdere nostro*
*Adiungi velit, & nostris dare legibus aurem;*
*Staret nunc trabea, & cœlesti murice clarus,*
*Romuleos inter, cœli pro cardine, Patres.*
*O nostri Imperij, ò nostri desertor amoris.*
*Hunc mihi sectandum, proceres, hunc arte Pelasga*
*Venandum, hac omnes texendum indagine fraudes.*
*Audite, & tantis animos aduertite curis.*
*Iam patrios fines, dulcesq. reuisere natos*

*Ille*

*Ille parat: nullis comitum legionibus oram*
*Accedit Latiam, & Circææ littora terræ.*
*Ergo illi Dux ire paro. iam regia ponam*
*Ora, nec est nobis simulandi nescia virtus.*
*Conscendam instructam velis, & remige puppim.*
*Alter erit mihi Tiphys, & altera me vehet Argo*
*Campani Regina freti. sic littus adibo.*
*Vnde parat sese Tyrrheno credere ponto.*
*Occurram, & noto faciem simulatus alumno*
*Gaudentem occursu, & mentiti nomine vultus*
*Excipiam naui: sternet vada cærula Nereus.*

* *Est locus extremas inter Crateridis vndas,*
*Parthenopen longe contra, mitißima cœlo,*
*Et placido maris aspectu lætissima tellus,*
*Quæ Surrentinos altè dominatur in hortos,*
*Et geminum dorso discriminat vltima pontum:*
*Pomiferos circum subiecto ex æquore tractus*
*Attollit procul, & viridi se colle supinat,*
*Nympharum sedes. Hanc olim Iuppiter arcem*
*Obtinuit ceruice grauis, partuq. Mineruæ.*
*Hic cæleste tulit disclusο vertice pignus;*
*Et celebrant hic prima Deæ cunabula gentes.*
*Monstrantur veteris disiecta cadauera templi.*
*Hinc genus ingenio felix. huc Pallada frater*

**Massæ descriptio. de qua multa poeticè comminiscitur. sed verè cognominatur Lubrēsis à Mineruæ delubro, quod nūc Deiparæ Virgini dicatū, vulgus indigitat, S.Maria de Lubra. Et mons ille in mare prominens, cuius in dorso, cliuoq. Massenses vicatim habitant, Mineruæ promontoriū hodie dicitur.**

*Mars adijt: Marſam vnde Deam dixere coloni.*
*Ex illo Marſam colles, Marſam omnia circum*
*Antra ſonant: hoc ipſa vocat ſe nomine tellus.*
*Huc ferar, & mecum naui meus exul eadem.*
*Excipient illum læto Mauortia plauſu*
*Agmina: pulſabunt feſtis terroribus auras.*
*Iam ſeſe inſtructis ingens exercitus alis*
*Expedit: æratæ littus cinxere cateruæ.*
*Iam colles clamore virûm, clangore tubarum*
*Diſſultant: iam flammiuomo Cyclopea partu*
*Æra ſonant: iam tecta nouo gratata parenti*
*Dant ſonitum, cœlo ruptis crepitantia flammis.*
*At procul excelſæ ſummis de mœnibus arcis*
*Tercentum ingentes tonitrus, centum ænea rumpunt*
*Guttura, Vulcano multùm ſaturata ſonoro.*
*Iamq; auro fulget domus hoſpita, atq. argento.*
*Ante dapes veniet lautis data victima menſis*
*Infans armenti vitulus, qui nectare matrum*
*Paſcitur, & tenera conuiuia fronte laceſſit.*
*Nec minus æquoreas, Neptuni munera, prædas*
*Portabit patrio miſſus de littore Nereus.*
*Poſt alios montana parat Maioria faſtus,*
*Pæſtani ſpecula alta ſinus, conterminus aſtris*
*Montis apex, magnum impoſitus ſuper Oſſan Olympus;*
*Vnde*

*Vnde oculi despectum horrent, & condita syluis*
*Tartara, nigrantesq. per inuia lustra recessus.*
*Parte alia immenso subsidunt æquore fluctus,*
*Arduaq. ingeminant tumidum per saxa fragorem.*
*Huc illum vt merito tandem ducamus honore;*
*Aërium hospitij culmen prope littus, & altas*
*A ponto ad sedes, pontem construximus aureum;*
*Sint licet abruptæ rupes, cœloq. minentur.*
*Quos natura situ, quos asperat ira locorum,*
*Rumpimus imperio montes, & sternimus auro;*
*Auro, quo pietas non se munire recusat;*
*Nec semper medio virtus pallescit in auro.*
*His tandem exactis, mecum meus hospes ad oram*
*Accedet patriam, & Diuæ Sebethidis amnem.*
*Hic illum qua sede locem, quo numinis auctum*
*Nomine, quo statuam solio, mihi certa voluntas.*
*Verùm ille obniti contra, & me trudere cœptis*
*Pergit adhuc, nec se nostro committit amori:*
*Quamquam optata meis aperit se ianua tandem*
*Consiliis. hanc ille dolo præcludere quondam*
*Si potuit; mihi nunc alio stant cardine postes,*
*Nec se semper aget successu lætus eodem.*
*Fata vicem variant, & habent elapsa regressum.*
*Hæc ait, & faciem, non mentem immutat & astum.*

*Spiritus, aut sæuæ lædet vis aspera brumæ.*
*Te nouus vt cœlo maturam excluderet ortus,*
*Et secura tuos aleret natura rubores;*
*Æmoniæ posuere hyemes, vernumq. teporem*
*Spirauit gelida tellus Riphæa sub Arcto,*
*Nec Iouis imperium, nec Orionis horruit iram.*
*O veris non ante vices passura caducas,*
*Quàm cœli ver omne cadat, quàm secula certos*
*Auia dediscant cursus, aut lassa remittant.*
*Cœlesti nam parta satu, cultuq. nitesces*
*Numquam auctus oblita nouos. ò nulla secundos*
*Aura tibi neget afflatus: te vere perenni*
*Romulei fœcunda beet Clementia cœli.*
*Exere purpuream, rosa nobilis, exere pubem.*
*Quis nouus hic formosa nitor! quæ gaudia terris*
*Aspectu fulsere tuo! quis luminis ardor!*
*Quale vires, & quale nites! Age, læta decorum*
*Exere nata iubar: tribus* æmula nasceris astris.*
*Iunge, age, fraternum nitidis candoribus ignem*
*Natiua flammata Tyro. tibi grata renidet*
*Circumfusa tuos dum promicat aura nitores.*
*O terris insuete nitor, sed debite cœlo.*
*O quid ad hunc acies tanti mihi luminis ortum*
*Icta labat! iam iamq. magis, magis vsque tuendo*

* Alludit ad tres stellas, quæ in gentilicio Spinellæ familiæ stemmate cernuntur.

Vincor, & obtutu nequicquam obstare laboro!
An quartum exoriens inter tria sydera sydus
Occulis agnato fraternas lumine flammas?
Exorere ô quæcunque venis, quæcunque coruscas
Seu rosa, seu Cœli lampas: tua prima rosetis
Cæleſtem, & Cælo roseum dat gratia vultum.
An Tellus iam nupta Polo dat sydera partu?
An Polus hoc ditat Tellurem vxorius astro?
Quidquid id est, fecit pietas, & munere Cœli
Seu partu, seu dote venis data purpura terris.
Hinc dubio fulgore rubes, licet omine certo
Nil mortale tuus Mundo prænunciet ortus.
Nascere syderibus quartum tribus addita sydus.
Fallor; an Aurora es, tria quæ prænuncia cursu
Astra subis? quantum Cælo promittis honorem!
Quem Titana vehis, cui tres præmisit Eous
Luciferos! quàm fausta dies, quàm pulchra sequetur
Luminibus promissa tuis! Date munera Cœlo
Mortales: votiua sacros date thura per ignes.
En ortu rediuiua nouo, Saturnia lætis
Fata repubescunt annis. Salue edita tandem,
Salue optata dies, noua lux Titania salue,
Secula quæ cupidis rursum vehis aurea terris,
Et Vaticano Solem producis Olympo.

# Ad geminam ſobolem Beneuẽtani Comitis, & in Neapolitano Regno Proregis: cum Collegium Neapol. inuiſeret.

CALLIOPE

X.



*O Quibus Heſperios inter lectiſſima faſtos*
*Nomina primæuos numerant per ſceptra parentes,*
*Et cœlum egregijs virtutum inſignibus æquant,*
*Saluete æquanimi proceres, ſaluete potentum*
*Progenies fraterna Ducum, qui ſanguine veſtro*
*Ducitis æterna patrios ab origine faſces.*
*Ecquis amor, noſtris tantum concedere menſis,*
*Atque humiles feſto ingreſſu luſtrare penates?*
*Quidquid id eſt, auguſta pio concedit amori*

*Maiestas, & vestra sui tam prodiga virtus.*
*Ergo erat hæc nostris olim lux debita tectis!*
*Hæc dapibus fortuna meis! hæ vocibus aures!*
*Non erat hospitij tantum sibi credere nostri,*
*Tam nitidum sperare iubar sub limine tali.*
*O nullis abolenda dies erroribus æui,*
*Secula quæ vestro nobis orditur ab auro,*
*Et tanti officij memores æternat amores.*
*Ergo hilaris quando mensis operata iuuentus*
*Accelerat, geminantq. affusi gaudia cœtus*
*Plaudentum obsequio, & tectis geniale frementum;*
*Quando hæc vna meam poscit solertia curam,*
*Scilicet vt nostrum sapiant conuiuia Phœbum;*
*Obsequar, & vestris etiam sua prandia ponam*
*Auribus. ô tantum nobis aspiret Apollo.*
*Nam quæ tale sonent! quæ tantum audere canendo*
*Ora valent! quæ tantum auras implere tonando!*
*Nullam mei tantum fiducia carminis audet;*
*Nec de Pieria tantum decerpere lauro*
*Speret amor fandi, quamuis flagrantibus orsis*
*Ardeat, & totos Aganippidos hauserit amnes.*
*En ego Mæonidum sacra de stirpe sororum*
*Calliope sum nona soror, quamquam altera cultu,*
*Altera conspectu, & pallæ nigrantis amictu.*
*Officium*

*Officium mutare docet pro tempore vultum.*
*Me Deus, Aonio qui numine pollet, & arcu,*
*Sollicitam vestris famulatum accurrere mensis,*
*Aoniasq. offerre dapes, & munera iussit.*
*Vade, ait, & tam rara libens in prandia nostras*
*Profer opes, effunde penum, totum exere censum.*
*Si qua dapum iucunda minus; si forte salinum*
*Accersant: tu scire doce, quos nostra sapores*
*Mensa neget; quam nota salis pœnuria nostri.*
*Lautitiam à nostris epulis hanc fata relegant,*
*Totaq. Parnaßi nullas habet ora salinas.*
*Nec mihi cum paucis hæc est communis egestas.*
*Rara salem sapiunt, si quæ conuiuia dantur*
*Auribus. hunc nobis adimit natura saporem,*
*Credo equidem, aut infida epulis, aut inuida nostris.*
*Delius hæc genitor. simul omnem ad iussa cateruam*
*Aonidum vocat, & festo iubet agmine voces*
*Ordiri, & secum numeris alterna pacisci.*
*Illæ instant operi, & varium longo ordine carmen*
*Vnà iterant, lætosq. ineunt per mutua plausus.*
*Vestrum hoc, magnanimi Proceres, ab Apolline nostro*
*Munus, & à sacris Heliconia pocula riuis.*
*Vestrum id seruitium est, quidquid per Mænala gentis*
*Pieriæ, quidquid toto Parnaßia Pindo*

*Turba fremit, miscetq. choros, & carmina cantu.*
*Scilicet huic omnes voto indulgere Camœnas,*
*Et dare quæ vestrum resonent præconia nomen,*
*Æternum auspicium nobis, & nobile fatum.*
*Huc omnes numerorum artes, & conscia vocum*
*Fœdera conspirant. vestri sunt carmina Martes,*
*Et genus, & populosæ vrbes, & auita potentum*
*Sceptra ducum, & tam diues opum, tot fœta triumphis*
*Regia, quæ vidit generis cunabula tanti.*
*At genitor, vestri propior qui sanguinis autor,*
*Cui nunc Sirenum imperium, & tot regna Dicarchi,*
*Tot populi Hesperio latè sub sidere parent;*
*Quantum ille inter nos! quantus sonat agmine toto*
*Pieridum! nullus Phœbea plenior aula*
*Concentus; nusquam assensu magis assonat æther.*
*Ille suos Regni pepigit cum numine ritus,*
*Et petit ex astris, prodat quæ munera terris.*
*Illum Astræa suis olim dum legibus armat,*
*Et docet ad priscos mentem componere sensus,*
*Postquam Diua viro sanctos afflauit amores,*
*En, ait, hi nostri fasces, hæc symbola Diuûm,*
*Hoc gestamen erat, Regniq. insigne decorum,*
*Cum mea Regnatrix gentes ad iura coegi,*
*Cum nondum exilio mutassem regna, neq. astris*

Quæsis-

*Quæsissem hospitium, terras exosa rebelles.*
*Nunc age nostrarum custos fidissime rerum*
*Accipe. tu lancem hanc dextra librabis, & æquos*
*Describes populis ritus, & iura repones*
*Illa mihi, quæ quondam hominum fera sustulit ætas.*
*Hanc gere Regnator praui, rectiq. sequestram.*
*Hac falsi, veriq. animis diuortia feci;*
*Cùm mea regnandi pepigi commercia cœlo.*
*Hac dabitur pacem regnis, hac iura tueri*
*Olim, Campanis cùm te pulcherrima Siren*
*Finibus excipiet, leges pro rege daturum*
*Gente sub Austriaca, magnus cui vertitur Orbis*
*Sub pedibus, nec famam vno iam claudit Olympo.*
*I, tantum Imperium nostris gere conscius armis.*
*Nec te degeneres nati, mea cura, sequentur,*
*Aut nati natorum olim: nec laudis abortus*
*Vllus erit: semperq. tui noua surget imago*
*Ingenij: trahet hunc virtus per secla tenorem.*
*Hæc ait, & sacro pectus Dea contigit igni,*
*Et dedit à superis cognatam adsciscere mentem.*
*Macte animis, tanti sanguis generose parentis,*
*Nobile per heroum, & nominis altera tanti*
*Sacra Deo * pubes, natalibus altera Regnis.*
*Tu sanctum, ò genio soboles animata paterno,*

* Tertium intelligit filium, in Dominicanorum familiam per id tempus ingressum.

*Concilias Diuûm ingenium, & tot gaudia terris.*
*Vos genus imperijs, pietas vos educat astris.*
*Vos genitor dudum egregios virtutis ad vsus*
*Erudit, & patria carum genus indole format.*
*Salue animis ingens pubes, & flore gemello,*
*Cui genitrix tales immulsit ab vbere laudes,*
*Et virtute dedit cognatum attingere cœlum,*
*O iterum saluete Ducum fraterna propago,*
*Æternùm saluete mei duo lumina Pindi,*
*Et patrios vobis numen fortunet honores.*

# Ad Franciscum Prignanũ è Societate Iesu responsio.

## XI.

Is cum poeta patriam incolẽte ad phthisim amouendam, versibus prior luserat, finxeratq. Iridem ad sese recuperatae ab eo valetudinis nũciam aduolasse.



*Vid, precor, (an fingis?) Thaumantias illa locuta est,*
*Illa, mei quæ fida tibi modò nuncia venit?*
*Fida; quid hoc testor? neq. enim Dea Sole sub vno*
*Pluribus illusas mentita coloribus auras,*
*Mentiri nil voce potest. mendacia mentis*

*Sæpe tegit composta nouæ pellacia frontis.*
*Siccine te primis affata est obuia dictis,*
*Lusce puer? quo Diua tuens te lumine, luscum*
*Dixit? an illi oculos tua luminis aura fefellit?*
*Non aciem, non illa tui, mihi crede, videbat*
*Ingenij lumen, non ora simillima Lynceo.*
*Si qua tamen ius arma gerit; si vera fatemur:*
*Nil venia indignum est, quicquid seu nescia veri,*
*Seu præfata ioco cecinit, seu lubrica fando.*
*Quid Dea vos inter potuit nisi credere luscum,*
*Huic oculos assueta Polo, & fulgentibus oris,*
*Quà mea * Monticole, superis contermina, Cælum*
*Ponè subit, vobisq. procul spectantibus, haurit*
*Cælicolûm vitale iubar, Solemq. beatum?*
*His, reor, obtutum radijs, hac lampade Cæli*
*Æternùm saturata, nec vnquam experta videndo*
*Languentem sub nube diem, vel nocte sepultum,*
*Aut conniuentem dubijs fulgoribus æthram,*
*Quid faceret, vestra cum se caligine septam*
*Vidit, & vmbrarum tantos Dea sensit amictus?*
*Quid regnum ni lucis inops, quin lusca putaret*
*Omnia, tam densas inter deprensa tenebras,*
*Tantum oculis experta chaos? Sic ardua postquam*
*Sidera remigio subijt Iouis ales, & acri*

* Is est vnus e multis Massævicis, in editi collis fastigio situs, natale poetæ solum, vbi se se ad phthisin curādam per id tēporis obiectabat.

*Corripuit visu rutilos Hyperionis ignes;*
*Mox prædam meditata, citis nemus irruit alis,*
*Regna petens auium, fremitu populosa canoro,*
*Quà sublustre micat nemorosa sub ilicibus nox;*
*Perq. vmbras primùm furit irrita; iamq. recenti*
*Multùm aciem Phœbo, & candentibus ebria flammis,*
*Lumina conniuet subitis offensa tenebris.*
*Tantùm oculos primo saturos iam luminis haustu*
*Vmbra ferit, tantùm aspectus fugit illa secundos.*
*Sic mea se vestris cum sedibus intulit Iris,*
*Quamquam aditu sortita domos, non lucis egentes,*
*Sed tamen his cœli spatijs Dea nata potiri,*
*Liberior liquidos vbi Cynthius explicat ortus;*
*Mox, vbi vos primùm fulgentibus attigit alis,*
*Credo equidem, vestras inter se credidit auras*
*Nocturnum vidisse diem, noctemue diurnam.*
*Vestrum illi iubar, & vestri lux alma diei,*
*Instar noctis erat. tales modò cognita Lubræ*
*Pura dies radios plenis afflarat ocellis.*
*Ergo, vbi vos primùm vidit nil tale micantes,*
*Quid mirum, si prima tuens, nigrescere circum*
*Omnia, si passim aërias regnare lacunas*
*Credidit, & crassa cœli vos tabe natantes?*
*Lusce puer, dixit? Quid enim, si lusca putabat*

*Ora*

*Ora virûm, Solis vultu contenta maligno,*
*Nec visura diem; nobis quem cernere fas est?*
*Progeniem luscam, & cæli nigrantis alumnam,*
*Qui numquam ætheriam sedem videre superba*
*Monticoles, puro quæ cominus ardet Eoo,*
*Inq. suam subiecta vocans mortalia metam*
*Nil vltra supraq. videt, nisi limina Diuûm.*
*Vos, animæ errantes cæco sub carcere Mundi,*
*Pinguis vbi emungit se Iuppiter, & liquat æstus*
*Æolia cum fæce suos, cæliq. venenum,*
*Vos, licet inuitet propius blandissima Siren;*
*Sideream hanc arcem, & rerum fastigia tantum*
*Suspicitis, quantum vos regia suspicit Orci.*
*Non vllum hic anni vitium, non ætheris vllam*
*Illuuiem, labemq. die sensere coloni,*
*Hanc sibi qui fato sedem meminere paternam.*
*Si non aula Deûm; certe vestigia quisquis*
*Prima Polo fixit, tali dedit vltima terræ.*
*Pura liquet circum regio, & felicibus æther*
*Illecebris genium, & castos inuitat amores.*
*Hinc propius venientem altis Titana quadrigis*
*Cernimus; & cursu fessos, & vindice loro*
*Præcipites audimus equos, currumq. sonantem.*
*Cumq. Aurora sinus curru leuis explicat aureos,*

*Nos primum excipimus rorem, & vitale tributum*
*Nectaris Eoi, & numquam illætabilis auræ;*
*Vnde fugam senij, & Tithonia secula victu*
*Ducimus indefeßi æuo, & viuacibus annis.*
*O vitam exilio curarum, & moribus aureis*
*Felicem, & Phœbi studijs, & amabilis oti.*
*Hîc rerum nobis vnum, & commune theatrum*
*Cum Superis. illi quondam nos fœdere certo*
*Indigenas fecere suos, & sede propinquos.*
*Communem ambrosia victum captamus ab vna,*
*Et festum inter nos epulis agitamus honorem.*
*Hinc etiam, si quid nobis è limine nostro*
*Nosse datum certi, si quicquam audire necesse est;*
*Diuûm oratores vestras legamus ad aures.*
*Testor ab his nuper missam tibi sedibus Irin:*
*Illi nostra ferent vobis, & vestra reposcent*
*Dicta, nec affatu quicquam mortale sonantes*
*Aduenient iußi, & fari quæ sanda parati.*
*Vos, genus ò fatis natum non talibus vti,*
*O sata gens fundo Mundi inferioris in imo,*
*Vos mutas legate notas, & verba tabellis*
*Credite; vos ista lectos de gente ministros*
*Mittite, qui vocem, & sermonum alterna reportent.*
*Nos gentem ætheriam, (nanq. hæc quoq. credita nobis*

*Iura*

*Iura Deûm) quæ nostra ferat mandata, vocamus.*
*Sic, tibi qui nuper nitidam Thaumantida misi*
*Certa loqui iussam, atq. tuas accersere voces.*
*Mox, aliud si quid credam te velle doceri,*
*Si qua noui, quæ multa, dabunt cognoscere casus;*
*Aut genitum Maia mittam, aut Iunonis alumnam,*
*Aut aliquem Iouis è numero. patet intima nostris*
*Aula Deûm (sic pacta iubent commercia) iußis.*
*Interea, ne quid poßis nisi læta moneri,*
*Incumbendum operi, & moles hæc tanta malorum*
*O quibus eluctanda tridentibus. ò ego tantum*
*Si superem; si quâ rursum fata aspera rumpam,*
*Ceu quondam rupisse datum; si trudere mortem,*
*Et spatium laxare æui, metamq. licebit:*
*Non mihi præterea (si mentior, imprecer iras*
*Phœbe tuas) non illa mihi tam dira libido,*
*Ingenij, tantam illecebris malesuada petulcis*
*Conciliet pestem, aut tales irritet amores.*

*Vos æterni aditus vitæ tam cœlitis, ò vos*
*Monticolæ, & Mitranis, & ardua colle Laquaris,*
*Illaqueasse Deos quondam Dea credita forma,*
*Nunc facies formosa loci. tuq. aurea cultu*
*Pantagathe; tuq. ò roseæ sublime Crepilla*
*Lubrense Elysium, & vario sata rure voluptas,*

Hi sunt Massæ vici, quos sub nomine Nympharum vel ab aëris salubritate, vel loci amœnitate commendat.

*Vos, precor, exitium hoc, vitæq. extrema minantem*
*Vincite fortunam, & tantos arcete furores.*
*O domus, ò Patria, & superi confinia Regni,*
*Saluete, ò nitidi colles. ego vestra salutem*
*Progenies morbo languentem, & tabe proterua*
*Ad vestrum appello gremium. fulcite labantem*
*Hanc animam, instantiq. moras opponite fato.*
*Sæpe olim hoc nobis lapsum in præcordia virus,*
*Et capitis vitio liquentem in pectora tabem*
*Vos ope Pæonia melius probibere recordor.*
*Ah mihi nunc iterum nutantem, & viribus ægris*
*Triste laborantem, spirantemq. vltima vitam*
*Vos quoque, (nam vestris nil non conceditur ausis)*
*Instaurate, pia tantum si voce reposco.*
*Vos trepidæ labentem artem firmatæ iuuentæ.*
*Vita quater binas nondum mihi vespere pleno*
*Vertit olympiadas. non hæc Lubrensibus ætas*
*Æqua meis, non æqua mihi, & florentibus annis.*
*Vos mihi, ne citra metam defessa resîdat*
*Vita suam, cursumq. dati non integret æui;*
*Rumpite præclusos aditus, atq. obiice vestro*
*Proruite obstantem hanc Diram. date vasta viarum*
*Claustra nouo occursu, & fines laxate senectæ.*

Ad

# Ad eius auditorem per Autumni ferias, vt à strumis conualesceret, in Vesuuiano degentem.

## XII.

*Ergo erat hospitium* ***Musis affine*** *Veseuo,*
*Quà viridi Pomona* ***solo***, ***quà germine*** *prono*
*Gaudet odoratis* ***annus flauescere*** *pomis,*
*Et consanguineo mala Thestylis ardet* ***Iaccho***,
*Ebria suffusos Lenæo murice vultus?*
*Hiccine Pierios habitas oblita penates,*
*Calliope, nec probra times, nec iurgia Bacchi?*
*Ah nimis ille audax, animisq. in verba solutis*
*Liber inire iocos, & vertere seria ludo.*
*Dumq. alios vocat ad thyasos ignobile vulgus,*
*Nil fando vetat insanos audere colonos.*
*Nullum vltra fas ire putat, quem prodiga rixæ*

*Præcipitem instigat cæco vindemia thyrso.*
*Hic Dea si longùm nostri secura moraris,*
*Et vaga per sylvas curarum oblivia captas;*
*Ne mores, ne Diua tuos, & nobilę perdas*
*Ingenium, viles inter deprensa cachinnos.*
*Nec metuam. neq. enim, credo, te barbara luxu*
*Turba tenet: nulli capiunt te ruris amores,*
*Non furor euantum, & dictis effræna iuuentus;*
*Sed * Luceris te cura tui, te solus amantis*
*Cogit amor tanti, patrio decedere Pindo,*
*Atq. illum ad medicas ægrum deducere sedes.*
*Credo equidem, & tibi me tanti clementia facti*
*Demeruit, vitam caro meditata sodali.*
*O illum mihi si redimas à funere, si quâ*
*Restituas; nil crede tibi mortale redemptum.*
*Scis ipsa, & tantos ideo perpessa labores,*
*Castalium linquis collem, & Parnaßia regna:*
*Et iuga per Campana, per auia culta Napæas*
*Insequeris, si quam inuenias, quæ carpere fruges*
*Gnara Machaoniam doceat, floremq. salubrem.*
*Ah, Dea, qua strumis generosum à fronde leuamen?*
*Non honor hic agro, aut solis innascitur hortis.*
*Est aliquid, mollem erucam, & plantaginis herbam,*
*Cumq. suis auulsę solo radicibus irin,*

* Auditorẽ suũ, ficto nomine, Lucerim appellat. Luceriæ enim vrbe Apuliæ natus erat.

*Caulemq.*

Caulemq; & viuax adiantum, & flauá lupini
Semina, pollentemq. veneficijs caprificum.
Est & amygdalino dulcem de germine glandem;
Et lentem, & baccis lentiscum excusse caducis,
Et quotquot quæcunque tulit ficulnea fœtus
Legisse, & longum Solis decoxe per æstum;
Cumq. virens latum cucumis turgescit in orbem;
Illius è sulco stirpem detraxe profundo.
Nec nihil est, quæsisse fauos florentis Hymetti,
Ostreaq; & purum laticem flauentis Iacchi.
Est aliqua, est huius merces non parua laboris:
Verùm alias grauior poscit solertia curas;
Egregium si quicquam ægro meditaris amico:
Hoc opus: hic animis luctandum, & fortibus ausis.
Est, vbi Nolanas regio interfusa lacunas
Horrificùm fumat, cœlumq. infesta vaporat,
Intempesta situ, & gelidis plaga fœta colubris.
Huc, rapida cum Sol terras face torret, adibis:
Addat se comitem, & syluosa per auia ducat
*Sosias, agrestes inter fidißima Nymphas.
His inter fœdam illuuiem, & sola turbida cœno,
Igne sub aërio, & media sub luce diei,
Consertum innumeris agmen micat anguibus. at tu
Quem magis horrentem maculis, aluoq. tumentem

Ea est villa nostra, quæ d. S. Sosius, ad Vesuuij radices sita.

*Videris, & spiras, & squamea colla coruscum,*
*Atq. alto geminantem arrecta volumina tergo;*
*Illum inuade manu. quid enim te sibila terrent*
*Ora Deam? compesce ferum, & ceruice minantem*
*Gorgonea victrix, & faucibus ange subactis.*
*Frugibus hunc medicis, & dulcibus incoque succis*
*Pube sua nudatum aptè, squamaq. palustri,*
*Et capite auulso concisum, & cuspide caudæ.*
*Illum appone epulis. quòd si noua fercula quæ sint*
*Indubitet, iam iamq. doli suspecta recuset;*
*Finge tibi missum Lubrensi è littore congrum,*
*Aut aliam Nerei raptam de gurgite prædam.*
*Vince dolo refugum; neque enim præsentius vllum*
*Auxilium è patrijs Podalirius attulit astris.*
*Tum iuueni longum hospitium, sedemq. Veseui*
*Diua time. redeunt infestæ frigora brumæ.*
*Si quis adhuc amor Autumni, & supremus opaci*
*Ruris honos, æstusq. suos trahit vltimus orbes;*
*Sunt & vitiferi colles, & littus apricum*
*Pomiferas circum Diuæ Sebethidis oras.*
*Hic, age, littoreas illum, nam tempus, ad vndas*
*Siste comes, sedemq. loco molire tepenti,*
*Seu nitidis quà culta iugis, & pinguia Lubræ*
*Rura meæ; seu quà portu genialis amœno*

*Ina-*

*Inarime; Cumæa sonant quà fata Sibyllæ;*
*Et quà prona iugo pontum accolit Aglaïa,*
*Atq. Ægle, Pomona Deûm; quæq. alta propinquam*
*Inuitat Sirena suis Euplæa viretis.*
*O, quibus irriguos almæ Tritonidis hortos,*
*Lubrenses, mea cura, Deæ; quibus aurea cultu*
*Rura datum colere, & felicia carpere mala;*
*Tuq; omnes cui largus opes Autumnus, & omnes*
*Addidit illecebras animorum, & ruris honores,*
*Parthenope, quæq. affines per littora Diuæ,*
*Pausilype, Prochytæq; & fontibus æmula Nesis*
*Hesperidum, & pulchro sata Nereo Mergilline,*
*Nunc & Hamadryadum non vltima, nunc & amœni*
*Ruris amans, nunc poma ferens Dea diuite cornu;*
*Quæq. alios circa saltus, & regna Dicarchi,*
*Perq. sinus Diuæ Craterides, & iuga propter*
*Florea Sirenum, & vicinæ Tethyos vndas:*
*Si quid in Elysijs cœli clementia vestris*
*Seruat opum; si quod vobis à Pæone munus,*
*Prodigite hospitio. vestris en hospita regnis*
*Pegasidum vna nouem veniet, (sat Numina nostis)*
*Pæonias quæ ruris opes, & dulce salutis*
*Auxilium caro Phœbi venatur alumno.*

# Pæoniæ, Seu de valetudine tuenda.

## LIBER PRIMVS.





*VI faciles æui cursus, qui lætæ secundi*
*Secula natales ineant; quo fœdere cœli*
*Vita diem, viresq. regat, fatumq. moretur;*
*Et quo firma magis veniat, vel sideris ortu,*
*Vel genio, cultuq. loci; vel sanguinis alto*
*Fonte salus; quas inter opes pubescat alendo*
*Pulchrius, & varij quanta experientia victus;*
*Incipe, si qua via est; neq. enim non artibus vlla est,*
*Phœbe tuis. tu lucem ægris mortalibus almam*
*Sufficis & vitæ custos, & ianitor æui.*
*Nempe hominum si qua est vllis annosa voluptas,*
*Aut si qua indulget spatijs viuacibus ætas,*
*Artis honos, & cura tuæ. tu Pæonis arcam*

*Explo*

*Explora, & facilis tua mecum arcana reuolue.*
*Tuq. adeo sætam populis felicibus vrbem*
*Quæ regis, & cœlo nobis & sole beato*
*Cingis inaccessam fatis instantibus arcem,*
*Atq. annos æterna vocas ad lustra senectæ;*
*Prima faue, cognata mihi si littora Siren*
*Accolis, & nostras afflant tua numina voces.*
*Ferte nouas huc veris opes, & ruris honores,*
*Quæ iuga tondentes, & florea culta Napææ*
*Pæonias legitis vestro de semine fruges;*
*Seu quæ floriferis in saltibus, & vaga propter*
*Flumina, perq. vdas herbosi marginis oras,*
*Seu notum occultis florem quæ carpitis antris;*
*Aut hortos, & rura satu libatis amœno,*
*Et medicas alitis peregrino germine vires.*
*Tu quoque, Lubrenses, patrium mihi littus, arenas*
*Quæ colis, & sacram seruas Tritonia sedem,*
*Et consanguineum gentis decus, altaq. Lubræ*
*Regna tenes,* nomenq. loco, numenq. dedisti;*

* Nam Massa de Lubrensis à delubro Mineruæ, illic olim cõdito.

*Adsis ò bona Diua. tuum hoc,* ò sospita, munus,*
*Et labor ingenij, & quidquid fiducia fandi*
*Nostra mouet, quæcunque nouo mẽtem impulit œstro.*

* Alludit ad valetudinẽ suã patrij cæli beneficio à se sæpius recuperatam.

*Tu sæuam attonita cogis mitescere dextra*
*Atropon, & fato Soles furata benignos,*

*Concilias Diuûm ingenium, & tot gaudia terris.*
*Vos genus imperijs, pietas vos educat astris.*
*Vos genitor dudum egregios virtutis ad vsus*
*Erudit, & patria carum genus indole format.*
*Salue animis ingens pubes, & flore gemello,*
*Cui genitrix tales immulsit ab vbere laudes,*
*Et virtute dedit cognatum attingere cœlum,*
*O iterum saluete Ducum fraterna propago,*
*Æternùm saluete mei duo lumina Pindi,*
*Et patrios vobis numen fortunet honores.*

# Ad Franciscum Prignanũ è Societate Iesu responsio.

## X I.

Is cum poeta patriam incolẽte ad phthisim amouendam, versibus prior luserat, finxeratq. Iridem ad sese recuperatae ab eo valetudinis nũciam aduolasse.



*Vid, precor, (an fingis?) Thaumantias illa locuta est,*
*Illa, mei quæ fida tibi modò nuncia venit?*
*Fida; quid hoc testor? neq. enim Dea Sole sub vno*
*Pluribus illusas mentita coloribus auras,*
*Mentiri nil voce potest. mendacia mentis*

*Sæpe tegit composta nouæ pellacia frontis.*
*Siccine te primis affata est obuia dictis,*
*Lusce puer? quo Diua tuens te lumine, luscum*
*Dixit? an illi oculos tua luminis aura fefellit?*
*Non aciem, non illa tui, mihi crede, videbat*
*Ingenij lumen, non ora simillima Lynceo.*
*Si qua tamen ius arma gerit; si vera fatemur:*
*Nil venia indignum est, quicquid seu nescia veri,*
*Seu præfata ioco cecinit, seu lubrica fando.*
*Quid Dea vos inter potuit nisi credere luscum,*
*Huic oculos assueta Polo, & fulgentibus oris,*
*Quà mea * Monticolæ, superis contermina, Cœlum*
*Ponè subit, vobisq. procul spectantibus, haurit*
*Cœlicolûm vitale iubar, Solemq. beatum?*
*His, reor, obtutum radijs, hac lampade Cœli*
*Æternùm saturata, nec vnquam experta videndo*
*Languentem sub nube diem, vel nocte sepultum,*
*Aut conniuentem dubijs fulgoribus æthram,*
*Quid faceret, vestra cum se caligine septam*
*Vidit, & vmbrarum tantos Dea sensit amictus?*
*Quid regnum ni lucis inops, quin lusca putaret*
*Omnia, tam densas inter deprensa tenebras,*
*Tantum oculis experta chaos? Sic ardua postquam*
*Sidera remigio subijt Iouis ales, & acri*

* Is est vnus e multis Massæ vicis, in editi collis fastigio situs, natale poetæ solum. vbi se se ad phthisin curãdam per id tẽporis oblectabat.

*Corripuit visu rutilos Hyperionis ignes;*
*Mox prædam meditata, citis nemus irruit alis,*
*Regna petens auium, fremitu populosa canoro,*
*Quà sublustre micat nemorosa sub ilicibus nox;*
*Perq. vmbras primùm furit irrita; iamq. recenti*
*Multùm aciem Phœbo, & candentibus ebria flammis,*
*Lumina conniuet subitis offensa tenebris.*
*Tantùm oculos primo saturos iam luminis haustu*
*Vmbra ferit, tantùm aspectus fugit illa secundos.*
*Sic mea se vestris cum sedibus intulit Iris,*
*Quamquam aditu sortita domos, non lucis egentes,*
*Sed tamen his cæli spatijs Dea nata potiri,*
*Liberior liquidos vbi Cynthius explicat ortus;*
*Mox, vbi vos primùm fulgentibus attigit alis,*
*Credo equidem, vestras inter se credidit auras*
*Nocturnum vidisse diem, noctemue diurnam.*
*Vestrum illi iubar, & vestri lux alma diei,*
*Instar noctis erat. tales modò cognita Lubræ*
*Pura dies radios plenis afflarat ocellis.*
*Ergo, vbi vos primùm vidit nil tale micantes,*
*Quid mirum, si prima tuens, nigrescere circum*
*Omnia, si passim aërias regnare lacunas*
*Credidit, & crassa cæli vos tabe natantes?*
*Lusce puer, dixit? Quid enim, si lusca putabat*

Ora

*Ora virûm, Solis vultu contenta maligno,*
*Nec visura diem; nobis quem cernere fas est?*
*Progeniem luscam, & cæli nigrantis alumnam,*
*Qui numquam ætheriam sedem videre superba*
*Monticoles, puro quæ cominus ardet Eoo,*
*Inq. suam subiecta vocans mortalia metam*
*Nil vltra supraq. videt, nisi limina Diuûm.*
*Vos, animæ errantes cæco sub carcere Mundi,*
*Pinguis vbi emungit se Iuppiter, & liquat æstus*
*Æolia cum fæce suos, cæliq. venenum,*
*Vos, licet inuitet propius blandissima Siren;*
*Sideream hanc arcem, & rerum fastigia tantum*
*Suspicitis, quantum vos regia suspicit Orci.*
*Non vllum hîc anni vitium, non ætheris vllam*
*Illuuiem, labemq. die sensere coloni,*
*Hanc sibi qui fato sedem meminere paternam.*
*Si non aula Deûm; certe vestigia quisquis*
*Prima Polo fixit, tali dedit vltima terræ.*
*Pura liquet circum regio, & felicibus æther*
*Illecebris genium, & castos inuitat amores.*
*Hinc propius venientem altis Titana quadrigis*
*Cernimus; & cursu fessos, & vindice loro*
*Præcipites audimus equos, currumq. sonantem.*
*Cumq. Aurora sinus curru leuis explicat aureos,*

Nos primum excipimus rorem, & vitale tributum
Nectaris Eoi, & numquam illætabilis auræ;
Vnde fugam senij, & Tithonia secula victu
Ducimus indefessi æuo, & viuacibus annis.
O vitam exilio curarum, & moribus aureis
Felicem, & Phœbi studijs, & amabilis oti.
Hic rerum nobis vnum, & commune theatrum
Cum Superis. illi quondam nos fœdere certo
Indigenas fecere suos, & sede propinquos.
Communem ambrosia victum captamus ab vna,
Et festum inter nos epulis agitamus honorem.
Hinc etiam, si quid nobis è limine nostro
Nosse datum certi, si quicquam audire necesse est;
Diuûm oratores vestras legamus ad aures.
Testor ab his nuper missam tibi sedibus Irin:
Illi nostra ferent vobis, & vestra reposcent
Dicta, nec affatu quicquam mortale sonantes
Aduenient iussi, & fari quæ sanda parati.
Vos, genus ò fatis natum non talibus vti,
O sata gens fundo Mundi inferioris in imo,
Vos mutas legate notas, & verba tabellis
Credite; vos ista lectos de gente ministros
Mittite, qui vocem, & sermonum alterna reportent.
Nos gentem ætheriam, (nanq. hæc quoq. credita nobis
Iura

Iura Deûm) quæ nostra ferat mandata, vocamus.
Sic, tibi qui nuper nitidam Thaumantida misi
Certa loqui iussam, atq. tuas accersere voces.
Mox, aliud si quid credam te velle doceri,
Si qua noui, quæ multa, dabunt cognoscere casus;
Aut genitum Maia mittam, aut Iunonis alumnam,
Aut aliquem Iouis è numero. patet intima nostris
Aula Deûm (sic pacta iubent commercia) iussis.
Interea, ne quid possis nisi læta moneri,
Incumbendum operi, & moles hæc tanta malorum
O quibus eluctanda tridentibus. ò ego tantum
Si superem; si quâ rursum fata aspera rumpam,
Ceu quondam rupisse datum; si trudere mortem,
Et spatium laxare æui, metamq. licebit:
Non mihi præterea (si mentior, imprecer iras
Phœbe tuas) non illa mihi tam dira libido
Ingenij, tantam illecebris malesuada petulcis
Conciliet pestem, aut tales irritet amores.

Vos æterni aditus vitæ tam cælitis, ò vos
Monticole, & Mitranis, & ardua colle Laquaris,
Illaqueasse Deos quondam Dea credita forma,
Nunc facies formosa loci. tuq. aurea cultu
Pantagathe; tuq. ò rosea sublime Crepilla
Lubrense Elysium, & vario sata rure voluptas,

Hi sunt Massæ vici, quos sub nomine Nympharum vel ab aëris salubritate, vel loci amœnitate commendat.

*Vos, precor, exitium hoc, vitæq. extrema minantem*
*Vincite fortunam, & tantos arcete furores.*
*O domus, ò Patria, & superi confinia Regni,*
*Saluete, ò nitidi colles. ego vestra salutem*
*Progenies morbo languentem, & tabe proterua*
*Ad vestrum appello gremium. fulcite labantem*
*Hanc animam, instantiq. moras opponite fato.*
*Sæpe olim hoc nobis lapsum in præcordia virus,*
*Et capitis vitio liquentem in pectora tabem*
*Vos ope Pæonia melius probibere recordor.*
*Ah mihi nunc iterum nutantem, & viribus ægris*
*Triste laborantem, spirantemq. vltima vitam*
*Vos quoque, (nam vestris nil non conceditur ausis)*
*Instaurate, pia tantum si voce reposco.*
*Vos trepidæ labentem arcem firmatæ iuuentæ.*
*Vita quater binas nondum mihi vespere pleno*
*Vertit olympiadas. non hæc Lubrensibus ætas*
*Æqua meis, non æqua mihi, & florentibus annis,*
*Vos mihi, ne citra metam defessa residat*
*Vita suam, cursumq. dati non integret æui;*
*Rumpite præclusos aditus, atq. obijce vestro*
*Proruite obstantem hanc Diram. date vasta viarum*
*Claustra nouo occursu, & fines laxate senectæ.*

Ad

# Ad eius auditorem per Autumni ferias, vt à ſtrumis conualeſceret, in Veſuuiano degentem.

## XII.

*ERgo erat hoſpitium Muſis affine Veſeuo,*
*Quà viridi Pomona ſolo, quà germine prono*
*Gaudet odoratis annus flaueſcere pomis,*
*Et conſanguineo mala Theſtylis ardet Iaccho,*
*Ebria ſuffuſos Lenæo murice vultus?*
*Hiccine Pierios habitas oblita penates,*
*Calliope, nec probra times, nec iurgia Bacchi?*
*Ah nimis ille audax, animisq. in verba ſolutis*
*Liber inire iocos, & vertere ſeria ludo.*
*Dumq. alios vocat ad thyaſos ignobile vulgus,*
*Nil fando vetat inſanos audere colonos.*
*Nullum vltra fas ire putat, quem prodiga rixæ*

*Præcipitem instigat cæco vindemia thyrso.*
*Hic Dea si longùm nostri secura moraris,*
*Et vaga per syluas curarum obliuia captas;*
*Ne mores, ne Diua tuos, & nobile perdas*
*Ingenium, viles inter deprensa cachinnos.*
*Nec metuam. neq. enim, credo, te barbara luxu*
*Turba tenet: nulli capiunt te ruris amores,*
*Non furor euantum, & dictis effræna iuuentus;*
*Sed * Luceris te cura tui, te solus amantis*
*Cogit amor tanti, patrio decedere Pindo,*
*Atq. illum ad medicas ægrum deducere sedes.*
*Credo equidem, & tibi me tanti clementia facti*
*Demeruit, vitam caro meditata sodali.*
*O illum mihi si redimas à funere, si quâ*
*Restituas; nil crede tibi mortale redemptum.*
*Scis ipsa, & tantos ideo perpessa labores,*
*Castalium linquis collem, & Parnaßia regna:*
*Et iuga per Campana, per auia culta Napæas*
*Insequeris, si quam inuenias, quæ carpere frugem*
*Gnara Machaoniam doceat, floremq. salubrem.*
*Ah, Dea, qua strumis generosum à fronde leuamen?*
*Non honor hic agro, aut solis innascitur hortis.*
*Est aliquid, mollem erucam, & plantaginis herbam,*
*Cumq. suis auulse solo radicibus irin,*

* Auditorē suū, ficto nomine, Lucerim appellat. Luceria enim vrbe Apuliæ natus erat.

Caulemq.

Caulemq; & viuax adiantum, & flaua lupini
Semina, pollentemq. veneficijs caprificum.
Est & amygdalino dulcem de germine glandem,
Et lentem, & baccis lentiscum excusse caducis,
Et quotquot quæcunque tulit ficulnea fœtus
Legisse, & longum Solis decoxe per æstum;
Cumq. virens latum cucumis turgescit in orbem,
Illius è sulco stirpem detraxe profundo.
Nec nihil est, quæsisse fauos florentis Hymetti,
Ostreaq; & purum laticem flauentis Iacchi.
Est aliqua, est huius merces non parua laboris.
Verùm alias grauior poscit solertia curas;
Egregium si quicquam ægro meditaris amico.
Hoc opus: hic animis luctandum, & fortibus ausis.
Est, vbi Nolanas regio interfusa lacunas
Horrificùm fumat, cœlumq. infesta vaporat,
Intempesta situ, & gelidis plaga fœta colubris.
Huc, rapida cum Sol terras face torret, adibis.
Addat se comitem, & syluosa per auia ducat
*Sosias, agrestes inter fidißima Nymphas.
His inter fœdam illuuiem, & sola turbida cœno,
Igne sub aërio, & media sub luce diei,
Confertum innumeris agmen micat anguibus. at tu
Quem magis horrentem maculis, aluoq. tumentem

*Ea est villa nostra, quæ dè S. Sosius, ad Vesuuij radices sita.

Videris, & spiras, & squamea colla coruscum;
Atq. alto geminantem arrecta volumina tergo;
Illum inuade manu. quid enim te sibila terrent
Ora Deam? compesce ferum, & ceruice minantem
Gorgonea victrix, & faucibus ange subactis.
Frugibus hunc medicis, & dulcibus incoque succis
Pube sua nudatum aptè, squamaq. palustri,
Et capite auulso concisum, & cuspide caudæ.
Illum appone epulis. quòd si noua fercula quæ sint
Indubitet, iam iamq. doli suspecta recuset;
Finge tibi missum Lubrensi è littore congrum,
Aut aliam Nerei raptam de gurgite prædam.
Vince dolo refugum; neque enim præsentius vllum
Auxilium è patrijs Podalirius attulit astris.
Tum iuueni longum hospitium, sedemq. Veseui
Diua time. redeunt infestæ frigora brumæ.
Si quis adhuc amor Autumni, & supremus opaci
Ruris honos, æstusq. suos trahit vltimus orbes;
Sunt & vitiferi colles, & littus apricum
Pomiferas circum Diuæ Sebethidis oras.
Hic, age, littoreas illum, nam tempus, ad vndas
Siste comes, sedemq. loco molire tepenti,
Seu nitidis quà culta iugis, & pinguia Lubræ
Rura meæ; seu quà portu genialis amœno

Ina-

Inarime; Cumæa sonant quà fata Sibyllæ;
Et quà prona iugo pontum accolit Aglaïa,
Atq. Ægle, Pomona Deûm, quæq. alta propinquam
Inuitat Sirena suis Euplœa viretis.
O, quibus irriguos almæ Tritonidis hortos,
Lubrenses, mea cura, Deæ; quibus aurea cultu
Rura datum colere, & felicia carpere mala;
Tuq; omnes cui largus opes Autumnus, & omnes
Addidit illecebras animorum, & ruris honores;
Parthenope, quæq. affines per littora Diuæ,
Pausilype, Prochytæq; & fontibus æmula Nesis
Hesperidum, & pulchro sata Nereo Mergilline,
Nunc & Hamadryadum non vltima, nunc & amœni
Ruris amans, nunc poma ferens Dea diuite cornu;
Quæq. alios circa saltus, & regna Dicarchi,
Perq. sinus Diuæ Craterides, & iuga propter
Florea Sirenum, & vicinæ Tethyos vndas:
Si quid in Elysijs cœli clementia vestris
Seruat opum; si quod vobis à Pæone munus,
Prodigite hospitio. vestris en hospita regnis
Pegasidum vna nouem veniet, (sat Numina nostis)
Pæonias quæ ruris opes, & dulce salutis
Auxilium caro Phœbi venatur alumno.

# Pæoniæ, Seu de valetudine tuenda.

## LIBER PRIMVS.





*VI faciles æui curſus, qui læta ſecundi*
*Secula natales ineant; quo fœdere cœli*
*Vita diem, viresq. regat, fatumq. moretur;*
*Et quo firma magis veniat, vel ſideris ortu,*
*Vel genio, cultuq. loci; vel ſanguinis alto*
*Fonte ſalus; quas inter opes pubeſcat alendo*
*Pulchrius, & varij quanta experientia victus;*
*Incipe, ſi qua via eſt; neq. enim non artibus vlla eſt,*
*Phœbe tuis. tu lucem ægris mortalibus almam*
*Sufficis & vitæ cuſtos, & ianitor æui.*
*Nempe hominum ſi qua eſt vllis annoſa voluptas,*
*Aut ſi qua indulget ſpatijs viuacibus ætas,*
*Artis honos, & cura tuæ. tu Pæonis arcam*

*Exple*

*Explora, & facilis tua mecum arcana reuolue.*
*Tuq. adeo sætam populis felicibus vrbem*
*Quæ regis, & cœlo nobis & sole beato*
*Cingis inaccessam fatis instantibus arcem,*
*Atq. annos æterna vocas ad lustra senectæ;*
*Prima faue, cognata mihi si littora Siren*
*Accolis, & nostras afflant tua numina voces.*
*Ferte nouas huc veris opes, & ruris honores,*
*Quæ iuga tondentes, & florea culta Napææ*
*Pæonias legitis vestro de semine fruges;*
*Seu quæ floriferis in saltibus, & vaga propter*
*Flumina, perq. vdas herbosi marginis oras,*
*Seu notum occultis florem quæ carpitis antris;*
*Aut hortos, & rura satu libatis amœno,*
*Et medicas alitis peregrino germine vires.*
*Tu quoque, Lubrenses, patrium mihi littus, arenas*
*Quæ colis, & sacram seruas Tritonia sedem,*
*Et consanguineum gentis decus, altaq. Lubræ*
*Regna tenes,* nomenq. loco, numenq. dedisti;*
*Adsis ò bona Diua. tuum hoc,* ò sospita, munus,*
*Et labor ingenij, & quidquid fiducia fandi*
*Nostra mouet, quæcunque nouo mẽtem impulit œstro.*
*Tu sæuam attonita cogis mitescere dextra*
*Atropon, & fato Soles furata benignos,*

Nam Massa de Lubrensis à delubro Mineruæ, illic olim cõdito.

Alludit ad valetudinẽ suã patrij cæli beneficio à se sæpius recuperatam.

*Concilias Diuûm ingenium, & tot gaudia terris:*
*Vos genus imperijs, pietas vos educat astris.*
*Vos genitor dudum egregios virtutis ad vsus*
*Erudit, & patria carum genus indole formar.*
*Salue animis ingens pubes, & flore gemello,*
*Cui genitrix tales immulsit ab vbere laudes,*
*Et virtute dedit cognatum attingere cœlum,*
*O iterum saluete Ducum fraterna propago,*
*Æternùm saluete mei duo lumina Pindi,*
*Et patrios vobis numen fortunet honores.*

# Ad Franciscum Prignanũ è Societate Iesu responsio.

## X I.

Is cum poeta patriam incolẽte ad phthisim amouendam, versibus prior luserat, finxeratq. Iridem ad sese recuperatae ab eo valetudinis nũciam aduolasse.



*Vid, precor, (an fingis?) Thaumantias illa locuta est,*
*Illa, mei quæ fida tibi modò nuncia venit?*
*Fida; quid hoc testor? neq. enim Dea Sole sub vno*
*Pluribus illusas mentita coloribus auras,*
*Mentiri nil voce potest. mendacia mentis*

*Sæpe tegit composta nouæ pellacia frontis.*
*Siccine te primis affata est obuia dictis,*
*Lusce puer? quo Diua tuens te lumine, luscum*
*Dixit? an illi oculos tua luminis aura fefellit?*
*Non aciem, non illa tui, mihi crede, videbat*
*Ingenij lumen, non ora simillima Lynceo.*
*Si qua tamen ius arma gerit; si vera fatemur:*
*Nil venia indignum est, quicquid seu nescia veri,*
*Seu præfata ioco cecinit, seu lubrica fando.*
*Quid Dea vos inter potuit nisi credere luscum,*
*Huic oculos assueta Polo, & fulgentibus oris,*
*Quà mea * Monticole, superis contermina, Cœlum*
*Ponè subit, vobisq. procul spectantibus, haurit*
*Cœlicolûm vitale iubar, Solemq. beatum?*
*His, reor, obtutum radijs, hac lampade Cœli*
*Æternùm saturata, nec vnquam experta videndo*
*Languentem sub nube diem, vel nocte sepultum,*
*Aut conniuentem dubijs fulgoribus æthram,*
*Quid faceret, vestra cum se caligine septam*
*Vidit, & vmbrarum tantos Dea sensit amictus?*
*Quid regnum ni lucis inops, quin lusca putaret*
*Omnia, tam densas inter deprensa tenebras,*
*Tantum oculis experta chaos? Sic ardua postquam*
*Sidera remigio subijt Iouis ales, & acri*

**Is est vnus e multis Massævicis, in editi collis fastigio situs, natale poetæ solum. vbi se se ad phthisin curãdam per id tẽporis obiectabat.**

*Corripuit visu rutilos Hyperionis ignes;*
*Mox prædam meditata, citis nemus irruit alis,*
*Regna petens auium, fremitu populosa canoro,*
*Quà sublustre micat nemorosa sub ilicibus nox;*
*Perq. vmbras primùm furit irrita; iamq. recenti*
*Multùm aciem Phœbo, & candentibus ebria flammis,*
*Lumina conniuet subitis offensa tenebris.*
*Tantùm oculos primo saturos iam luminis haustu*
*Vmbra ferit, tantùm aspectus fugit illa secundos.*
*Sic mea se vestris cum sedibus intulit Iris,*
*Quamquam aditu sortita domos, non lucis egentes,*
*Sed tamen his cœli spatijs Dea nata potiri,*
*Liberior liquidos vbi Cynthius explicat ortus;*
*Mox, vbi vos primùm fulgentibus attigit alis,*
*Credo equidem, vestras inter se credidit auras*
*Nocturnum vidisse diem, noctemue diurnam.*
*Vestrum illi iubar, & vestri lux alma diei,*
*Instar noctis erat. tales modò cognita Lubræ*
*Pura dies radios plenis afflarat ocellis.*
*Ergo, vbi vos primùm vidit nil tale micantes,*
*Quid mirum, si prima tuens, nigrescere circum*
*Omnia, si passim aërias regnare lacunas*
*Credidit, & crassa cœli vos tabe natantes?*
*Lusce puer, dixit? Quid enim, si lusca putabat*

*Ora*

*Ora virûm, Solis vultu contenta maligno,*
*Nec visura diem; nobis quem cernere fas est?*
*Progeniem luscam, & cœli nigrantis alumnam,*
*Qui numquam ætheriam sedem videre superba*
*Monticoles, puro quæ cominus ardet Eoo,*
*Inq. suam subiecta vocans mortalia metam*
*Nil vltra supraq. videt, nisi limina Diuûm.*
*Vos, animæ errantes cæco sub carcere Mundi,*
*Pinguis vbi emungit se Iuppiter, & liquat æstus*
*Æolia cum fæce suos, cœliq. venenum,*
*Vos, licet inuitet propius blandissima Siren;*
*Sideream hanc arcem, & rerum fastigia tantum*
*Suspicitis, quantum vos regia suspicit Orci.*
*Non vllum hîc anni vitium, non ætheris vllam*
*Illuuiem, labemq. die sensere coloni,*
*Hanc sibi qui fato sedem meminere paternam.*
*Si non aula Deûm; certe vestigia quisquis*
*Prima Polo fixit, tali dedit vltima terræ.*
*Pura liquet circum regio, & felicibus æther*
*Illecebris genium, & castos inuitat amores.*
*Hinc propius venientem altis Titana quadrigis*
*Cernimus; & cursu fessos, & vindice loro*
*Præcipites audimus equos, currumq. sonantem.*
*Cumq. Aurora sinus curru leuis explicat aureos,*

Nos primum excipimus rorem, & vitale tributum
Nectaris Eoi, & numquam illætabilis auræ;
Vnde fugam senij, & Tithonia secula victu
Ducimus indefessi æuo, & viuacibus annis.
O vitam exilio curarum, & moribus aureis
Felicem, & Phœbi studijs, & amabilis oti.
Hic rerum nobis vnum, & commune theatrum
Cum Superis. illi quondam nos fœdere certo
Indigenas fecere suos, & sede propinquos.
Communem ambrosia victum captamus ab vna,
Et festum inter nos epulis agitamus honorem.
Hinc etiam, si quid nobis è limine nostro
Nosse datum certi, si quicquam audire necesse est;
Diuûm oratores vestras legamus ad aures.
Testor ab his nuper missam tibi sedibus Irin:
Illi nostra ferent vobis, & vestra reposcent
Dicta, nec affatu quicquam mortale sonantes
Aduenient iussi, & fari quæ sancta parati.
Vos, genus ò fatis natum non talibus vti,
O sata gens fundo Mundi inferioris in imo,
Vos mutas legate notas, & verba tabellis
Credite; vos ista lectos de gente ministros
Mittite, qui vocem, & sermonum alterna reportent.
Nos gentem ætheriam, (nanq. hæc quoq. credita nobis
Iura

*Iura Deûm) quæ noſtra ferat mandata, vocamus.*
*Sic, tibi qui nuper nitidam Thaumantida miſi*
*Certa loqui iuſſam, atq. tuas accerſere voces.*
*Mox, aliud ſi quid credam te velle doceri,*
*Siqua noui, quæ multa, dabunt cognoſcere caſus;*
*Aut genitum Maia mittam, aut Iunonis alumnam,*
*Aut aliquem Iouis è numero. patet intima noſtris*
*Aula Deûm (ſic pacta iubent commercia) iußis.*
*Interea, ne quid poßis niſi læta moneri,*
*Incumbendum operi, & moles hæc tanta malorum*
*O quibus eluctanda tridentibus. ò ego tantum*
*Si ſuperem; ſi quâ rurſum fata aſpera rumpam,*
*Ceu quondam rupiſſe datum; ſi trudere mortem,*
*Et ſpatium laxare æui, metamq. licebit:*
*Non mihi præterea (ſi mentior, imprecer iras*
*Phœbe tuas) non illa mihi tam dira libido*
*Ingenij, tantam illecebris maleſuada petulcis*
*Conciliet peſtem, aut tales irritet amores.*
*Vos æterni aditus vitæ tam cœlitis, ò vos*
*Monticole, & Mitranis, & ardua colle Laquaris,*
*Illaqueaſſe Deos quondam Dea credita forma,*
*Nunc facies formoſa loci. tuq. aurea cultu*
*Pantagathe; tuq. ò roſeæ ſublime Crepilla*
*Lubrenſe Elyſium, & vario ſata rure voluptas,*

Hi ſunt Maſſæ vici, quos ſub nomine Nympharum vel ab aëris ſalubritate, vel loci amœnitate commendat.

*Vos, precor, exitium hoc, vitæq. extrema minantem*
*Vincite fortunam, & tantos arcete furores.*
*O domus, ò Patria, & superi confinia Regni,*
*Saluete, ò nitidi colles. ego vestra salutem*
*Progenies morbo languentem, & tabe proterua*
*Ad vestrum appello gremium. fulcite labantem*
*Hanc animam, instantiq. moras opponite fato.*
*Sæpe olim hoc nobis lapsum in præcordia virus,*
*Et capitis vitio liquentem in pectora tabem*
*Vos ope Pæonia melius probibere recordor.*
*Ah mihi nunc iterum nutantem, & viribus ægris*
*Triste laborantem, spirantemq. vltima vitam*
*Vos quoque, (nam vestris nil non conceditur ausis)*
*Instaurate, pia tantum si voce reposco.*
*Vos trepidæ labentem arcem firmatæ iuuentæ.*
*Vita quater binas nondum mihi vespere pleno*
*Vertit olympiadas. non hæc Lubrensibus ætas*
*Æqua meis, non æqua mihi, & florentibus annis.*
*Vos mihi, ne citra metam defessa residat*
*Vita suam, cursumq. dati non integret æui;*
*Rumpite præclusos aditus, atq. obijce vestro*
*Proruite obstantem hanc Diram. date vasta viarum*
*Claustra nouo occursu, & fines laxate senectæ.*

Ad

# Ad eius auditorem per Autumni ferias, vt à ſtrumis conualeſceret, in Veſuuiano degentem.

## XII.

*Ergo erat hoſpitium Muſis affine Veſeuo,*
*Quà viridi Pomona ſolo, quà germine prono*
*Gaudet odoratis annus flaueſcere pomis,*
*Et conſanguineo mala Theſtylis ardet Iaccho,*
*Ebria ſuffuſos Lenæo murice vultus?*
*Hiccine Pierios habitas oblita penates,*
*Calliope, nec probra times, nec iurgia Bacchi?*
*Ah nimis ille audax, animisq. in verba ſolutis*
*Liber inire iocos, & vertere ſeria ludo.*
*Dumq. alios vocat ad thyaſos ignobile vulgus,*
*Nil fando vetat inſanos audere colonos.*
*Nullum vltra fas ire putat, quem prodiga rixæ*

*Præcipitem instigat cæco vindemia thyrso.*
*Hic Dea si longùm nostri secura moraris,*
*Et vaga per syluas curarum obliuia captas;*
*Ne mores, ne Diua tuos, & nobile perdas*
*Ingenium, viles inter deprensa cachinnos.*
*Nec metuam. neq. enim, credo, te barbara luxu*
*Turba tenet: nulli capiunt te ruris amores,*
*Non furor euantum, & dictis effræna iuuentus;*
*Sed * Luceris te cura tui, te solus amantis*
*Cogit amor tanti, patrio decedere Pindo,*
*Atq. illum ad medicas ægrum deducere sedes.*
*Credo equidem, & tibi me tanti clementia facti*
*Demeruit, vitam caro meditata sodali.*
*O illum mihi si redimas à funere, si quā*
*Restituas; nil crede tibi mortale redemptum.*
*Scis ipsa, & tantos ideo perpessa labores,*
*Castalium linquis collem, & Parnaßia regna:*
*Et iuga per Campana, per auia culta Napæas*
*Insequeris, si quam inuenias, quæ carpere frugem*
*Gnara Machaoniam doceat, floremq. salubrem.*
*Ah, Dea, qua strumis generosum à fronde leuamen?*
*Non honor hic agro, aut solis innascitur hortis.*
*Est aliquid, mollem erucam, & plantaginis herbam,*
*Cumq. suis auulse solo radicibus irin,*

* Auditorē suū, ficto nomine, Lucerim appellat. Luceriæ enim vrbe Apuliæ natus erat.

*Caulemq.*

*Caulemq; & viuax adiantum, & flaua lupini*
*Semina, pollentemq. veneficijs caprificum.*
*Est & amygdalino dulcem de germine glandem;*
*Et lentem, & baccis lentiscum excusse caducis,*
*Et quotquot quæcunque tulit ficulnea fœtus*
*Legisse, & longum Solis decoxe per æstum;*
*Cumq. virens latum cucumis turgescit in orbem,*
*Illius è sulco stirpem detraxe profundo.*
*Nec nihil est, quæsisse fauos florentis Hymetti,*
*Ostreaq; & purum laticem flauentis Iacchi.*
*Est aliqua, est huius merces non parua laboris.*
*Verùm alias grauior poscit solertia curas;*
*Egregium si quicquam ægro meditaris amico:*
*Hoc opus: hic animis luctandum, & fortibus ausis.*
*Est, vbi Nolanas regio interfusa lacunas*
*Horrificùm fumat, cœlumq. infesta vaporat,*
*Intempesta situ, & gelidis plaga fœta colubris.*
*Huc, rapida cum Sol terras face torret, adibis:*
*Addat se comitem, & syluosa per auia ducat*
**Sosias, agrestes inter fidißima Nymphas.* Ea est villa nostra, quæ de S. Sosius, ad Vesuuij radices sita.
*His inter fœdam illuuiem, & sola turbida cœno,*
*Igne sub aërio, & media sub luce dici,*
*Confertum innumeris agmen micat anguibus. at tu*
*Quem magis horrentem maculis, aluoq. tumentem*

Maiestas, & vestra sui tam prodiga virtus.
Ergo erat hæc nostris olim lux debita tectis!
Hæc dapibus fortuna meis! hæ vocibus aures!
Non erat hospitij tantum sibi credere nostri,
Tam nitidum sperare iubar sub limine tali.
O nullis abolenda dies erroribus æui,
Secula quæ vestro nobis orditur ab auro,
Et tanti officij memores æternat amores.
Ergo hilaris quando mensis operata iuuentus
Accelerat, geminantq. affusi gaudia cætus
Plaudentum obsequio, & tectis geniale frementum;
Quando hæc vna meam poscit solertia curam,
Scilicet vt nostrum sapiant conuiuia Phœbum;
Obsequar, & vestris etiam sua prandia ponam
Auribus. ò tantum nobis aspiret Apollo.
Nam quæ tale sonent! quæ tantum audere canendo
Ora valent! quæ tantum auras implere tonando!
Nullam mei tantum fiducia carminis audet;
Nec de Pieria tantum decerpere lauro
Speret amor fandi, quamuis flagrantibus orsis
Ardeat, & totos Aganippidos hauserit amnes.
En ego Mæonidum sacra de stirpe sororum
Calliope sum nona soror, quamquam altera cultu,
Altera conspectu, & pallæ nigrantis amictu.
Officium

*Officium mutare docet pro tempore vultum.*
*Me Deus, Aonio qui numine pollet, & arcu,*
*Sollicitam vestris famulatum accurrere mensis,*
*Aoniasq. offerre dapes, & munera iussit.*
*Vade, ait, & tam rara libens in prandia nostras*
*Profer opes, effunde penum, totum exere censum.*
*Si qua dapum iucunda minus; si forte salinum*
*Accersant: tu scire doce, quos nostra sapores*
*Mensa neget; quam nota salis pænuria nostri.*
*Lautitiam à nostris epulis hanc fata relegant,*
*Totaq. Parnaßi nullas habet ora salinas.*
*Nec mihi cum paucis hæc est communis egestas.*
*Rara salem sapiunt, si quæ conuiuia dantur*
*Auribus. hunc nobis adimit natura saporem,*
*Credo equidem, aut infida epulis, aut inuida nostris.*
*Delius hæc genitor. simul omnem ad iussa cateruam*
*Aonidum vocat, & festo iubet agmine voces*
*Ordiri, & secum numeris alterna pacisci.*
*Illæ instant operi, & varium longo ordine carmen*
*Vnà iterant, lætosq. ineunt per mutua plausus.*
*Vestrum hoc, magnanimi Proceres, ab Apolline nostro*
*Munus, & à sacris Heliconia pocula riuis.*
*Vestrum id seruitium est, quidquid per Mænala gentis*
*Pieriæ, quidquid toto Parnaßia Pindo*

*Turba fremit, miscetq. choros, & carmina cantu.*
*Scilicet huic omnes voto indulgere Camœnas,*
*Et dare quæ vestrum resonent præconia nomen,*
*Æternum auspicium nobis, & nobile fatum.*
*Huc omnes numerorum artes, & conscia vocum*
*Fœdera conspirant. vestri sunt carmina Martes,*
*Et genus, & populosæ vrbes, & auita potentum*
*Sceptra ducum, & tam diues opum, tot fœta triumphis*
*Regia, quæ vidit generis cunabula tanti.*
*At genitor, vestri propior qui sanguinis autor,*
*Cui nunc Sirenum imperium, & tot regna Dicarchi,*
*Tot populi Hesperio latè sub sidere parent;*
*Quantum ille inter nos! quantus sonat agmine toto*
*Pieridum! nullus Phœbea plenior aula*
*Concentus; nusquam assensu magis assonat æther.*
*Ille suos Regni pepigit cum numine ritus,*
*Et petit ex astris, prodat quæ munera terris.*
*Illum Astræa suis olim dum legibus armat,*
*Et docet ad priscos mentem componere sensus,*
*Postquam Diua viro sanctos afflauit amores,*
*En, ait, hi nostri fasces, hæc symbola Diuûm,*
*Hoc gestamen erat, Regniq. insigne decorum,*
*Cum mea Regnatrix gentes ad iura coegi,*
*Cum nondum exilio mutassem regna, neq. astris*

Quæsis-

*Quæsissem hospitium, terras exosa rebelles.*
*Nunc age nostrarum custos fidissime rerum*
*Accipe. tu lancem hanc dextra librabis, & æquos*
*Describes populis ritus, & iura repones*
*Illa mihi, quæ quondam hominum fera sustulit ætas.*
*Hanc gere Regnator praui, rectiq. sequestram.*
*Hac falsi, veriq. animis diuortia feci;*
*Cùm mea regnandi pepigi commercia cœlo.*
*Hac dabitur pacem regnis, hac iura tueri*
*Olim, Campanis cùm te pulcherrima Siren*
*Finibus excipiet, leges pro rege daturum*
*Gente sub Austriaca, magnus cui vertitur Orbis*
*Sub pedibus, nec famam vno iam claudit Olympo.*
*I, tantum Imperium nostris gere conscius armis.*
*Nec te degeneres nati, mea cura, sequentur,*
*Aut nati natorum olim: nec laudis abortus*
*Vllus erit: semperq. tui noua surget imago*
*Ingenij: trahet hunc virtus per secla tenorem.*
*Hæc ait, & sacro pectus Dea contigit igni,*
*Et dedit à superis cognatam adsciscere mentem.*
*Macte animis, tanti sanguis generose parentis,*
*Nobile per heroum, & nominis altera tanti*
*Sacra Deo * pubes, natalibus altera Regnis.*
*Tu sanctum, ò genio soboles animata paterno,*

**Tertium intel ligit filium, in Dominicanorum familiam per id tempus ingressum.**

*Concilias Diuûm ingenium, & tot gaudia terris.*
*Vos genus imperijs, pietas vos educat astris.*
*Vos genitor dudum egregios virtutis ad vsus*
*Erudit, & patria carum genus indole format.*
*Salue animis ingens pubes, & flore gemello,*
*Cui genitrix tales immulsit ab vbere laudes,*
*Et virtute dedit cognatum attingere cælum,*
*O iterum saluete Ducum fraterna propago,*
*Æternùm saluete mei duo lumina Pindi,*
*Et patrios vobis numen fortunet honores.*

# Ad Franciscum Prignanũ è Societate Iesu responsio.

## X I.

Is cum poeta patriam incolẽte ad phthisim amouendam, versibus prior luserat, finxeratq. Iridem ad sese recuperatae ab eo valetudinis nũciam aduolasse.



*Vid, precor, (an fingis?) Thaumantias illa locuta est,*
*Illa, mei quæ fida tibi modò nuncia venit?*
*Fida; quid hoc testor? neq. enim Dea Sole sub vno*
*Pluribus illusas mentita coloribus auras,*
*Mentiri nil voce potest. mendacia mentis*

*Sæpe tegit composita nouæ pellacia frontis.*
*Siccine te primis affata est obuia dictis,*
*Lusce puer? quo Diua tuens te lumine, luscum*
*Dixit? an illi oculos tua luminis aura fefellit?*
*Non aciem, non illa tui, mihi crede, videbat*
*Ingenij lumen, non ora simillima Lynceo.*
*Si qua tamen ius arma gerit; si vera fatemur:*
*Nil venia indignum est, quicquid seu nescia veri,*
*Seu præfata ioco cecinit, seu lubrica fando.*
*Quid Dea vos inter potuit nisi credere luscum,*
*Huic oculos assueta Polo, & fulgentibus oris,*
*Quà mea * Monticole, superis contermina, Cœlum*
*Ponè subit, vobisq. procul spectantibus, haurit*
*Cœlicolûm vitale iubar, Solemq. beatum?*
*His, reor, obtutum radijs, hac lampade Cœli*
*Æternùm saturata, nec vnquam experta videndo*
*Languentem sub nube diem, vel nocte sepultum,*
*Aut conniuentem dubijs fulgoribus æthram,*
*Quid faceret, vestra cum se caligine septam*
*Vidit, & vmbrarum tantos Dea sensit amictus?*
*Quid regnum ni lucis inops, quin lusca putaret*
*Omnia, tam densas inter deprensa tenebras,*
*Tantum oculis experta chaos? Sic ardua postquam*
*Sidera remigio subijt Iouis ales, & acri*

**Is est vnus e multis Massæ vicis, in editi collis fastigio situs, natale poetæ solum. vbi se se ad phthisin curãdam per id tẽporis obiectabat.**

Corripuit visu rutilos Hyperionis ignes;
Mox prædam meditata, citis nemus irruit alis,
Regna petens auium, fremitu populosa canoro,
Quà sublustre micat nemorosa sub ilicibus nox;
Perq. vmbras primùm furit irrita; iamq. recenti
Multùm aciem Phœbo, & candentibus ebria flammis,
Lumina conniuet subitis offensa tenebris.
Tantùm oculos primo saturos iam luminis haustu
Vmbra ferit, tantùm aspectus fugit illa secundos.
Sic mea se vestris cum sedibus intulit Iris,
Quamquam aditu sortita domos, non lucis egentes,
Sed tamen his cœli spatijs Dea nata potiri,
Liberior liquidos vbi Cynthius explicat ortus;
Mox, vbi vos primùm fulgentibus attigit alis,
Credo equidem, vestras inter se credidit auras
Nocturnum vidisse diem, noctemue diurnam.
Vestrum illi iubar, & vestri lux alma diei,
Instar noctis erat. tales modò cognita Lubræ
Pura dies radios plenis afflarat ocellis.
Ergo, vbi vos primùm vidit nil tale micantes,
Quid mirum, si prima tuens, nigrescere circum
Omnia, si passim aërias regnare lacunas
Credidit, & crassa cœli vos tabe natantes?
Lusce puer, dixit? Quid enim, si lusca putabat
Ora

*Ora virûm, Solis vultu contenta maligno,*
*Nec visura diem; nobis quem cernere fas est?*
*Progeniem luscam, & cœli nigrantis alumnam,*
*Qui numquam ætheriam sedem videre superba*
*Monticoles, puro quæ cominus ardet Eoo,*
*Inq. suam subiecta vocans mortalia metam*
*Nil vltra supraq. videt, nisi limina Diuûm.*
*Vos, animæ errantes cæco sub carcere Mundi,*
*Pinguis vbi emungit se Iuppiter, & liquat æstus*
*Æolia cum fæce suos, cœliq. venenum,*
*Vos, licet inuitet propius blandissima Siren;*
*Sideream hanc arcem, & rerum fastigia tantum*
*Suspicitis, quantum vos regia suspicit Orci.*
*Non vllum hîc anni vitium, non ætheris vllam*
*Illuuiem, labemq. die sensere coloni,*
*Hanc sibi qui fato sedem meminere paternam.*
*Si non aula Deûm; certe vestigia quisquis*
*Prima Polo fixit, tali dedit vltima terræ.*
*Pura liquet circum regio, & felicibus æther*
*Illecebris genium, & castos inuitat amores.*
*Hinc propius venientem altis Titana quadrigis*
*Cernimus; & cursu fessos, & vindice loro*
*Præcipites audimus equos, currumq. sonantem.*
*Cumq. Aurora sinus curru leuis explicat aureos,*

Nos primum excipimus rorem, & vitale tributum
Nectaris Eoi, & numquam illætabilis auræ;
Vnde fugam senij, & Tithonia secula victu
Ducimus indefeßi æuo, & viuacibus annis.
O vitam exilio curarum, & moribus aureis
Felicem, & Phœbi studijs, & amabilis oti.
Hic rerum nobis vnum, & commune theatrum
Cum Superis. illi quondam nos fœdere certo
Indigenas fecere suos, & sede propinquos.
Communem ambrosia victum captamus ab vna,
Et festum inter nos epulis agitamus honorem.
Hinc etiam, si quid nobis è limine nostro
Nosse datum certi, si quicquam audire necesse est;
Diuûm oratores vestras legamus ad aures.
Testor ab his nuper missam tibi sedibus Irin:
Illi nostra ferent vobis, & vestra reposcent
Dicta, nec affatu quicquam mortale sonantes
Aduenient iußi, & fari quæ sanda parati.
Vos, genus ò fatis natum non talibus vti,
O sata gens fundo Mundi inferioris in imo,
Vos mutas legate notas, & verba tabellis
Credite; vos ista lectos de gente ministros
Mittite, qui vocem, & sermonum alterna reportent.
Nos gentem ætheriam, (nanq. hæc quoq. credita nobis
Iura

*Iura Deûm) quæ nostra ferat mandata, vocamus.*
*Sic, tibi qui nuper nitidam Thaumantida misi*
*Certa loqui iussam, atq. tuas accersere voces.*
*Mox, aliud si quid credam te velle doceri,*
*Si qua noui, quæ multa, dabunt cognoscere casus;*
*Aut genitum Maia mittam, aut Iunonis alumnam,*
*Aut aliquem Iouis è numero. patet intima nostris*
*Aula Deûm (sic pacta iubent commercia) iussis.*
*Interea, ne quid possis nisi læta moneri,*
*Incumbendum operi, & moles hæc tanta malorum*
*O quibus eluctanda tridentibus. ò ego tantum*
*Si superem; si quâ rursum fata aspera rumpam,*
*Ceu quondam rupisse datum; si trudere mortem,*
*Et spatium laxare æui, metamq. licebit:*
*Non mihi præterea (si mentior, imprecer iras*
*Phœbe tuas) non illa mihi tam dira libido*
*Ingenij, tantam illecebris malesuada petulcis*
*Conciliet pestem, aut tales irritet amores.*
*Vos æterni aditus vitæ tam cælitis, ò vos*
*Monticole, & Mitranis, & ardua colle Laquaris,*
*Illaqueasse Deos quondam Dea credita forma,*
*Nunc facies formosa loci. tuq. aurea cultu*
*Pantagathe; tuq. ò rosea sublime Crepilla*
*Lubrense Elysium, & vario sata rure voluptas,*

Hi sunt Massæ vici, quos sub nomine Nympharum vel ab aëris salubritate, vel loci amœnitate commendat.

*Egreditur tectis: pauci comitantur euntem*
*Induti pariter falsi mendacia vultus.*
*Hac sequitur te fraude tui venator amoris,*
*Alme pater; ne sperne dolos. quãquã improbus ille est;*
*Vtitur interdum superis ad vota secundis.*
*At tua te nobis virtus, credo, inuidet: & nos*
*His lacrymis, simul ingrato te prodit honori.*
*Ah ne tanta oculi videant diuortia nostri,*
*Oramus tua progenies, te Præside, cælo*
*Debita, nec similem terris habitura Parentem.*

# Ad nouam purpuram Philippi Spinelli à Clemẽte VIII. Pont. Max. Cardinalis recẽs creati.

IX.



*Xere puniceam, roseum decus, exere pubem*
*Purpura, quam nitido Spinetum fertile cultu*
*Parturit. ò nullis felicius orta rosetis,*
*Orta licet multis. non hic te pestifer Austri*

Spi-

*Spiritus, aut ſæuæ lædet vis aſpera brumæ.*
*Te nouus vt cælo maturam excluderet ortus,*
*Et ſecura tuos aleret natura rubores;*
*Æmoniæ poſuere hyemes, vernumq. teporem*
*Spirauit gelida tellus Riphæa ſub Arcto,*
*Nec Iouis imperium, nec Orionis horruit iram.*
*O veris non ante vices paſſura caducas,*
*Quàm cœli ver omne cadat, quàm ſecula certos*
*Auia dediſcant curſus, aut laſſa remittant.*
*Cœleſti nam parta ſatu, cultuq. niteſces*
*Numquam auctus oblita nouos. ò nulla ſecundos*
*Aura tibi neget afflatus: te vere perenni*
*Romulei fœcunda beet Clementia cœli.*
*Exere purpuream, roſa nobilis, exere pubem.*
*Quis nouus hic formoſa nitor! quæ gaudia terris*
*Aſpectu fulſere tuo! quis luminis ardor!*
*Quale vires, & quale nites! Age, læta decorum*
*Exere nata iubar: tribus * æmula naſceris aſtris!*
*Iunge, age, fraternum nitidis candoribus ignem*
*Natiua flammata Tyro. tibi grata renidet*
*Circumfuſa tuos dum promicat aura nitores.*
*O terris inſuete nitor, ſed debite cœlo.*
*O quid ad hunc acies tanti mihi luminis ortum*
*Icta labat! iam iamq. magis, magis vſque tuendo*

* Alludit ad tres ſtellas, quæ in gentilicio Spinellæ familiæ ſtemmate cernuntur.

*Vincor, & obtutu nequicquam obstare laboro!*
*An quartum exoriens inter tria sydera sydus*
*Occulis agnato fraternas lumine flammas?*
*Exorere ô quæcunque venis, quæcunque coruscas*
*Seu rosa, seu Cœli lampas: tua prima rosetis*
*Cæleſtem, & Cælo roseum dat gratia vultum.*
*An Tellus iam nupta Polo dat sydera partu?*
*An Polus hoc ditat Tellurem vxorius astro?*
*Quidquid id est, fecit pietas, & munere Cœli*
*Seu partu, seu dote venis data purpura terris.*
*Hinc dubio fulgore rubes, licet omine certo*
*Nil mortale tuus Mundo prænunciet ortus.*
*Nascere syderibus quartum tribus addita sydus.*
*Fallor; an Aurora es, tria quæ prænuncia cursu*
*Astra subis? quantum Cælo promittis honorem!*
*Quem Titana vehis, cui tres præmisit Eous*
*Luciferos! quàm fausta dies, quàm pulchra sequetur*
*Luminibus promissa tuis! Date munera Cœlo*
*Mortales: votiua sacros date thura per ignes.*
*En ortu rediuiua nouo, Saturnia lætis*
*Fata repubescunt annis. Salue edita tandem,*
*Salue optata dies, noua lux Titania salue,*
*Secula quæ cupidis rursum vehis aurea terris,*
*Et Vaticano Solem producis Olympo.*

Ad

# Ad geminam sobolem Beneuētani Comitis, & in Neapolitano Regno Proregis: cum Collegium Neapol. inuiseret.

CALLIOPE

X.



*Quibus Hesperios inter lectissima fastos*
*Nomina primæuos numerant per sceptra parentes,*
*Et cælum egregijs virtutum insignibus æquant,*
*Saluete æquanimi proceres, saluete potentum*
*Progenies fraterna Ducum, qui sanguine vestro*
*Ducitis æterna patrios ab origine fasces.*
*Ecquis amor, nostris tantum concedere mensis,*
*Atque humiles festo ingressu lustrare penates?*
*Quidquid id est, augusta pio concedit amori*

*Maiestas, & vestra sui tam prodiga virtus.*
*Ergo erat hæc nostris olim lux debita tectis!*
*Hæc dapibus fortuna meis! hæ vocibus aures!*
*Non erat hospitij tantum sibi credere nostri,*
*Tam nitidum sperare iubar sub limine tali.*
*O nullis abolenda dies erroribus æui,*
*Secula quæ vestro nobis orditur ab auro,*
*Et tanti officij memores æternat amores.*
*Ergo hilaris quando mensis operata iuuentus*
*Accelerat, geminantq. affusi gaudia cætus*
*Plaudentum obsequio, & tectis geniale frementum;*
*Quando hæc vna meam poscit solertia curam,*
*Scilicet vt nostrum sapiant conuiuia Phœbum;*
*Obsequar, & vestris etiam sua prandia ponam*
*Auribus. ò tantum nobis aspiret Apollo..*
*Nam quæ tale sonent! quæ tantum audere canendo*
*Ora valent! quæ tantum auras implere tonando!*
*Nullam mei tantum fiducia carminis audet;*
*Nec de Pieria tantum decerpere lauro*
*Speret amor fandi, quamuis flagrantibus orsis*
*Ardeat, & totos Aganippidos hauserit amnes.*
*En ego Mæonidum sacra de stirpe sororum*
*Calliope sum nona soror, quamquam altera cultu,*
*Altera conspectu, & pallæ nigrantis amictu.*

*Officium*

*Officium mutare docet pro tempore vultum.*
*Me Deus, Aonio qui numine pollet, & arcu,*
*Sollicitam vestris famulatum accurrere mensis,*
*Aoniasq. offerre dapes, & munera iussit.*
*Vade, ait, & tam rara libens in prandia nostras*
*Profer opes, effunde penum, totum exere censum.*
*Si qua dapum iucunda minus; si forte salinum*
*Accersant: tu scire doce, quos nostra sapores*
*Mensa neget; quam nota salis penuria nostri.*
*Lautitiam à nostris epulis hanc fata relegant,*
*Totaq. Parnassi nullas habet ora salinas.*
*Nec mihi cum paucis hæc est communis egestas.*
*Rara salem sapiunt, si quæ conuiuia dantur*
*Auribus. hunc nobis adimit natura saporem,*
*Credo equidem, aut infida epulis, aut inuida nostris.*
*Delius hæc genitor. simul omnem ad iussa cateruam*
*Aonidum vocat, & festo iubet agmine voces*
*Ordiri, & secum numeris alterna pacisci.*
*Illæ instant operi, & varium longo ordine carmen*
*Vnà iterant, lætosq. ineunt per mutua plausus.*
*Vestrum hoc, magnanimi Proceres, ab Apolline nostro*
*Munus, & à sacris Heliconia pocula riuis.*
*Vestrum id seruitium est, quidquid per Mænala gentis*
*Pieriæ, quidquid toto Parnassia Pindo*

*Turba fremit, miscetq. choros, & carmina cantu.*
*Scilicet huic omnes voto indulgere Camœnas,*
*Et dare quæ vestrum resonent præconia nomen,*
*Æternum auspicium nobis, & nobile fatum.*
*Huc omnes numerorum artes, & conscia vocum*
*Fœdera conspirant. vestri sunt carmina Martes,*
*Et genus, & populosæ vrbes, & auita potentum*
*Sceptra ducum, & tam diues opum, tot fœta triumphis*
*Regia, quæ vidit generis cunabula tanti.*
*At genitor, vestri propior qui sanguinis autor,*
*Cui nunc Sirenum imperium, & tot regna Dicarchi,*
*Tot populi Hesperio latè sub sidere parent;*
*Quantum ille inter nos! quantus sonat agmine toto*
*Pieridum! nullus Phœbea plenior aula*
*Concentus; nusquam assensu magis assonat æther.*
*Ille suos Regni pepigit cum numine ritus,*
*Et petit ex astris, prodat quæ munera terris.*
*Illum Astræa suis olim dum legibus armat,*
*Et docet ad priscos mentem componere sensus,*
*Postquam Diua viro sanctos afflauit amores,*
*En, ait, hi nostri fasces, hæc symbola Diuûm,*
*Hoc gestamen erat, Regniq. insigne decorum,*
*Cum mea Regnatrix gentes ad iura coegi,*
*Cum nondum exilio mutassem regna, neq. astris*
*Quæsis-*

*Quæsissem hospitium, terras exosa rebelles.*
*Nunc age nostrarum custos fidissime rerum*
*Accipe. tu lancem hanc dextra librabis, & æquos*
*Describes populis ritus, & iura repones*
*Illa mihi, quæ quondam hominum fera sustulit ætas.*
*Hanc gere Regnator praui, rectiq. sequestram.*
*Hac falsi, veriq. animis diuortia feci;*
*Cùm mea regnandi pepigi commercia cœlo.*
*Hac dabitur pacem regnis, hac iura tueri*
*Olim, Campanis cùm te pulcherrima Siren*
*Finibus excipiet, leges pro rege daturum*
*Gente sub Austriaca, magnus cui vertitur Orbis*
*Sub pedibus, nec famam vno iam claudit Olympo.*
*I, tantum Imperium nostris gere conscius armis.*
*Nec te degeneres nati, mea cura, sequentur,*
*Aut nati natorum olim: nec laudis abortus*
*Vllus erit: semperq. tui noua surget imago*
*Ingenij: trahet hunc virtus per secla tenorem.*
*Hæc ait, & sacro pectus Dea contigit igni,*
*Et dedit à superis cognatam adsciscere mentem.*
*Macte animis, tanti sanguis generose parentis,*
*Nobile per heroum, & nominis altera tanti*
*Sacra Deo * pubes, natalibus altera Regnis.*
*Tu sanctum, ò genio soboles animata paterno,*

* Tertium intelligit filium, in Dominicanorum familiam per id tempus ingressum.

*Concilias Diuûm ingenium, & tot gaudia terris.*
*Vos genus imperijs, pietas vos educat astris.*
*Vos genitor dudum egregios virtutis ad vsus*
*Erudit, & patria carum genus indole format.*
*Salue animis ingens pubes, & flore gemello,*
*Cui genitrix tales immulsit ab vbere laudes,*
*Et virtute dedit cognatum attingere cœlum,*
*O iterum saluete Ducum fraterna propago,*
*Æternùm saluete mei duo lumina Pindi,*
*Et patrios vobis numen fortunet honores.*

# Ad Franciscum Prignanũ è Societate Iesu responsio.

## XI.

Is cum poeta patriam incolẽte ad phthisim amouendam, versibus prior luserat, finxeratq. Iridem ad sese recuperatae ab eo valetudinis nũciam aduolasse.



*Vid, precor, (an fingis?) Thaumantias*
*illa locuta est,*
*Illa, mei quæ fida tibi modò nuncia*
*venit?*
*Fida; quid hoc testor? neq. enim*
*Dea Sole sub vno*
*Pluribus illusas mentita coloribus auras,*
*Mentiri nil voce potest, mendacia mentis*

*Sæpe tegit composta nouæ pellacia frontis.*
*Siccine te primis affata est obuia dictis,*
*Lusce puer? quo Diua tuens te lumine, luscum*
*Dixit? an illi oculos tua luminis aura fefellit?*
*Non aciem, non illa tui, mihi crede, videbat*
*Ingenij lumen, non ora simillima Lynceo.*
*Si qua tamen ius arma gerit; si vera fatemur:*
*Nil venia indignum est, quicquid seu nescia veri,*
*Seu præfata ioco cecinit, seu lubrica fando.*
*Quid Dea vos inter potuit nisi credere luscum,*
*Huic oculos assueta Polo, & fulgentibus oris,*
*Quà mea * Monticole, superis contermina, Cælum*
*Ponè subit, vobisq. procul spectantibus, haurit*
*Cælicolûm vitale iubar, Solemq. beatum?*
*His, reor, obtutum radijs, hac lampade Cæli*
*Æternùm saturata, nec vnquam experta videndo*
*Languentem sub nube diem, vel nocte sepultum,*
*Aut conniuentem dubijs fulgoribus æthram,*
*Quid faceret, vestra cum se caligine septam*
*Vidit, & vmbrarum tantos Dea sensit amictus?*
*Quid regnum ni lucis inops, quin lusca putaret*
*Omnia, tam densas inter deprensa tenebras,*
*Tantum oculis experta chaos? Sic ardua postquam*
*Sidera remigio subijt Iouis ales, & acri*

* Is est vnus e multis Massæ vicis, in editi collis fastigio situs, natale poetæ solum. vbi se se ad phthisin curãdam per id tẽporis obiectabat.

*Corripuit visu rutilos Hyperionis ignes;*
*Mox prædam meditata, citis nemus irruit alis,*
*Regna petens auium, fremitu populosa canoro,*
*Quà sublustre micat nemorosa sub ilicibus nox;*
*Perq. vmbras primùm furit irrita; iamq. recenti*
*Multùm aciem Phœbo, & candentibus ebria flammis,*
*Lumina conniuet subitis offensa tenebris.*
*Tantùm oculos primo saturos iam luminis haustu*
*Vmbra ferit, tantùm aspectus fugit illa secundos.*
*Sic mea se vestris cum sedibus intulit Iris,*
*Quamquam aditu sortita domos, non lucis egentes,*
*Sed tamen his cæli spatijs Dea nata potiri,*
*Liberior liquidos vbi Cynthius explicat ortus;*
*Mox, vbi vos primùm fulgentibus attigit alis,*
*Credo equidem, vestras inter se credidit auras*
*Nocturnum vidisse diem, noctemue diurnam.*
*Vestrum illi iubar, & vestri lux alma diei,*
*Instar noctis erat. tales modò cognita Lubræ*
*Pura dies radios plenis afflarat ocellis.*
*Ergo, vbi vos primùm vidit nil tale micantes,*
*Quid mirum, si prima tuens, nigrescere circum*
*Omnia, si passim aërias regnare lacunas*
*Credidit, & crassa cæli vos tabe natantes?*
*Lusce puer, dixit? Quid enim, si lusca putabat*
*Ora*

*Ora virûm, Solis vultu contenta maligno,*
*Nec visura diem; nobis quem cernere fas est?*
*Progeniem luscam, & cœli nigrantis alumnam,*
*Qui numquam ætheriam sedem videre superba*
*Monticoles, puro quæ cominus ardet Eoo,*
*Inq. suam subiecta vocans mortalia metam*
*Nil vltra supraq. videt, nisi limina Diuûm.*
*Vos, animæ errantes cæco sub carcere Mundi,*
*Pinguis vbi emungit se Iuppiter, & liquat æstus*
*Æolia cum fæce suos, cœliq. venenum,*
*Vos, licet inuitet propius blandissima Siren;*
*Sideream hanc arcem, & rerum fastigia tantum*
*Suspicitis, quantum vos regia suspicit Orci.*
*Non vllum hîc anni vitium, non ætheris vllam*
*Illuuiem, labemq. die sensere coloni,*
*Hanc sibi qui fato sedem meminere paternam.*
*Si non aula Deûm; certe vestigia quisquis*
*Prima Polo fixit, tali dedit vltima terræ.*
*Pura liquet circum regio, & felicibus æther*
*Illecebris genium, & castos inuitat amores.*
*Hinc propius venientem altis Titana quadrigis*
*Cernimus; & cursu fessos, & vindice loro*
*Præcipites audimus equos, currumq. sonantem.*
*Cumq. Aurora sinus curru leuis explicat aureos,*

Nos primum excipimus rorem, & vitale tributum
Nectaris Eoi, & numquam illætabilis auræ;
Vnde fugam senij, & Tithonia secula victu
Ducimus indefessi æuo, & viuacibus annis.
O vitam exilio curarum, & moribus aureis
Felicem, & Phœbi studijs, & amabilis oti.
Hic rerum nobis vnum, & commune theatrum
Cum Superis. illi quondam nos fœdere certo
Indigenas fecere suos, & sede propinquos.
Communem ambrosia victum captamus ab vna,
Et festum inter nos epulis agitamus honorem.
Hinc etiam, si quid nobis è limine nostro
Nosse datum certi, si quicquam audire necesse est;
Diuûm oratores vestras legamus ad aures.
Testor ab his nuper missam tibi sedibus Irin:
Illi nostra ferent vobis, & vestra reposcent
Dicta, nec affatu quicquam mortale sonantes
Aduenient iussi, & fari quæ sanda parati.
Vos, genus ò fatis natum non talibus vti,
O sata gens fundo Mundi inferioris in imo,
Vos mutas legate notas, & verba tabellis
Credite; vos ista lectos de gente ministros
Mittite, qui vocem, & sermonum alterna reportent.
Nos gentem ætheriam, (nanq. hæc quoq. credita nobis
Iura

*Iura Deûm) quæ nostra ferat mandata, vocamus.*
*Sic, tibi qui nuper nitidam Thaumantida misi*
*Certa loqui iussam, atq. tuas accersere voces.*
*Mox, aliud si quid credam te velle doceri,*
*Si qua noui, quæ multa, dabunt cognoscere casus;*
*Aut genitum Maia mittam, aut Iunonis alumnam,*
*Aut aliquem Iouis è numero. patet intima nostris*
*Aula Deûm (sic pacta iubent commercia) iußis.*
*Interea, ne quid poßis nisi læta moneri,*
*Incumbendum operi, & moles hæc tanta malorum*
*O quibus eluctanda tridentibus. ò ego tantum*
*Si superem; si quâ rursum fata aspera rumpam,*
*Ceu quondam rupisse datum; si trudere mortem,*
*Et spatium laxare æui, metamq. licebit:*
*Non mihi præterea (si mentior, imprecer iras*
*Phœbe tuas) non illa mihi tam dira libido,*
*Ingenij, tantam illecebris malesuada petulcis*
*Conciliet pestem, aut tales irritet amores.*
*Vos æterni aditus vitæ tam cœlitis, ò vos*
*Monticolæ, & Mitranis, & ardua colle Laquaris,*
*Illaqueasse Deos quondam Dea credita forma,*
*Nunc facies formosa loci. tuq. aurea cultu*
*Pantagathe; tuq. ò rosea sublime Crepilla*
*Lubrense Elysium, & vario sata rure voluptas,*

Hi sunt Massæ vici, quos sub nomine Nympharum vel ab aëris salubritate, vel loci amœnitate commendat.

*Vos, precor, exitium hoc, vitæq. extrema minantem*
*Vincite fortunam, & tantos arcete furores.*
*O domus, ò Patria, & superi confinia Regni,*
*Saluete, ò nitidi colles. ego vestra salutem*
*Progenies morbo languentem, & tabe proterua*
*Ad vestrum appello gremium. fulcite labantem*
*Hanc animam, instantiq. moras opponite fato.*
*Sæpe olim hoc nobis lapsum in præcordia virus,*
*Et capitis vitio liquentem in pectora tabem*
*Vos ope Pæonia melius probibere recordor.*
*Ah mihi nunc iterum nutantem, & viribus ægris*
*Triste laborantem, spirantemq. vltima vitam*
*Vos quoque, (nam vestris nil non conceditur ausis)*
*Instaurate, pia tantum si voce reposco.*
*Vos trepidæ labentem arcem firmatæ iuuentæ.*
*Vita quater binas nondum mihi vespere pleno*
*Vertit olympiadas. non hæc Lubrensibus ætas*
*Æqua meis, non æqua mihi, & florentibus annis,*
*Vos mihi, ne citra metam defessa residat*
*Vita suam, cursumq. dati non integret æui;*
*Rumpite præclusos aditus, atq. obijce vestro*
*Proruite obstantem hanc Diram. date vasta viarum*
*Claustra nouo occursu, & fines laxate senectæ.*

Ad

# Ad eius auditorem per Autumni ferias, vt à strumis conualesceret, in Vesuuiano degentem.

## XII.

*Ergo erat hospitium Musis affine Veseuo,*
*Quà viridi Pomona solo, quà germine prono*
*Gaudet odoratis annus flauescere pomis,*
*Et consanguineo mala Thestylis ardet Iaccho,*
*Ebria suffusos Lenæo murice vultus?*
*Hiccine Pierios habitas oblita penates,*
*Calliope, nec probra times, nec iurgia Bacchi?*
*Ah nimis ille audax, animisq. in verba solutis*
*Liber inire iocos, & vertere seria ludo.*
*Dumq. alios vocat ad thyasos ignobile vulgus,*
*Nil fando vetat insanos audere colonos.*
*Nullum vltra fas ire putat, quem prodiga rixæ*

*Præcipitem instigat cæco vindemia thyrso.*
*Hic Dea si longùm nostri secura moraris,*
*Et vaga per syluas curarum obliuia captas;*
*Ne mores, ne Diua tuos, & nobile perdas*
*Ingenium, viles inter deprensa cachinnos.*
*Nec metuam. neq. enim, credo, te barbara luxu*
*Turba tenet: nulli capiunt te ruris amores,*
*Non furor euantum, & dictis effræna iuuentus;*
*Sed * Luceris te cura tui, te solus amantis*
*Cogit amor tanti, patrio decedere Pindo,*
*Atq. illum ad medicas ægrum deducere sedes.*
*Credo equidem, & tibi me tanti clementia facti*
*Demeruit, vitam caro meditata sodali.*
*O illum mihi si redimas à funere, si quà*
*Restituas; nil crede tibi mortale redemptum.*
*Scis ipsa, & tantos ideo perpessa labores,*
*Castalium linquis collem, & Parnaßia regna:*
*Et iuga per Campana, per auia culta Napæas*
*Insequeris, si quam inuenias, quæ carpere frugem*
*Gnara Machaoniam doceat, floremq. salubrem.*
*Ah, Dea, qua strumis generosum à fronde leuamen?*
*Non honor hic agro, aut solis innascitur hortis.*
*Est aliquid, mollem erucam, & plantaginis herbam,*
*Cumq. suis auulse solo radicibus irin,*

* Auditorē suū, ficto nomine, Lucerim appellat. Luceriæ enim vrbe Apuliæ natus erat.

*Caulemq.*

*Caulemq; & viuax adiantum, & flaua lupini*
*Semina, pollentemq. veneficijs caprificum.*
*Est & amygdalino dulcem de germine glandem,*
*Et lentem, & baccis lentiscum excusse caducis,*
*Et quotquot quacunque tulit ficulnea fœtus*
*Legisse, & longum Solis decoxe per æstum;*
*Cumq. virens latum cucumis turgescit in orbem,*
*Illius è sulco stirpem detraxe profundo.*
*Nec nihil est, quæsisse fauos florentis Hymetti,*
*Ostreaq; & purum laticem flauentis Iacchi.*
*Est aliqua, est huius merces non parua laboris.*
*Verùm alias grauior poscit solertia curas;*
*Egregium si quicquam ægro meditaris amico.*
*Hoc opus: hîc animis luctandum, & fortibus ausis.*
*Est, vbi Nolanas regio interfusa lacunas*
*Horrificùm fumat, cœlumq. infesta vaporat,*
*Intempesta situ, & gelidis plaga fœta colubris.*
*Huc, rapida cum Sol terras face torret, adibis.*
*Addat se comitem, & syluosa per auia ducat*
**Sosias, agrestes inter fidißima Nymphas.*
*Hîc inter fœdam illuuiem, & sola turbida cœno,*
*Igne sub aërio, & media sub luce diei,*
*Confertum innumeris agmen micat anguibus. at tu*
*Quem magis horrentem maculis, aluoq. tumentem*

*Ea est villa nostra, quæ dí S. Sosius, ad Vesuuij radices sita.

*Videris, & spiras, & squamea colla coruscum,*
*Atq. alto geminantem arrecta volumina tergo;*
*Illum inuade manu. quid enim te sibila terrent*
*Ora Deam? compesce ferum, & ceruice minantem*
*Gorgonea victrix, & faucibus ange subactis.*
*Frugibus hunc medicis, & dulcibus incoque succis*
*Pube sua nudatum aptè, squamaq. palustri,*
*Et capite auulso concisum, & cuspide caudæ.*
*Illum appone epulis. quòd si noua fercula quæ sint*
*Indubitet, iam iamq. doli suspecta recuset;*
*Finge tibi missum Lubrensi è littore congrum,*
*Aut aliam Nerei raptam de gurgite prædam.*
*Vince dolo refugum; neque enim præsentius vllum*
*Auxilium è patrijs Podalirius attulit astris.*
*Tum iuueni longum hospitium, sedemq. Vesaui*
*Diua time. redeunt infestæ frigora brumæ.*
*Si quis adhuc amor Autumni, & supremus opaci*
*Ruris honos, æstusq. suos trahit vltimus orbes;*
*Sunt & vitiferi colles, & littus apricum*
*Pomiferas circum Diuæ Sebethidis oras.*
*Hic, age, littoreas illum, nam tempus, ad vndas*
*Siste comes, sedemq. loco molire tepenti,*
*Seu nitidis quà culta iugis, & pinguia Lubræ*
*Rura meæ; seu quà portu genialis amœno*

Ina-

*Inarime; Cumæa sonant quà fata Sibyllæ;*
*Et quà prona iugo pontum accolit Aglaïa,*
*Atq. Ægle, Pomona Deûm; quæq. alta propinquam*
*Inuitat Sirena suis Euplæa viretis.*

*O, quibus irriguos almæ Tritonidis hortos,*
*Lubrenses, mea cura, Deæ; quibus aurea cultu*
*Rura datum colere, & felicia carpere mala;*
*Tuq; omnes cui largus opes Autumnus, & omnes*
*Addidit illecebras animorum, & ruris honores;*
*Parthenope, quæq. affines per littora Diuæ,*
*Pausilype, Prochytæq; & fontibus æmula Nesis*
*Hesperidum, & pulchro sata Nereo Mergilline,*
*Nunc & Hamadryadum non vltima, nunc & amœni*
*Ruris amans, nunc poma ferens Dea diuite cornu;*
*Quæq. alios circa saltus, & regna Dicarchi,*
*Perq. sinus Diuæ Craterides, & iuga propter*
*Florea Sirenum, & vicinæ Tethyos vndas:*
*Si quid in Elysijs cœli clementia vestris*
*Seruat opum; si quod vobis à Pæone munus,*
*Prodigite hospitio. vestris en hospita regnis*
*Pegasidum vna nouem veniet, (sat Numina nostis)*
*Pæonias quæ ruris opes, & dulce salutis*
*Auxilium caro Phœbi venatur alumno.*

*Explora, & facilis tua mecum arcana reuolue.*
*Tuq. adeo fœtam populis felicibus vrbem*
*Quæ regis, & cælo nobis & sole beato*
*Cingis inaccessam fatis instantibus arcem,*
*Atq. annos æterna vocas ad lustra senectæ;*
*Prima faue, cognata mihi si littora Siren*
*Accolis, & nostras afflant tua numina voces.*
*Ferte nouas huc veris opes, & ruris honores,*
*Quæ iuga tondentes, & florea culta Napææ*
*Pæonias legitis vestro de semine fruges;*
*Seu quæ floriferis in saltibus, & vaga propter*
*Flumina, perq. vdas herbosi marginis oras,*
*Seu notum occultis florem quæ carpitis antris;*
*Aut hortos, & rura satu libatis amœno,*
*Et medicas alitis peregrino germine vires.*
*Tu quoque, Lubrenses, patrium mihi littus, arenas*
*Quæ colis, & sacram seruas Tritonia sedem,*
*Et consanguineum gentis decus, altaq. Lubræ*
*Regna tenes,* nomenq. loco, numenq. dedisti;*
*Adsis ò bona Diua. tuum hoc,* ò sospita, munus,*
*Et labor ingenij, & quidquid fiducia fandi*
*Nostra mouet, quæcunque nouo mētem impulit œstro.*
*Tu sæuam attonita cogis mitescere dextra*
*Atropon, & fato Soles furata benignos,*

Nam Massa et Lubrensis à delubro Mineruæ, illic olim cōdito.

Alludit ad valetudinē suā patrij cæli beneficio à se sæpius recuperatam.

*Secula cognato generi Tithonia donas;*
*Vnde animos, quos Lubra tuis afflauit, alumnos*
*Scimus inoffenso vitam producere cursu.*
*Et vos affines, * Lubrensia numina, Diuæ,*
*Quæ colitis vestro lætos cognomine colles,*
*Cura quibus, dira Parcas orbare securi,*
*Staminaq; & vellus fatalibus addere fusis;*
*Ferte pedem, montana Casis, montana Siane,*
*Et nemorum Gaiana potens, quæq. vltima Diuûm*
*Accola, Syluanum viridi sub colle comantem*
*Pronuba Pantagathe, Pomonæ adiungis opimæ.*
*Huc soror, agrestes inter non vltima Nymphas,*
*Huc ades ò Cleeusa; tuæ mihi Naidis vmbra*
*Hic opus, & rauca Zephyri sub rupe loquaces,*
*Lucus vbi, & fontes, & saxea murmuris aura,*
*Et vitreùm alludens nemori vaga fontis imago.*
*Vos Doricle, Coryleq; iugis ex vtraque vestris,*
*Et vos an Dryades? an Oreades? ite gemellæ*
*Termenis vmbrosi, Lacharis Dea veris aprici,*
*Quæ tam longæuos aliis per rura colonos,*
*Rura per, & syluas. Tuq. ò, cui dulce salutis*
*Hospitium, viuiq. lacus, & Massica tempe,*
*Monticole, & multùm morbis inimica Neranis.*
*Iunge choro te, culta coma Mitranis agresti,*

Hic etiã plerosq. Massae vicos, quippe ob aeris salubritatẽ ad vitam, vel tuendam, vel prorogãdam aptissimos, inuocat, celebratq. patrijs vocabulis in Nympharum nomina poetico more detortis, ac nõ nihil inflexis.

*Quæ*

*Quæ dubijs lætum natalibus omen, & astris*
*Concilias, vitæq. fores, & limina seruas.*
*Quæq. alios aliæ colles, & rura tenetis,*
*Et sanctum Elysium Lubræ lustratis amœnæ,*
*Ite Deæ mecum; primùm si numine vestro*
*Ducimur, & tantis iamdudum accingimur orsis.*
*Prima salus vitæq. tenax, & fida labori,*
*Annorumq. ferax, & cedere nescia morbis,*
*Non opis in medicæ studio, curaue sagaci,*
*Stirpe sed in patria est: iuuat, æternùmq. iuuabit*
*Indefessam ætatem annis, æuoq. superbam*
*Canitiem, & seros obitus vidisse parentum:*
*Ipsa etiam clamantis aui, raucùmq. sonantis*
*Oscula captantem, tremulas lusisse per vlnas;*
*Et sæpe imbelles rictus, imbelle minantis*
*Imperium, lususq. seros, & gaudia torua*
*Fouisse, & puro senium lactasse Lyæo.*
*His demum auspicijs, atq. his è fontibus æui*
*Spes tibi robustæ primùm libanda senectæ.*
*Nempe annis à stirpe suum quoque robur, vt altis*
*Arboribus; seriturq. æui quoque dura vetustas.*
*Semper amor genij, & nascendi antiqua voluptas*
*Dat generi se quæq. suo, & se prodigit vltro;*
*Et quæ semper obit, semper victura propago.*

*Ipsa sibi ætatem, & vires in prole redonat.*
*Cernis vt aßiduos obitus, & funera rerum*
*Alterni subeant ortus, atq. ipsa cadentum*
*Sufficiat se vita satu rediuiua perenni.*
*Quæq. illi surgunt versis noua pignora seclis*
*Cum genere excipiunt annos, & symbola formæ.*
*Nil molle est, quod dura suo dat semine virtus;*
*Nil mite est, quod acerba; nihil, quod mitis, acerbum;*
*Nihil breue, quod lōgæua; nihil, quod maxima, paruum.*
*Stipitibus sua quæq. virent æquæua paternis,*
*Nataq. pubescunt simili plantaria sylua.*
*Non tiliæ viburna ferent, non arbutus alnos:*
*Aurea nec carpes è germine mala myricæ.*
*Quæq. animas, mutasq. ferunt animalia vitas,*
*Viuendi patrium facili dant lege tenorem*
*Venturo in lucem generi, cui semper auitos*
*Promittit fætura dies, & prouocat æuum.*
*Sic trahit antiquas germano à sanguine vires,*
*Quæ genitis innata venit gignentis imago.*
*Ardea non vlulas, aquilam non gignet acanthis;*
*Nec fragiles pullis annos longæua relinquet*
*Vlla suis pecudum genitrix, aut vlla ferarum.*
*Et sua sunt natis vitæ quoque semina vestris*
*Mortales; & si qua genus post fata reponet*

*Poste-*

*Posteritas, vestris è viribus elicit annos.*
*Ille larem seruabit auus, nec secula rerum*
*Solùm audita canet, niueum qui vidit auorum*
*Surgere florem æuo, & viridi crudescere mento.*
*Ille dolos famæ, atq. annorum arcana resignet,*
*Et priscis laudem factis memor addat, & annos.*
*Dicat auos, dicat secli portenta sepulti,*
*Et rursum erecti rediuiua cadauera regni,*
*Et legum antiquos obitus testetur, & ortus.*
*Ille æqui, veriq. tenax, & nuncius æui*
*Corrigat annales, atq. incunabula rerum*
*Nulla sibi non visa prius, quàm credita iactet.*
*Atq. idem audiri semper iactantior, idem*
*Arroget æternum fari, & sibi testis haberi.*
*Ilicet indeprensa fides, & libera dictis*
*Seu mores hominum varios describat, & vrbes,*
*Et sibi lustrati quondam latera vltima Mundi,*
*Siue aliquem Alciden, aliquem sibi cuspide Martem*
*Deiectum, & fusas alio sub Sole cohortes.*
*Vos, quibus hunc fortuna dedit vidisse parentem;*
*Auctorem seruate domus: duce tutius illo*
*Itur in aduersos casus, & prælia fati.*
*Explorate senem: multos namq. ille timendo,*
*Et multos didicit sperando fallere casus.*

*Ergo illum, exactæ repetit dum lustra iuuentæ,*
*Consulite, & vosmet rebus seruate futuris.*
*Multa feret dictis, iuuenum quibus æmula crescant*
*Ingenia, & varijs pugnent aduersa periclis.*
*Sic olim egregiam sobolem Lubrensis Ophbeltes*
*Erudit, & natos natorum affatur adultos.*
*Olli non monitis vsquam par alter, & vsu,*
*Nec melior veri custos, aut signifer æqui.*
*Ille æuum bis dena super iam lustra premebat*
*Acer adhuc animi, & promisso temporis audax.*
*Nam species longæua viro, sed cruda senectus,*
*Et fandi decus ingenio, & canor additus ori.*
*Ter magnum Oceanum iuuenis rate mensus, & Euro;*
*Tum patrios intra fines, & littora Lubræ*
*Viuendi studio, & fessis consederat annis,*
*Iam senior, contemptor opum, contemptor honorum,*
*Lætus rure suo, & præclari nominis aura.*
*Ne mihi ne cellas, pueri, fraudate Falerno,*
*Quas Herilo implebam vestro puer: ille Menandro*
*Iam grandæuus auo, nec me non ipse nepotem*
*Vidit auum, & sero dederam connubia nato.*
*Dent epulas mensæ vobis, mihi procula feruent,*
*Et vestri instaurent vobis hæc dona minores.*
*Vos quoque auos illi videant, annosaq. fundant*

*Cæcuba, nec vestros Bacchi frustrentur amores.*
*Illorumq; meo quæ germine pullulat, ætas,*
*Hac anima, hoc æuo non vnum educat Ophelten,*
*Et qui nos quondam fuimus, vos este futuri.*
*Spero equidem & nobis hanc spem fecere parentes.*
*Nam vetus ætatem vobis hanc spondet origo,*
*Et fortuna domus. numquam radicibus exit*
*Lentus ab iliceis rumex, aut virga genistæ.*
*E piceis piceæ veniunt, è robore robur.*
*Robora prima virûm sumus, & non vltima censu*
*Progenies. sat opum nobis, si rura colantur.*
*Plura nec aut operosa dies, aut prouidus auri*
*Vsus amat. luxum virtus castiget edacem,*
*Aut illum improuisa sequens mulctabit egestas.*
*Nescia diuitijs vti, nec amore iuuentus.*
*Idq. nefas vnum vobis arcere monendo*
*Nitor, & hoc summam curarum absoluere penso.*
*Et molem hanc voti merito si culmine sistam,*
*Felix hora meis, felix, quæ terminet ortum*
*Luciferis, quæq. hanc animæ legat aura fauillam.*
*Nunc monitis (nam tempus erit post vltima fandi)*
*State meis: neq. enim extrema vos alloquor hora.*
*Restat adhuc æquanda mihi mensura dierum*
*Cum genere extincto, & stirpis mihi iure fruendum.*

Multa super mihi erunt, vestrum quæ fallere possent
Consilium, & quæ vix docuit me sera senectus.
Hæc senior. nec verò illum gentilis origo
Annorum, nec prisca domus fortuna fefellit.
Nam spatijs æuum paribus cum gente vetusta
Iunxerat, & rerum curam imperiosus obibat,
Clauderet extremam fesso cùm vespere lucem.
Sic venit ætatum cursus genitalis, & illas
Sponte pares, aliam ex alia nouus excipit ortus.
Quòd si degenerem spatijs, aut viribus vllam
Inuenies; repete annales, & tempora rerum,
Et numquam dubios anceps causabere casus.
Nempe alia est ætas, alios quia deuius vsu
Incidit in mores ab origine cultus auita.
Peruentum ad resides annos, & mollia vitæ
Otia. non studijs idem tenor. altera somno,
Altera lex epulis indicitur, altera Baccho.
Omnia libertas latè tenet, omnia luxus,
Limite quæ iusto virtus antiqua parentum
Clauserat, & vitam numeris intenta regebat.
Nec non illa satis naturæ causa nouandæ,
Si patrios fines, & dulcia liquerit arua
Diuersum ad Solem generis traducta propago,
Lethifer Eurus vbi, & tellus Ioue dira sinistro.

Hinc

*Hinc animæ fragiles, & languida corpora natis.*
*Nec iam illi, vegeto patrum qui sanguine creti*
*Nestores, Alcidæq; fuit genus illud, & ille*
*Pubis honos. nunc pallor iners, & degener ortus.*
*Quippe venenatis crescit natalibus hæres:*
*Nec iam synceri veniunt à fontibus anni.*
*Dant patrias vires patrij, seruantq. penates.*
*Aspicis, vt sæpe indigenis quæ fausta colonis,*
*Est eadem externis vltro plaga noxia cœli?*
*Nulli nulla grauis, nulla omnibus ora salubris.*
*Sed non vlla magis vires, & corpora pestis*
*Inficit, euellitq. altos à stirpe nepotes,*
*Quàm Venus, & cæci dura inclementia Nati.*
*Hæc simul insanis vnum corrupit auorum*
*Illecebris, cæpitq. altis efferuere venis;*
*Heu male consultum generi. iam tota veneno*
*Fœta domus. subit æternæ sata semine labis*
*Posteritas, tristesq. animæ, & genitabile virus,*
*Atq. annis innata lues, & funera genti.*
*Prisca senum fortuna fuit, dum Cypride sæua*
*Libera gens. tum nulla diem lux ægra beatum*
*Inficere, aut durum visa est accersere funus.*
*Nunc genus, & sator ille æui, nunc illa sepulta est*
*Æterna contage domus. ne secula porro,*

*Sed titulos, & nomen auûm sperate minores,*
*Et tantum antiqua mutos in imagine vultus.*
*O animi fallax, genium Cytherea maritat,*
*Et genus interimit. leges in amore iugales*
*Conciliat, fallitq. dolo quæ fœdera iungit.*
*Hanc thalamis pestem, & generi prohibete parentes,*
*Si qua odio vobis labes, & tristis origo,*
*Quæ sobolem primo teneram funestet ab ortu.*
*Credo equidẽ, genitrix aliqua est, quæ fingere partu*
*Effigiem nato possit, quam mente fouebat*
*Sollicita, dum summa ineunt primordia fœtus.*
*Sic speciem natis multæ finxere timendo:*
*Atq. aliqua Æthiopem concepit candida nigrum,*
*Aut aliquem genuit formosum informis Alexin;*
*Nam fuerat tali mentem insignita figura,*
*Dum tener in fœtum cœpit coalescere sanguis.*
*Vsq. adeo materna graui mens imperat aluo.*
*Aspicis, vt natos matrum importuna cupido*
*Turpe notet! quàm fœda sui monumenta relinquat!*
*Si qua dapum est illis auido sub corde voluptas*
*Suspirata diu, & mentem complexa rapacem;*
*Ipsa fames animi fœtum dape signat inusta,*
*Et vultum informi turpem finit esse litura.*
*Hinc hominũ quot mõstra genis, tot symbola matrum.*

*Lacteus*

Lacteus ille oculis, alter maculosus Iaccho:
Turgidus hic aurem moris, hic tempora cornis.
Atq. alijs ossa malas, aut lumina perna,
(Proh pudor) & mullo nares, frontemue paguro
Fœdus amor matrum, & rabies insignit edendi.
Atq. vtinam vt vultus hominum, sic fingere neruos
Vlla queat matrum, aut maternæ mentis imago.
Verùm alia nostræ veniunt ab origine vires.
Non illas amor ingenerat, non anxia voto
Mater, & optatis epulis insana potiri.
Sola patrum fortes dant fortia corpora natos,
Et genus instigant multìs insistere seclis.
Si qua tamen veniat materno à sanguine labes,
Quæ prolem infecto teneram violauerit ortu:
Viribus incassum patrijs, & stirpe virili
Stat genus; & totum læuo pede claudicat æuum.
Materno si nata satu, si nata paterno
Vita venit; neruos geminis à fontibus haurit.
Quorum alter si forte dedit lethale venenum,
Quamquam alter liquidò syncerus, & vtilis haustu,
Non multùm auxilio prosit, venaq. salubri.
Sic vbi compostum insidijs, & fraude nouercæ,
Subijcitur mensis media inter procula virus,
Seu Bacchus pestem infusam, seu lympha propinet;

Si coeant vnum miseri sitientis ad haustum,
Exitium vtrouis laticum par instat ab vno
Rore, licet tenui. satis vna est rimula morti,
Illa domum exiguæ radio cùm lucis inibit.
At, cùm vitales properat natalis ad auras,
Ni videat toto bipatentem à limine vitam,
Ordiri in longos nescit vestigia cursus.
Vos gemini postes vitæ, vos vna, parentes,
Ianua, quæ cursum surgentibus inchoat annis.
Passa licet, numquam spatio plus panditur æquo.
Multum obstat; si pulsa, minus quàm tota patescit,
Et nullam sinit ire diem felicibus horis.
O, aditum lustris facilem laxate futuris.
Non animas implet generi, nec secula sanguis
Alteruter, si partem æui male sufficit alter.
Vidi ego (nec visu rarum, si talia semper
Sollicitis inspecta oculis euenta sequamur)
Vidi equidem, & casu cari perculsus * amici,
Æternum memori seruo sub pectore vulnus.
Dicite quem, Musæ, iuuenem, quas inter adultum
Delicias? illum Charites, illum aurea Siren,
Illum Castaliæ gremio fouere sorores.
Ingens culmen opum, & titulis fortuna paternis
Ampla satis, primiq. Ducum cognata propago,

* Is est Pompeius de Capua, adhuc adolescens in nostram Societatem cooptatus, à phthisi occubuit. quo morbi genere mater haud ita pridē contabuerat.

Et

*Et natale solum, Sebethidis ora paludis.*
*Ingenium verò quantum non altera Phœbi*
*Progenies, non vlla sacræ sortita Mineruæ.*
*Vix puer expertus Musarum, & Palladis artes.*
*Mox Ignatiadûm leges, & iura secutus,*
*Iam sese à teneris cœlo deuouerat annis.*
*Ille habitu ingenti genitorem, & pectore toto,*
*Et latis referens humeris, & compare vultu,*
*Ah miser exitium maternum, & triste fouebat*
*Abstrusum in venis, atq. immedicabile virus.*
*Iamq. animæ tenerum follem, & vitale flabellum*
*Tabe liquans, scaubat edax in pectore morbus.*
*Nec patrios membrorum artus imitata venustas*
*Profuit, & magnis species formosa lacertis.*
*Sic genus infecit thalami comes ægra paterni;*
*Impressitq. luem gnato, quam fontibus ipsa*
*Hauserat à patrijs, & auitum insigne gerebat.*
*Ah genitrix, quantum terris ignara dedisti,*
*Quantum inuita decus tecum eripis! at tua felix*
*Hoc generis fortuna satu, licet irrita cultu.*
*Illa sui generis durum, & miserabile pignus,*
*Tabificum læso vitium in pulmone tegebat.*
*Post vbi iam votis Lucinam experta secundis,*
*Nec dum etiam teneræ florem libata iuuentæ,*

*Occidit, exitio & gentili debita fato.*
*Tu quoq. contagem hanc ægræ genitricis ab aluo*
*Hausisti, & lentè crescentem incautus alebas*
**Saßiade Feronice, neq. illam arcere medendo*
*Vlla Machaonia potuit solertia cura.*
*Iam nitidum vitæ dubios ver ibat in annos,*
*Aureaq. auspicijs ætas, & florea mento,*
*Quattuor exactum lustris impleuerat orbem.*
*Hic matura lues, & fallere nescia tempus,*
*Iam retegi, & lentas æstu succendere venas,*
*Olli purpureæ lanuginis occiduus flos*
*Defluere, & suauè indecores tabescere malæ,*
*Tristiaq. obseßis contagia serpere membris.*
*Qualis materna vitio telluris, & ægro*
*Stirpe satus, mæstisq. labans folijs amaranthus*
*Nascitur immoriens morienti cespitis herbæ.*
*Ah Lachesi, ah Clotho, si quod genus inuida nescis*
*Inuidiæ, poteras tantis ignoscere pensis;*
*Nec talem Musis animam, tot funere in vno*
*Spes Latij, tot opes cæli, tot gaudia nostra*
*Carpere, tam dulces Diuæ Sirenis amores.*
*Non tulit hanc genitor cladem lugere superstes:*
*Nam suprema videns tanti præsagia luctus,*
*Abrumpit lacrymis vitam, seq. ante minaci*

Ficto Saßiadæ Feronicæ nomine indicat Franciscum Sassum. is in nostrã Societatẽ adlectus, Aloysium Sassum (Elysum hic vocat) optimum parentẽ, natu grandem, à quo vnice diligebatur, suo pertraxit exemplo ad eandẽ societatẽ ineundam. verũ mox phthisi, quam hauserat à matre, in ipso ætatis flore correptus, cum sensim contabesceret, non potuit grandæuũ patrem præcurrere ad cælũ, quẽ præiuit ad religionem. sed pater excessit e vita prior. inde filius patrem subsecutus interijt à tabe.

*Sub-*

*Subtrahit exitio, & promptis ad vulnera fatis.*
*Quid struis! & qua spe curas vrgere medentum*
*Ah genitor, quondam felix, contendis Elyse!*
*Debitus ille astris, quamquam tibi creditus hæres,*
*Te dulci illecebra, dulci te quærere furto*
*Natus, vt alliceret superas te victor ad oras.*
*Ille tibi seu fœnus erat, seu fœdus Olympi,*
*Sat vidisse fuit terris tantum indolis instar,*
*Vt niti auspicijs vltra mortalia posses.*
*Cetera da fatis. nimium Campana propago*
*Ire homines supra visa est, & fidere cælo,*
*Si tibi mansuram dederant hanc numina prolem.*
*Fortunate senex, si quid meus audet Apollo,*
*Aut aliquid meritis æquum dant Mænala tantis,*
*Nec supra inuidiam frustra tot nitimur orsis,*
*Nulla dies laudum senior memorande tuarum*
*Immemor, aut tanto venient sine nomine fasti.*
*Ille duces inter Latios, & prima potentum*
*Nomina posthabitus nulli, præq. omnibus vnus*
*Emeritus, contemptor opum, contemptor honorum,*
*Fessus in vrbani portum secesserat oti.*
*Mox etiam natum cæli sub signa secutus,*
*Gloria militiæ non vltima Loiolææ,*
*Canitiem, floremq. æui spectabilis heros*

*Tergemina Superis voti sub lege dicarat.*
*Tantus amor nati, & teneri ducis æmula virtus.*
*At non ille sequi properantem ad funera natum*
*Sustinuit: quin ipse suo prauertere letho*
*Optauit (neq. enim aut amor, aut lux altera cordi)*
*Et potuit, tantis mortem dum fletibus orat.*
*Iam morere ò felix: natum præcurris ad altos*
*Cælicolas. I; falle dolo: verte ante: propinquat.*
*Mox illum indigetem supera inter gaudia lætus*
*Excipies gremio: figes cælestia vultu*
*Oscula: vicina sublimem in sede locabis:*
*Atq. hæc prærepta pro relligione repones.*
*Discite connubium fortes, nec coniugis aurum,*
*Aut formam, aut claros maiorum insignibus ortus.*
*Sed vires optate pares, & nubile robur.*
*Sunt etiam, natis prohibent qui longa parentes*
*Secula, primæuo teneram dum flore iuuentam*
*Damnant connubio, & fæda se Cypride carpunt.*
*Hinc & feminei generis non rara propago,*
*Et fragiles nerui natorum, angustaq. membris*
*Corpora, tum spatijs præceps breuioribus ætas.*
*Nam simul illapsa est molles Erycina medullas;*
*Corripit humentem, teneris qui plurimus annis,*
*Venarum laticem, & lento depascitur æstu.*

Conti-

*Continuò absumptis vigor ossibus intabescit,*
*Et tenuem arenti vitam cum fæce relinquit.*
*Et steriles inter tædas, aut triste feraces*
*Deperit, ante diem thalamis operata iuuentus.*
*Sic, vbi post florem emeritum, spes fertilis anni*
*Incboat Autumnum, & lætis dedit omina cellis;*
*Æstifer incubuit cælo Notus, aruaq. latè*
*Vrit, & in medio Pomonam interficit ortu.*
*Sic Venus immatura toro, & crescentibus annis,*
*Nequicquam insano iuuenes euentilat æstu,*
*Et molli tenerum vitæ ver incoquit igni,*
*Nec sinit illæso sobolem efflorescere partu.*
*Scilicet exustum florem genitabilis æui,*
*Languentemq. animam tædis, & præcoce flamma*
*Sensit, & arescens ad pignora deficit ætas.*
*Cælibe sub cura naturæ robur alendum est.*
*Pabula quærendum teneris humentia neruis;*
*Quæ dum sufficiunt firmas cum sanguine vires,*
*Lethifer est venas, quicunque afflauerit, æstus,*
*Præsertim Veneris flagrans immane libido.*
*Firma decet thalamos ætas, & sera voluptas.*
*Hinc generi primæ vires. sin altera mentem*
*Cura vocat, vertitq. aliò te pronuba Cypris;*
*Femineam sobolem partu vulgabis acerbo,*

*Aut humiles forma natos, & viribus ægros.*
*Quin etiam felix, & gignere fortior ætas*
*Non procul à senio est. etiam suprema senectus*
*Sæpe mares animas, & fortia pignora gignit.*
*Mira fides, nec vana quidem, aut non obuia vulgo.*
*Nam memini, quà crebra iugis, & pinguia Lubræ*
*Rura meæ, collesq. virent, & Maßica tempe,*
*Nestoreum vidisse senem, cui viribus audax*
*Terdenos iamdudum ætas ter verterat annos.*
*At postquam hanc æui metam transgressus, ad vnam*
*Venit olympiadem; thalamos à celibe vita*
*Tum repetit, nec vana timet ludibria vulgi.*
*Neue foret venia populi non dignus, & auræ;*
*Speratam sobolem, & seros, duo robora, natos*
*Suscepit genitor, patrijsq. eduxit in vlnis.*
*Tum reliqua est ætas lustris exacta duobus.*
*Vsque adeo matura domos connubia firmant.*
*Si valet in senio, atq. aliquem natura teporem*
*Seruat adhuc; semper proles speranda virilis.*
*Nam, quia longinquo vires exercita victu,*
*Siccior est æui pars vltima; semper alendo*
*Arescit magis, & solidis riget oßibus ætas.*
*Fortior hinc extat genio vigor igneus vsu;*
*Et vis illa venit generi matura serendo:*

*Arida*

*Arida nam firmant socium fomenta calorem.*
*Nimirum in sicca semper violentius esca*
*Natiuas flammarum iras exsuscitat ignis.*
*Cernis, vt arentem rapiant incendia syluam,*
*Et quanta exurat Libycos face Sirius agros?*
*Quidquid vbiq. soli est. quæ siccior, acrius æstum*
*Haurit, & accensa cœlum plaga torret arena.*
*Ardet inexpletum, rapidas iaculata fauillas*
*Lamina, conceptis dum candet ahenea flammis,*
*Arida cum duris coeant; si quæritur igni*
*Sæuitia, & dignus Steropæ fornacibus ardor.*
*Et senium durat vires, dum corpora siccat;*
*Vt, nisi vis totis desueuerit ignea venis;*
*Nulla mares edant melius connubia natos,*
*Ne leuis hoc speret pubes à mollibus annis.*
*Quippe Dionæo quamuis exuberet æstu;*
*Ipsa suo pugnat, quoniam nimis vda, calori.*
*Scilicet humenti languent in fomite flammæ,*
*Nec tales agitant iras, quibus acta coruscat*
*Vis, vbi cum duro concreuerit ignea ferro.*
*Cum face non æque possunt coalescere fluctus.*
*Cerne laborantem subiectis ignibus vndam*
*Numquam Vulcani flagrantem in lampada solui,*
*At liquidam bullis agitare tumentibus auram,*

*Et ſeſe in ſpumas reſolutàm efflare tepentes*
*Paulatim, ac tenui ſalientem efferuere fumo.*
*Haud aliter primis Cyprius liquet ardor in annis*
*Fuſilis, & firmo thalami intractabilis vſu.*
*Gliſcit enim tenero nequicquam in corpore ſanguis*
*Si caleat genio, & tenuem efferueſcit in æſtum,*
*Spumeus in bullas, atq. vbere fuſilis vnda.*
*Sit mora connubio, donec iam torridus æuo*
*Conſtet, & in ſolidum vitæ ſe colligat humor,*
*Igneaq. arentem conceperit ira vigorem.*
*Hinc thalamis aptæ vires, hinc aurea proles.*
*Sæpe dat hoc, ſeros ætas cum vergit in annos;*
*Præſertim liquidus vitæ cum ſuccus abundat.*
*Qui niſi iam venis coeat maturus adultis*
*Glutinis in morem, tenui cum liquitur igni;*
*Vana tibi infauſtas accendet pronuba tædas.*
*Quòd niſi me arcano reuocent à Pæone Muſæ;*
*Et iuſſum Aonios hauſtu contingere fontes,*
*Veſtigare vetent antrum, & fumantis opaca*
*Rupe ſub Aſclepi medicatam haurire paludem,*
*Dulciaq. ingratis confundere pocula ſuccis:*
*Haud equidem inuitus canerem, cur pabula vitam*
*Humida cum ferueut; ſemper tamen arida creſcant*
*Corpora: quid demant anni, quid viribus addant;*

*Et*

*Et quò sæpe modo, dum viribus instat alendis,*
*Naturæ tepor augescat, quo sæpe remittat:*
*Cur idem interdum, vel quo tenus integer anno*
*Duret, & inceptum variet quæ causa tenorem.*
*Verùm hæc Pæoniæ præter dumeta palæstræ*
*Iam feror, & summo conor me sistere Pindo.*
*Disce viam, & thalamo iuuenis discede parato.*
*Nam quis agit cæcam furor ad connubia mentem?*
*Quo ruis? & quò te rerum inconsulta voluptas*
*Præcipitat labentem animo, ignarumq. futuri?*
*Mollis hebet, viresq. ætas implere iugales*
*Abnegat, & steriles nequicquam instigat amores.*
*Scilicet iniectam tenera in præcordia flammam*
*Coniugium extinguet tædis, atq. igne gemello?*
*Vana fides. ah quanta lues in viscera, quantum*
*Virus aget sese, & dulci torreberis æstu.*
*Qualis, vbi ardenti propius successerit igni,*
*Cera liquet sensim, & facili se tabe resoluit.*
*Tale liques genio: sed iniquæ Cypridis ignes*
*Dum sequeris dulces, tandem experieris amaros.*
*Si tamen iste animo tantùm sese ingerit error,*
*Atq. ignem vis igne mori, & non crescere flammam;*
*Da Paphijs tantum facibus, quod fingere vanum est.*
*At vitæ qui cursus erit? quæ deinde futuros*

*Excipiet cari generis fortuna nepotes?*
*Si trahet exemplum facti ventura propago,*
*Atq. immaturos thalamis vrgebit amores;*
*Et talem ventura feret per secula morem.*
*Heu nimis à iusta desuescent corpora forma,*
*Et semper spatijs surget breuioribus ætas.*
*Scilicet, in peius quoniam sublapsa referri*
*Sanguinis incrementa solent, ac semina vitæ,*
*Ipsaq. crescendi semper decrescit origo;*
*Tempus erit, virtus cùm fomite prona caduco*
*Deficiat, numquam annosos genitura nepotes.*
*Hinc satus effœto iam sanguine pumilus hæres*
*Fundabit stirpem generi, semperq. sequetur*
*Parua satu soboles, & crescere nescia cultu.*
*Nec vanum est, tantam natis timuisse ruinam.*
*Memnonios iuxta fines, & Gangis arenas*
*Esse genus fama est, quo non angustius vllum*
*Limite naturæ, atq. opibus communibus æui:*
*Nec breuior forma species, nec finibus ætas*
*Vlla virûm, non vlla magis ludicra venustas.*
*Vix totis vitæ spatijs adolescere tantum*
*Ius natale sinit, quantum longißima surgunt*
*Colla gruum: namq. illa grues armata laceßit*
*Progenies, bello inferior, nec corpore maior.*

*Hic*

*Hic amor, hoc genti studium, & Mauortia virtus.*
*Effundunt sese plenis in littora castris*
*Quà pluuiam vocem aligerum dat Strimonis agmen.*
*Neue acies bellum fremitu non armet equestri;*
*Insidunt dorso pecudum, frænantq. bicornes*
*Lanigeros, toto lectum gregis agmen ouili.*
*Sæpe viros ad bella suos misere capellæ:*
*Sæpe ipsæ impositis equitum saliere sub armis.*
*Nec piger aërius cœlo ruit hostis ab alto,*
*Et sese armatis vltro pedes hostibus infert.*
*Stant campo aduersæ, crocitant dum classica, turmæ:*
*Illa minax virgis, hæc ore minacior vnco.*
*Hic furor, hic cædes, hic iuncea fulmina Martis.*
*Instant assultu volucres, paruosq. Mimantas*
*Protuúbant, vrgentq. minas, & vulnera rostro,*
*Et furijs trudunt semper victricibus hostem.*
*Iamq. acies, belliq. duces tantum inter, & hastas*
*Assurgunt mediæ, & summis ceruicibus extant:*
*Quantum inter stipulas, fœniq. trementia fila,*
*Exacta cum messe sedent arentibus illæ*
*Turmatim affusæ campis, & pabula carpunt.*
*Sæpe furens alis aliqua est regina volantum,*
*Quæ, si quem aduersæ gentis conspexit Achillem,*
*Aut aliquem Alciden altis insurgere telis,*

*Quadrupedumq; acies & cornigeros equitatus*
*Ducentem indomitis hircum frænare lupatis;*
*Illum primà suæ lectum inter millia prædæ*
*Corripuit morsu medium, truncumq; reliquit:*
*Aut equitem, & grauia arma feri bellantis, & ipsum*
*Altius assurgentem in cornua quadrupedantem*
*Preßit, & ad superas vnco pede sustulit auras,*
*Et patrium victix circumuolitauit Olympum.*
*O genus inuisum fato, & vitalibus auris.*
*Nam si qua est lucis felix vsura, duobus*
*Vlterior nulla est, quamquam longißima, lustris.*
*Ætas connubium, & tempestiuos Hymenæos*
*Deserit ante nouem, post quattuor asserit annos.*
*Si qua decem supra est, ea summa, & rara senectus.*
*Phœbe, quis hæc terris hominum ludibria fecit?*
*Et quo tam tenuis vitæ prouentus ab ortu?*
*Nam neq. non illis ratio, & prudentia rerum,*
*Nec mutæ pecudum facies. nil munera vitæ*
*Degenerant. condunt vrbes, & fœdera linguis*
*Exercent, legumq. fidem, & commercia seruant*
*Os habitumq. homines. nec ferri bellicus vsus,*
*Aut labor, aut nauæ desit solertia mentis.*
*Nec sator ille hominum primus, vitæq. repertor*
*Diuisit stirpem, & generis cunabula nostri,*

*Aut*

*Aut geminam instituit seriem, fontemq. nepotum,*
*Vt foret bis ingens habitus, contractior illis,*
*Aut vllum ætati primo discrimen ab ortu.*
*Humano sedenim generi non amplius vnum*
*E limo surrexe caput, vitæq. parentem*
*Ne dubita. sat nota fides, & conscia cælo.*
*Ille dedit cursum generi, & primordia vitæ*
*Extulit, ac plenis æuum de fontibus hausit.*
*Egregios forma natos, & corpora primus*
*Magna tulit, rexitq. datas natalis habenas,*
*Inq. alios ductum ex alijs genus impulit ortus.*
*Quò mirere magis, quæ tanta iniuria formæ!*
*Cur illi tam lenta salus, atq. indiga genti,*
*Et nimium fluxi soles, & lucis auari!*
*Quo decus amissum casu, quo robur ademptum!*
*Vnde adeo se vita breuem contraxit in orbem!*
*Credo equidem (nec vana fides, aut fabula Pindi)*
*Non alia est, tam vile genus quæ ducit, origo,*
*Quàm thalami celeres, & Cypridis error auitæ.*
*Nempe aliquis quondam primo de sanguine gentis,*
*Quamquam habitu non ille humili, nec roboris expers,*
*Sed præceps ornare toros ad fœdera nuptæ,*
*Nec maturus adhuc genij, aut consultus amorum,*
*Infirmam eduxit sobolem. quo sanguine creti*

*Si coeant vnum miseri sitientis ad haustum,*
*Exitium vtrouis laticum par instat ab vno*
*Rore, licet tenui. satis vna est rimula morti,*
*Illa domum exiguæ radio cùm lucis inibit.*
*At, cùm vitales properat natalis ad auras,*
*Ni videat toto bipatentem à limine vitam,*
*Ordiri in longos nescit vestigia cursus.*
*Vos gemini postes vitæ, vos vna, parentes,*
*Ianua, quæ cursum surgentibus inchoat annis.*
*Passa licet, numquam spatio plus panditur æquo.*
*Multum obstat; si pulsa, minus quàm tota patescit,*
*Et nullam sinit ire diem felicibus horis.*
*O, aditum lustris facilem laxate futuris.*
*Non animas implet generi, nec secula sanguis*
*Alteruter, si partem æui male sufficit alter.*
*Vidi ego (nec visu rarum, si talia semper*
*Sollicitis inspecta oculis euenta sequamur)*
*Vidi equidem, & casu cari perculsus * amici,*
*Æternum memori seruo sub pectore vulnus.*
*Dicite quem, Musæ, iuuenem, quas inter adultum*
*Delicias? illum Charites, illum aurea Siren,*
*Illum Castaliæ gremio fouere sorores.*
*Ingens culmen opum, & titulis fortuna paternis*
*Ampla satis, primiq. Ducum cognata propago,*

* Is est Pompeius de Capua, qui adhuc adolescens in nostram Societatem cooptatus, à phthisi occubuit. quo morbi genere mater haud ita pridē contabuerat.

Et

*Et natale solum, Sebethidis ora paludis.*
*Ingenium verò quantum non altera Phœbi*
*Progenies, non vlla sacræ sortita Mineruæ.*
*Vix puer expertus Musarum, & Palladis artes.*
*Mox Ignatiadûm leges, & iura secutus,*
*Iam sese à teneris cœlo deuouerat annis.*
*Ille habitu ingenti genitorem, & pectore toto,*
*Et latis referens humeris, & compare vultu,*
*Ah miser exitium maternum, & triste fouebat*
*Abstrusum in venis, atq. immedicabile virus.*
*Iamq. animæ tenerum follem, & vitale flabellum*
*Tabe liquans, sæuibat edax in pectore morbus.*
*Nec patrios membrorum artus imitata venustas*
*Profuit, & magnis species formosa lacertis.*
*Sic genus infecit thalami comes ægra paterni;*
*Impressitq. luem gnato, quam fontibus ipsa*
*Hauserat à patrijs, & auitum insigne gerebat.*
*Ah genitrix, quantum terris ignara dedisti,*
*Quantum inuita decus tecum eripis! at tua felix*
*Hoc generis fortuna satu, licet irrita cultu.*
*Illa sui generis durum, & miserabile pignus,*
*Tabificum læso vitium in pulmone tegebat.*
*Post vbi iam votis Lucinam experta secundis,*
*Nec dum etiam teneræ florem libata iuuentæ,*

*Occidit, exitio & gentili debita fato.*
*Tu quoq. contagem hanc ægræ genitricis ab aluo*
*Hausisti, & lentè crescentem incautus alebas*
**Saßiade Feronice, neq. illam arcere medendo*
*Vlla Machaoniæ potuit solertiæ curæ.*
*Iam nitidum vitæ dubios ver ibat in annos,*
*Aureaq. auspicijs ætas, & florea mento,*
*Quattuor exactum lustris impleuerat orbem.*
*Hic matura lues, & fallere nescia tempus,*
*Iam retegi, & lentas æstu succendere venas,*
*Olli purpureæ lanuginis occiduus flos*
*Defluere, & suauè indecores tabescere malæ,*
*Tristiaq. obseßis contagia serpere membris.*
*Qualis materna vitio telluris, & ægro*
*Stirpe satus, mæstisq. labans folijs amaranthus*
*Nascitur immoriens morienti cespitis herbæ.*
*Ah Lachesi, ah Clotho, si quod genus inuida nescis*
*Inuidiæ, poteras tantis ignoscere pensis;*
*Nec talem Musis animam, tot funere in vno*
*Spes Latij, tot opes cæli, tot gaudia nostra*
*Carpere, tam dulces Diuæ Sirenis amores.*
*Non tulit hanc genitor cladem lugere superstes:*
*Nam suprema videns tanti præsagia luctus,*
*Abrumpit lacrymis vitam, seq. ante minaci*

Sub-

* Ficto Sassiadæ Feronicæ nomine indicat Franciscum Sassum. is in nostrā Societatē adlectus, Aloysium Sassum (Elysum hic vocat) optimum parentē, natu grandem, à quo vnice diligebatur, suo pertraxit exemplo ad candē Societatē ineundam. verū mox phthisi, quam hauserat à matre, in ipso ætatis flore correptus, cum sensim contabesceret, non potuit grandæuū patrem præcurrere ad cælū, quē præiuit ad religionem. sed pater excessit e vita prior. inde filius patrem subsecutus interijt à tabe.

*Subtrahit exitio, & promptis ad vulnera fatis.*
*Quid struis! & qua spe curas vrgere medentum*
*Ah genitor, quondam felix, contendis Elyse!*
*Debitus ille astris, quamquam tibi creditus hæres,*
*Te dulci illecebra, dulci te quærere furto*
*Natus, vt alliceret superas te victor ad oras.*
*Ille tibi seu fœnus erat, seu fœdus Olympi,*
*Sat vidisse fuit terris tantum indolis instar,*
*Vt niti auspicijs vltra mortalia posses.*
*Cetera da fatis. nimium Campana propago*
*Ire homines supra visa est, & sidere cælo,*
*Si tibi mansuram dederant hanc numina prolem.*
*Fortunate senex, si quid meus audet Apollo,*
*Aut aliquid meritis æquum dant Mænala tantis,*
*Nec supra inuidiam frustra tot nitimur orsis,*
*Nulla dies laudum senior memorande tuarum*
*Immemor, aut tanto venient sine nomine fasti.*
*Ille duces inter Latios, & prima potentum*
*Nomina posthabitus nulli, præq. omnibus vnus*
*Emeritus, contemptor opum, contemptor honorum,*
*Fessus in vrbani portum secesserat oti.*
*Mox etiam natum cæli sub signa secutus,*
*Gloria militiæ non vltima Loiolææ,*
*Canitiem, floremq. æui spectabilis heros*

Tergemina Superis voti sub lege dicarat.
Tantus amor nati, & teneri ducis æmula virtus.
At non ille sequi properantem ad funera natum
Sustinuit: quin ipse suo prauertere letho
Optauit (neq. enim aut amor, aut lux altera cordi)
Et potuit, tantis mortem dum fletibus orat.
Iam morere ô felix: natum præcurris ad altos
Cælicolas. I, falle dolo: verte ante: propinquat.
Mox illum indigetem supera inter gaudia lætus
Excipies gremio: figes cælestia vultu
Oscula: vicina sublimem in sede locabis:
Atq. hæc prærepta pro relligione repones.
Discite connubium fortes, nec coniugis aurum,
Aut formam, aut claros maiorum insignibus ortus.
Sed vires optate pares, & nubile robur.
Sunt etiam, natis prohibent qui longa parentes
Secula, primæuo teneram dum flore iuuentam
Damnant connubio, & fœda se Cypride carpunt.
Hinc & feminei generis non rara propago,
Et fragiles nerui natorum, angustaq. membris
Corpora, tum spatijs præceps breuioribus ætas.
Nam simul illapsa est molles Erycina medullas;
Corripit humentem, teneris qui plurimus annis,
Venarum laticem, & lento depascitur æstu.

Conti-

*Continuò absumptis vigor ossibus intabescit,*
*Et tenuem arenti vitam cum fæce relinquit.*
*Et steriles inter tædas, aut triste feraces*
*Deperit, ante diem thalamis operata iuuentus.*
*Sic, vbi post florem emeritum, spes fertilis anni*
*Incboat Autumnum, & lætis dedit omina cellis;*
*Æstifer incubuit cœlo Notus, aruaq. latè*
*Vrit, & in medio Pomonam interficit ortu.*
*Sic Venus immatura toro, & crescentibus annis,*
*Nequicquam insano iuuenes euentilat æstu,*
*Et molli tenerum vitæ ver incoquit igni,*
*Nec sinit illæso sobolem efflorescere partu.*
*Scilicet exustum florem genitabilis æui,*
*Languentemq. animam tædis, & præcoce flamma*
*Sensit, & arescens ad pignora deficit ætas.*
*Cælibe sub cura naturæ robur alendum est.*
*Pabula quærendum teneris humentia neruis;*
*Quæ dum sufficiunt firmas cum sanguine vires,*
*Lethifer est venas, quicunque afflauerit, æstus,*
*Præsertim Veneris flagrans immane libido.*
*Firma decet thalamos ætas, & sera voluptas.*
*Hinc generi primæ vires. sin altera mentem*
*Cura vocat, vertitq. aliò te pronuba Cypris;*
*Femineam sobolem partu vulgabis acerbo,*

*Aut humiles forma natos, & viribus ægros.*
*Quin etiam felix, & gignere fortior ætas*
*Non procul à senio est. etiam suprema senectus*
*Sæpe mares animas, & fortia pignora gignit.*
*Mira fides, nec vana quidem, aut non obuia vulgo.*
*Nam memini, quà crebra iugis, & pinguia Lubræ*
*Rura meæ, collesq. virent, & Maßica tempe,*
*Nestoreum vidisse senem, cui viribus audax*
*Terdenos iamdudum ætas ter verterat annos.*
*At postquam hanc æui metam transgressus, ad vnam*
*Venit olympiadem; thalamos à celibe vita*
*Tum repetit, nec vana timet ludibria vulgi.*
*Neue foret venia populi non dignus, & aura;*
*Speratam sobolem, & seros, duo robora, natos*
*Suscepit genitor, patriisq. eduxit in vlnis.*
*Tum reliqua est ætas lustris exacta duobus.*
*Vsque adeo matura domos connubia firmant.*
*Si valet in senio, atq. aliquem natura teporem*
*Seruat adhuc; semper proles speranda virilis.*
*Nam, quia longinquo vires exercita victu,*
*Siccior est æui pars vltima; semper alendo*
*Arescit magis, & solidis riget oßibus ætas.*
*Fortior hinc extat genio vigor igneus vsu;*
*Et vis illa venit generi matura serendo:*

*Arida*

*Arida nam firmant socium fomenta calorem.*
*Nimirum in sicca semper violentius esca*
*Natiuas flammarum iras exsuscitat ignis.*
*Cernis, vt arentem rapiant incendia syluam,*
*Et quanta exurat Libycos face Sirius agros?*
*Quidquid vbiq. soli est. quæ siccior, acrius æstum*
*Haurit, & accensa cœlum plaga torret arena.*
*Ardet inexpletum, rapidas iaculata fauillas*
*Lamina, conceptis dum candet ahenea flammis.*
*Arida cum duris coeant; si quæritur igni*
*Sæuitia, & dignus Steropæ fornacibus ardor.*
*Et senium durat vires, dum corpora siccat;*
*Vt, nisi vis totis desueuerit ignea venis;*
*Nulla mares edant melius connubia natos,*
*Ne leuis hoc speret pubes à mollibus annis.*
*Quippe Dionæo quamuis exuberet æstu;*
*Ipsa suo pugnat, quoniam nimis vda, calori.*
*Scilicet humenti languent in fomite flammæ,*
*Nec tales agitant iras, quibus acta coruscat*
*Vis, vbi cum duro concreuerit ignea ferro.*
*Cum face non æque possunt coalescere fluctus.*
*Cerne laborantem subiectis ignibus vndam*
*Numquam Vulcani flagrantem in lampada solui,*
*At liquidam bullis agitare tumentibus auram,*

*Et ſeſe in ſpumas reſolutàm efflare tepentes*
*Paulatim, ac tenui ſalientem efferuere fumo.*
*Haud aliter primis Cyprius liquet ardor in annis*
*Fuſilis, & firmo thalami intractabilis vſu.*
*Gliſcit enim tenero nequicquam in corpore ſanguis*
*Si caleat genio, & tenuem efferueſcit in æſtum,*
*Spumeus in bullas, atq. vbere fuſilis vnda.*
*Sit mora connubio, donec iam torridus æuo*
*Conſtet, & in ſolidum vitæ ſe colligat humor,*
*Igneaq. arentem conceperit ira vigorem.*
*Hinc thalamis aptæ vires, hinc aurea proles.*
*Sæpe dat hoc, ſeros ætas cum vergit in annos;*
*Præſertim liquidus vitæ cum ſuccus abundat.*
*Qui niſi iam venis coeat maturus adultis*
*Glutinis in morem, tenui cum liquitur igni;*
*Vana tibi infauſtas accendet pronuba tædas.*
*Quòd niſi me arcano reuocent à Pæone Muſæ;*
*Et iuſſum Aonios hauſtu contingere fontes,*
*Veſtigare vetent antrum, & fumantis opaca*
*Rupe ſub Aſclepi medicatam haurire paludem,*
*Dulciaq. ingratis confundere pocula ſuccis:*
*Haud equidem inuitus canerem, cur pabula vitam*
*Humida cum feruent; ſemper tamen arida creſcant*
*Corpora: quid demant anni, quid viribus addant;*
*Et*

*Et quò ſæpe modo, dum viribus inſtat alendis,*
*Naturæ tepor augeſcat, quo ſæpe remittat:*
*Cur idem interdum, vel quo tenus integer anno*
*Duret, & inceptum variet quæ cauſa tenorem.*
*Verùm hæc Pæoniæ præter dumeta palæſtræ*
*Iam feror, & ſummo conor me ſiſtere Pindo.*

*Diſce viam, & thalamo iuuenis diſcede parato.*
*Nam quis agit cæcam furor ad connubia mentem?*
*Quo ruis? & quò te rerum inconſulta voluptas*
*Præcipitat labentem animo, ignarumq. futuri?*
*Mollis hebet, viresq. ætas implere iugales*
*Abnegat, & steriles nequicquam inſtigat amores.*
*Scilicet iniectam tenera in præcordia flammam*
*Coniugium extinguet tædis, atq. igne gemello?*
*Vana fides. ah quanta lues in viſcera, quantum*
*Virus aget ſeſe, & dulci torreberis æſtu.*
*Qualis, vbi ardenti propius ſucceſſerit igni,*
*Cera liquet ſenſim, & facili ſe tabe reſoluit.*
*Tale liques genio: ſed iniquæ Cypridis ignes*
*Dum ſequeris dulces, tandem experieris amaros.*
*Si tamen iſte animo tantùm ſeſe ingerit error,*
*Atq. ignem vis igne mori, & non creſcere flammam;*
*Da Paphijs tantum facibus, quod fingere vanum eſt.*
*At vitæ qui curſus erit? quæ deinde futuros*

*Excipiet cari generis fortuna nepotes?*
*Si trahet exemplum facti ventura propago,*
*Atq. immaturos thalamis vrgebit amores,*
*Et talem ventura feret per secula morem.*
*Heu nimis à iusta desuescent corpora forma,*
*Et semper spatijs surget breuioribus ætas.*
*Scilicet, in peius quoniam sublapsa referri*
*Sanguinis incrementa solent, ac semina vitæ.*
*Ipsaq. crescendi semper decrescit origo;*
*Tempus erit, virtus cùm fomite prona caduco*
*Deficiat, numquam annosos genitura nepotes.*
*Hinc satus effœto iam sanguine pumilus hæres*
*Fundabit stirpem generi, semperq. sequetur*
*Parua satu soboles, & crescere nescia cultu.*
*Nec vanum est, tantam natis timuisse ruinam.*
*Memnonios iuxta fines, & Gangis arenas*
*Esse genus fama est, quo non angustius vllum*
*Limite naturæ, atq. opibus communibus æui:*
*Nec breuior forma species, nec finibus ætas*
*Vlla virûm, non vlla magis ludicra venustas.*
*Vix totis vitæ spatijs adolescere tantum*
*Ius natale sinit, quantum longißima surgunt*
*Colla gruum: namq. illa grues armata laceßit*
*Progenies, bello inferior, nec corpore maior.*

*Hic*

*Hic amor, hoc genti studium, & Mauortia virtus.*
*Effundunt sese plenis in littora castris*
*Quà pluuiam vocem aligerum dat Strimonis agmen.*
*Neue acies bellum fremitu non armet equestri;*
*Insidunt dorso pecudum, frænantq. bicornes*
*Lanigeros, toto lectum gregis agmen ouili.*
*Sæpe viros ad bella suos misere capellæ:*
*Sæpe ipsæ impositis equitum saliere sub armis.*
*Nec piger aërius cælo ruit hostis ab alto,*
*Et sese armatis vltro pedes hostibus infert.*
*Stant campo aduersæ, crocitant dum classica, turmæ:*
*Illa minax virgis, hæc ore minacior vnco.*
*Hic furor, hic cædes, hic iuncea fulmina Martis.*
*Instant assultu volucres, paruosq. Mimantas*
*Proturibant, vrgentq. minas, & vulnera rostro,*
*Et furijs trudunt semper victricibus hostem.*
*Iamq. acies, belliq. duces tantum inter, & hastas*
*Assurgunt mediæ, & summis ceruicibus extant:*
*Quantum inter stipulas, fæniq. trementia fila,*
*Exacta cum messe sedent arentibus illæ*
*Turmatim affusæ campis, & pabula carpunt.*
*Sæpe furens alis aliqua est regina volantum,*
*Quæ, si quem aduersæ gentis conspexit Achillem,*
*Aut aliquem Alcidem altis insurgere telis,*

*Aut geminam instituit seriem, fontemq. nepotum,*
*Vt foret bis ingens habitus, contractior illis,*
*Aut vllum ætati primo discrimen ab ortu.*
*Humano sedenim generi non amplius vnum*
*E limo surrexe caput, vitæq. parentem*
*Ne dubita. sat nota fides, & conscia cælo.*
*Ille dedit cursum generi, & primordia vitæ*
*Extulit, ac plenis æuum de fontibus hausit.*
*Egregios forma natos, & corpora primus*
*Magna tulit, rexitq. datas natalis habenas,*
*Inq. alios ductum ex alijs genus impulit ortus.*
*Quò mirere magis, quæ tanta iniuria formæ!*
*Cur illi tam lenta salus, atq. indiga genti,*
*Et nimium fluxi soles, & lucis auari!*
*Quo decus amissum casu, quo robur ademptum!*
*Vnde adeo se vita breuem contraxit in orbem!*
*Credo equidem (nec vana fides, aut fabula Pindi)*
*Non alia est, tam vile genus quæ ducit, origo,*
*Quàm thalami celeres, & Cypridis error auitæ.*
*Nempe aliquis quondam primo de sanguine gentis,*
*Quamquam habitu non ille humili, nec roboris expers,*
*Sed præceps ornare toros ad fœdera nuptæ,*
*Nec maturus adhuc genij, aut consultus amorum,*
*Infirmam eduxit sobolem. quo sanguine creti*

*Hoc alij ex alijs vitium traxere minores,*
*Ire citi, quò vota vocat malesuada Dione.*
*Hinc labor, & vitæ parcè crescentis origo*
*Extitit, & stimulos currentibus addidit annis.*
*Et thalamis primùm virtus magis ægra, magisq;*
*Tum minus, atq. minus victu succrescere nati.*
*Sic dum prona suo ducit de culmine lapsum,*
*Inq. alios alijs è casibus incita casus*
*Præcipitat natura; gradus tandem attigit imos.*
*Hinc breuis aspectu, atq. humili contracta figura*
*Summa virûm pubes, canoq. infantia mento,*
*Atq. habitus multis non plus crescentibus ilo.*
*Hanc ignominiam certo nanciscitur ortu;*
*Nascendo molles habeat si vita parentes.*
*Vestra hæc est generis, Iuuenes, infamia vestri;*
*Cura quibus, iactare vago per compita fastu*
*Sublimem incessu pubem, cristisq. tumentem,*
*Atq. humilem angustæ speciem, & compendia formæ*
*Turpia corrigere, & connubia fallere fuco.*
*Si iuuat vrbanæ medios in luce coronæ*
*Fulgere turrito pictos capita alta sub auro,*
*Atq. apicem, atq. humeros suspectu exponere vulgi;*
*Vos generi formam, & vires defendite vestro:*
*Prospicite in longum natis, & sponte labantem*

*Parcite tormento Veneris propellere vitam.*
*Miramur, si qua in turba super altius extant*
*Prima virûm capita, & procera rara iuuenta.*
*Alter honos genti quondam, & felicior annis,*
*Atq. aliæ in populis tiliæ, piceæq. comantum;*
*Dum vetitus properare suos Hymenæus amores.*
*Quanta vides campis, si quando effossa vetustas,*
*Robora trunca virûm, & formosi fragmina secli!*
*Apparent spatiosæ vrnæ, Martesq. sepulti.*
*Pulsantur grauibus rastris, pulsantur aratris*
*Costarum horrendæ bures, ramiq. lacertorum,*
*Atq. sinu immensæ, capitum curua ossa, lacunæ;*
*Et magni vmbones humerûm, clatriq. tororum.*
*Stant glebis confusa solo Mauortia quondam*
*Pectora, nunc fractæ crates. cerne ænea monstra,*
*Scuta, laboratos chalybes, operosa metalla*
*Horrisonûm gladiorum. en & Cyclopea texta*
*Thoracum, æternos nodos septemplicis auri,*
*Aureaq; ingentes galeas, portenta comarum,*
*Pilaq. sub pulsu Martem spirantia rauco;*
*Exuuias putres animarum, æuiq. rapinas.*
*Tale decus genti quondam, & miracula pubis.*
*Cum tamen effluxet Mundi primæua iuuentus,*
*Et nostram hanc lapsi fæcem contigeret æui,*

Qui genus heroes illi, quæ lumina gentis,
Quos aluit secum Mundi crescentis origo
Flore suo, fœtuq. recens, & fœnore cœli,
Connubijs nemo teneros cùm crederet annos,
Et numquam immatura viris accederet vxor?
O sate campestri illuuie, limoq. palustri
Mox hominum primæue sator, quiq. editus alto
Finitimus partu sanguis, primiq. minores;
Vos animæ ingentes ausis, ingentia formæ
Corpora, vos æui centum decurrere lustra,
Vos auram, & vitæ soles haurire beatos,
Et seriem æternam soliti numerare nepotum.
Nos genus occiduum, nos vmbra volatilis æui,
Nos fragiles animæ, atq. humili capita addita trunco;
Et truncamus adhuc thalamis, ruimusq. iuuentam!
Illi apices, illi generis fastigia nostri.
Ibat ouans annis ætas, & prodiga natis
Progenies, numquam fœtu non aucta gemello.
Nec generi fatum, aut crescentibus inuidet annis:
At longos sinit ire dies, nec secula carpit.
Iam genitor ducit populos, & adulta superstes
Millia natorum, & consanguineos Hymenæos
Temperat, ipse socer tædis, auus ipse iugandis.
Fraternæ ingeminant vrbes, nec sanguinis autor

Friget

*Friget adhuc genio thalami iuuenilis, & vsu.*
*Coniugium duodena viri post lustra colebant;*
*Ante nefas dici generum. vacat artibus ætas*
*Interea, rerumq. opifex viget impiger vsus,*
*Et varios vitæ cultus explorat egestas.*
*Scilicet ante suum instituit quàm prouida cursum,*
*Cum nondum emensis hominum crebrescere seclis*
*Inciperet natura satu vulgata benigno;*
*Prima fuit satio, & fœcundi gloria partus*
*Ingenijs. Discunt pelago se credere pinus,*
*Et linguas mutare virûm, & commercia vitæ,*
*Atq. alium Zephyris aliunde accersere morem.*
*Exercent alij syluas, & pinea texta*
*Ædificant: alij mutare mapalia tectis*
*Instituunt, coguntq. operosa bitumine saxa,*
*Aut bibulum in cinerem lapides fornace resoluunt,*
*Et procul excisæ veniunt ad limina rupes.*
*Tum ferri labor, & Vulcani incudibus auræ,*
*Follesq. fluctusq. dati, flammæq. ministræ,*
*Et caput ansatum mallei, chelæq. tenaces.*
*Quisque suas dat mentis opes. Stant marmore vultus.*
*Et facies auro, & limo sua venit imago.*
*Fingere tunc auras inuentum: & nablia fari,*
*Et voces spirare cauo didicere metallo,*

*Et titubare modis in gutture clangor aheni.*
*Protinus hic neruos ebori, numerosq. loquaces*
*Addidit; hic animam calamo, & spirabile carmen.*
*At linum seruire colo docuere puellæ,*
*Et strepere arguto molles sub pectine telas.*
*Ante quidem solæ ducebant stamina Parcæ,*
*Solæ habiles norant fusis inuoluere Soles,*
*Ac pensis tenuare diem & præcidere ferro.*
*Tantum illas docuit veterum noxa vna parentum.*
*Altera quin etiam seros à stirpe nepotes*
*Insequitur clades annorum, & secula truncat.*
*Vsque adeo vitijs genitorum obnoxia proles.*
*Nam validi quamquam neruis, & pube decora*
*Olim, dum melior vitæ status, & vaga luxu*
*Libertas, generis curam, & connubia vitant.*
*Post vbi contractis ætas iam saucia morbis*
*Languet iners, cumq. ipsa suis torta ossa lacertis,*
*Atq. manus, artusq. pedum, & genua ægra tumendo*
*Dirùm ardent, sæuiq. luem sensere Falerni,*
*Aut membris Erycina infixit vulnus, & altè*
*Vis agitur venis, atq. ossibus hæsit adesis,*
*Aut alias vitæ labes seu lubrica pubes,*
*Seu sors atra tulit, iamq. immedicabile fatum est:*
*Tunc miseri (proh quanta rapit vesania mentem!)*
*Connubio*

*Connubio indulgent, prolemq. educere gaudent,*
*Nil memores, quàm sæua domũ, & fata pignora quõdã*
*Contages innata mali, & quàm longa sequatur.*
*Quid miseri florentem opibus, vel diuite censu*
*Fortunam, aut ædes ostroq; auroq; superbas,*
*Prædiaq; atriaq; & cultu felicia rura,*
*Quid generi tot regna parant; si talia vitæ*
*Vulnera, si gemitus vulgant, & funera natis?*
*Hinc labem æternam pueri, & natale trahentes*
*Exitium, cœli Diras, iramq. Dianæ,*
*Aut scabiem horrendam, aut turpes sensere podagras.*
*Si mala comprendam numero, prius arida disces*
*Sole quot æstiuo terat Africa messis aristas,*
*Aut, vbi tempestas pluuialibus horruit Austris,*
*Quàm multi nimbosa cadant per nubila rores.*
*Sunt & aui morbis, suus est & pestibus hæres,*
*Et nimium natura ferax. Hi cernua raptant*
*Corpora per terram, quales per saxa paguri:*
*Hi neruis ægre insistunt, & sponte solutis*
*Artubus horrentes nutant, lentùmq. tremiscunt,*
*Illi intestino vincti præcordia nodo*
*Parturiunt nequicquam auras, nisuq. fatigant*
*Dissultantem animam, & crebris singultibus ægram,*
*His furor, & torui rictus, & Gorgonis ira,*

Et rigor, & sensus hebetes, & inutile mentis
Imperium, quassuq. immane trementia membra,
Oraq. proluuie, & spumantibus effera buccis.
Hi subito torpore rigent, fusiq. solo stant,
Marmore languidius duro, vel robore trunco.
Hi vel scabra situ, vel naribus ora peresis,
Aut abrosa superciliis, & squamea tabo,
Et capitis fœdi maculas, & depile monstrum
Ostentant miseri, Veneris monumenta paternæ.
Occupat his tetra maculosum ærugine corpus
Fœda mali facies, atq. vlcere pascit edaci.
Et captos oculis numquam non orba parentes
Insequitur soboles, nunquam pede libera claudos,
Nunquam & strumosos non vlcere tacta paterno.
Inditus est crassa multis à Naiade morbus,
Pigraq. suffuso penitus tumet vnda cerebro;
Et capitis molem informem, & fœta ossa madore
Intus alit, mollitq. tumor, crescitq. tegendo.
Quid, sua quæ credit medico gens viscera ferro?
Ah sibi vesicæ lapidosam inolescere fæcem
Ingemit, & tenero crescentem in viscere cautem;
Supplicium horrendum, & stirpis quoq. pignus auitæ.
Quid trepidi membrorum artus, & sponte reuulsi?
Quid laterum diri morsus? quid regia pestis?

Et

*Et croceus toto profusus corpore pallor?*
*Quid stolidi raptus animi, cæciq. furores,*
*Aut vaga consilio, & numquam sibi conscia corda?*
*Nec verò aut numero possim, aut comprendere versu,*
*Quàm genus illorum varium, quibus horrida membra*
*Tortor agit fati rigor, & trepida ossa reuellit:*
*Aut quibus ambesum graueolenti vligine corpus*
*Pascitur ingluuies morbo diffusa voraci.*
*Id genus infectas hominum Germania turbas*
*Innumeras totis fundit latißima campis,*
*Et procul horrendam contagem à mœnibus arcet.*
*Illi autem hanc vsu crescentem, & fœdere pestem*
*Sponte fouent. nec sola replet magalia vulgus*
*Pestiferum, aut raras spatiis campestribus ædes;*
*Verùm vrbes, & regna lues populosa frequentat;*
*Et misera infectam vulgant connubia gentem.*
*Illi etiam cinxere suis ingentia muris*
*Oppida. iam longè fumantia culmina pastor*
*Prospiciens, auersum alio pecus omine signat,*
*Et sua præteriens vestigia corrigit hospes.*
*Parcite venturo generi, nec tale, parentes,*
*Coniugiis vulgate malum. magis otia vitæ*
*Cælibis; & viduo placeat domus innuba cultu.*
*Si vobis defuncta salus, nec certa renasci,*

*Iamq.*

Iamq. nefas alienam vſu contingere gentem:
Quæ tandem inuidia eſt, ſocios adſciſcere natos
Exitio, & ſeclis peſtem ingenerare futuris?
Ah miſeræ fortuna domus, ah fœda nepotum
Progenies, quà dulce iuuet ſperare ſalutis
Auxilium? non, ſi ipſe manum iuratus Apollo
Admoueat, primasq. vltor Podalirius artes,
Crediderim victam vobis ignoſcere peſtem.
Scilicet ellebori vires, & candida ſucco
Thraſia nux, mixtoq. liquens roſa pinguis oliuo,
Et viuum argentum, & caſi cruor illitus hirci,
Balneaq; & plenis vndantia ſulphura thermis,
Aut triſte abrotanum, aut vllo ſata germina campo,
Quæq. Machaonium ſpirant vnguenta vaporem,
Vlla iuuent. ſinite hoc alios ſperare medendo.
Iſta, quibus primo non inſita peſtis ab ortu;
Non vobis ea miſſa ſalus. nec Pæonis auſis
Diffingi naturà poteſt, cum ſemine primo
Ficta ſemel, quacunque venit ſata labe veneni.
Id verò nec ſcire nouum, nec dicere longum,
Quò mala decurſu generis, quò fœdere partus,
Perpetuos alta natos à ſtirpe ſequantur:
Scilicet æternum eſt naturæ munus, vt omnes
A vero genitore notas, & ſymbola ducant,

Quà

*Quæ natis impreſſa genus teſtentur, & ortum.*
*Sic patria vobis veniunt ab imagine vultus*
*Aßimiles, eadem vires quoque format origo,*
*Atq. eadem vires animi, ſi debile nullis*
*Viribus ingenium, & violentior obſtitit vſus*
*Talis amor genij. ſolùm fugit ille videri*
*Neſcius aſpectum genitoris inurere nato.*
*Hinc genus attento modulari ſedulus ortu,*
*Inter opus quidquid fingat, modò ponat auitam*
*Effigiem, nil vltra animos, nil corpora curat.*
*Nec tantum vlla potis læui purißima vitro*
*Lamina, nec liquidi facies pellucida fontis*
*Cominus obiectis imitando illudere rebus.*
*Hinc varijs non vna notis illuſa videmus*
*Ora virûm, & paucis pulchrè aſpectabile ſignum.*
*Nam ſæpe aut naſi turritula glande crepido,*
*Aut ſata primori turgentia fragra labello,*
*Aut tuber innatus malis, aut meſpila mento,*
*His fuerant affecta parentum inſignibus ora,*
*Et veniunt natis ſimiles cum nomine vultus.*
*En pueri natiuam illam ſub lumine lentem.*
*Nec maculæ tantùm, aut næuo par illa videri,*
*Sed potius baccæ, fuſcæq. ſimillima gemmæ.*
*Illa eadem cari ſub lumine viſa parentis,*

*Nil ipso diuersa loco, & penè vna duorum;*
*Sic illam impreßit natò, sic transtulit aptè*
*Naturæ genialis amor. tantùm ille paternam*
*Furari speciem, & natis appingere gaudet.*
*Nec speciem verò solùm, sed corporis omnes*
*Vndiq. collectas ipso cum sanguine vires*
*Exprimit, & vitæ pignus genitabile format.*
*Quo sata progenies, velut ipso à semine sylua,*
*Præferat exemplo genitorem, & viribus æquet.*
*Et miramur adhuc, & adhuc mens inscia nutat,*
*Cur patriam secum labem, & sua funera proles*
*Ducat, & antiquo generis sub fasce laboret?*
*Nascimur, heu, testes morientum, & gentis auitæ*
*Quisq. suæ verus, quamuis inglorius, index.*
*Nec minus infausto dubiam trahit omine vitam*
*Maternis, vt sæpe, malis affecta propago.*
*Parturit ipsa annos natis, & secula mater.*
*Illa creat, quæ lina neant, quæ vellera Parcæ.*
*Aurea siue colo, siue altera fila trahantur,*
*Illa trahit: facit illa modos, & pondera fusis;*
*Et fatum, & genium grauida molitur in aluo.*
*O fortunatos miseris mortalibus ortus,*
*Ni qua suo generi natorum improuida mater*
*Inuideat dulcem fortunam, & sospitis aui*
*Auspi-*

*Auspitium tristi subigat concurrere fato.*
*Nam sæpe ad fœtum patrius vigor, & bona partu*
*Mater, & illæsa conspirat origine sanguis.*
*Nec deerat fortuna loci, nec si quid ab astris*
*Spem facit, aut quocunque fides à fœdere rerum.*
*Felix illa satu soboles, ni saucia sensu*
*Materno, & nimium turbati pectoris æstu,*
*Aut vitijs affecta dapum, victuq. soluto,*
*Concipiat confusa nouæ primordia vitæ,*
*Aut læsum in tenera corpus compage fatiscens*
*Occidat, aut turpem accipiat sine nomine formam.*
*An memorem, indociles quàm sint obstare periclis*
*Talibus, & tanta hæc matres arcere venena?*
*Sæpe solet nuptas gelida leuis haustus ab vnda*
*Lædere: sæpe animam timor abstulit. ipsa minaci*
*Si qua venit telo pauidam læsura parentem*
*Plaga, licet frustrata necem; tamen omine solo,*
*Et sola attingit teneros formidine fœtus*
*Quamquam vtero clausos, & saucia membra relinquit:*
*Quis credat, nisi certa fidem miracula firment?*
*Tale ferunt monstrum Boreæ nascentis ad oras*
*Exortum attonitos nuper vidisse Triones.*
*Namq. animi præceps quidam, nec sobrius heros*
*Forte lacessitam dictis agitabat amaris*

*Matronam thalami sociam, cui pignus in alue*
*Maturum vrgebat partus, & tempora lucis.*
*Hanc ille in rixa duram dum vulnere terret*
*In caput intento, & strictum iam surgit in ensem;*
*Illa tremens animis, & languida morte propinqua*
*Elusit venientem ictum, quem nescia sensit*
*Intra vterum, qua tacta manu, qua cuspide proles!*
*Mox tenerum icta caput nata est, qua parte parenti*
*Formidata prius, quamquam sine vulnere, cuspis.*
*Nec vanum in puero vulnus, nec sola cicatrix,*
*Sed largè erumpens è vertice sanguis hiulco,*
*Cæde recens, tanquam hæsisset modò plaga cerebro.*
*Ah dulcem extinxit primo sub lumine vitam.*
*Talia materni nobis monumenta pauoris.*
*Quin etiam (quantus tenui labor instat ab aura!)*
*Sæpe aliquam elapsi sensus liquere iacentem,*
*Cùm subitus pluuij fulsit nitor ætheris, & cùm*
*Mollior afflauit canor auribus; ipsaq. fœtum*
*Excutit, infestam quæ suscitat aura mephitim.*
*Cernis, vt aspirans, vterum quoque turbat equarum*
*Extincta vapore testa fumantis oliui,*
*Talis vbi è stabulo venit halitus, & sua pastor*
*Lumina, consumpto iam languida rore Mineruæ*
*Deserit, & putri morientem in fæce fauillam.*

*Sæpe*

*Sæpe fames, & amor nisi largè expletus edendi*
*Afflixit tacitè miseras, atq. attigit ægros*
*Conceptu in medio fœtus, & turpè notauit,*
*Vultibus affingens epularum ignobile signum.*
*Hinc equidem, Autumni redeunt cùm mitia poma,*
*Cumq. suis vrbana cohors tenet arua colonis;*
*Nunquam illas ad rura vocem, & pomaria: nunquam*
*Ad cellas, vbi læta penus, lautiq. penates,*
*Per stipulas vbi mala leues, aut pendula iuncis,*
*Et concreta foco Baianæ munera mulctræ,*
*Lucani fartoris opes, offæq. rubentes,*
*Aut sale durati verres, & torrida fumo*
*Terga suum, aut composita cadis seu bacca Mineruæ,*
*Seu trichia, & sapido Malphitis alecula succo.*
*Nulla adeo illecebras tales impune videbit.*
*Nam si tacta fame, & visa dape tarda potiri;*
*Sponte verecundum languescens inter amorem*
*Deficiet visu in medio. tantùm illa videndo*
*Afficitur, voto immoriens, tristiq. pudori.*
*O quibus irriguos almæ Tritonidis hortos*
*Lubrenses nemorum Diuæ, quibus aurea cultu*
*Rura datum colere, & felicia carpere mala,*
*Tuq. omnes cui largus opes Autumnus, & omnes*
*Addidit illecebras animorum, & ruris honores,*

*Parthenope, quæq. affines per littora Diuæ,*
*Pausilype, Prochytæq; & fontibus æmula Nesis*
*Hesperidum, & pulchro sata Nereo Mergilline,*
*Nunc & Hamadryadum non vltima, nunc & amæni*
*Ruris amans, nunc poma ferens Dea diuite cornu;*
*Et quæ prona iugo pontum accolis Aglaïa,*
*Atq. Ægle Pomona Deûm, quæq. alta propinquis*
*Concilias hortis Diuos Euplæa marinos;*
*Quæq. alios circa saltus, & regna Dicarchi,*
*Perq. sinus Diuæ Craterides, & iuga propter*
*Florea Sirenum, & pulchræ Sebethidis amnem:*
*Cùm redit Autumnus, Diuæ, cùm germine prono*
*Cœpit odoratis annus flauescere pomis;*
*Si qua nurus vestros aluo grauis aspicit hortos,*
*Ne cupidos nescite oculos. dumq. illa rogandi*
*Ægra metu, fixit certis suspiria ramis;*
*Aspectate, frequens adigit quò lumina raptus,*
*Quæq. illam oblectat malus furtiua tuentem.*
*Hinc legite, hinc plenis munus cumulate canistris,*
*Et lenite vtero ieiunia sæua tumenti.*
*Illa fames, illa est, tenerum quæ pignus in aluo*
*Exanimat, vel poma genis impressa relinquit.*
*At tu fœta parens, ne quid noua pignora lædas,*
*Si qua dapum occursans animo importuna cupido*
*Spem*

*Spem nimis instigat dubiam, ægrescitq. morando,*
*Et cupis insanæ stimulos auertere curæ;*
*En vetus, & tanto facilis medicina furori.*
*Sola foci cura est. molitis tantùm incoque sacchar*
*Dulce fabis: indulge epulis, & parce salino.*
*Nec tamen (his quamquam dapibus sopita quiescat*
*Dira fames) monitis ausim confidere nostris,*
*Aut tantam ingluuiem sperem lenire medendo.*
*O quis amor miseris fauces implere petulcas!*
*Non illas humana dapum, non lauta voluptas*
*Allicit. horrentes inhiant sine more chelydros,*
*Limosamq. situ fæcem, glebasq. palustres.*
*Hæ putri tellure famem expleuere proteruam:*
*Hæ bibulam calcem cupidis hausere medullis,*
*Puluereumq. solum; nec robora carpere morsu*
*Absistunt, libroq. rapacem infindere dentem.*
*Sæpe aliqua optauit nigrantem insana caminum*
*Lambere; sæpe atras flammæ morientis ab ipso*
*Relliquias depasta foco, nil sensit amarum;*
*Nil, cinerem immundum rabidis cùm faucibus hausit.*
*Tantus ad esuriem furor, & mala ventris Erinnys.*
*Vidi ego (quod metuunt oculi sibi credere nostri,*
*Nec fuit è matrum vulgo, nec paupere censu)*
*Ausonias inter Diuæ Sirenis alumnas,*

*Vidi, quæ cæsum iuuenem, & ceruicis obesæ*
*Vlnera prospectans largo stillantia pingui,*
*Illum epulis adipem, atq. illa de cæde saginam*
*Spumantem, & fœdo cum sanguine colla poposcit.*
*Turpis hic in gustu tantæ dulcedinis error*
*Quàm noua promittit generi portenta futuro!*
*O quæ progeniem Regum, & decora inclyta pubis,*
*Et procerum pulchras animas pulcherrima Siren*
*Sola foues, vultumq. doces, & prælia Martem;*
*Si tibi germanum decus hoc, si regia cordi*
*Pignora, præstantesq. animis, & corpore nati:*
*Consule formoso generi, nec sperne mederi,*
*Si qua tuas tam dira tenet vesania matres.*
*Stant medicæ Phœbo leges. Age, Diua, benignam*
*Si quà malis promittat opem medicina, docebo.*
*Quicquid id est, certè hoc rerum vetus arbiter vsus*
*Extulit, & tantos docuit mitescere morbos.*
*Hoc olim effugium sensit Latona pericli*
*Virgineum castæ florem libata iuuentæ,*
*Dum grauidam Diris instincta voracibus aluum,*
*Implorat Superos, partu fœcunda gemello.*
*Ipsa mihi hanc Erato famam non inscia veri*
*Scire dedit, rerumq. altas ab origine causas*
*Sic memorans, tanti repetit primordia facti.*

*Tem-*

*Tempore quo nusquam sancto lex æqua pudori.*
*Dum Iouis insidias, & furtiuos hymenæos*
*Sponte inuita sequens, amisit Delia cestum;*
*Ipsa suum Iuno nequicquam vltura Tonantem,*
*Et thalamos rursum peregrina coniuge tactos,*
*Vulcanum alloquitur, grauibusq. hæc fletibus orat.*
*Nate tuam frustra semper miserate parentem*
*Crudelem aduersus genitorem, en impius vt me*
*Prodidit, & thalamis alienam adsciuit amantem.*
*Sæpe hoc ille mihi fixit sub pectore vulnus.*
*Te quoque, maternis semper comes addite curis,*
*Vnum indigna mei tetigit fortuna laboris.*
*Hoccine connubium est? an te custodia nostri*
*Nulla tori, nulli tangunt genitricis amores?*
*Nulla ne Tisiphone nobis, nulla arma Megæræ?*
*Nec mea iuratæ iamdudum in fœdera vires*
*Tartareæ, suprema vocent ad fata puellam*
*Acribus instinctam furijs, & vindice raptu,*
*Atq. alias doceant Iunoni illudere Nymphas?*
*Talibus accensam, nimium indulgere querelis*
*Non sinit Ignipotens, paribusq. hæc reddidit orsis.*
*O genitrix, Nymphæ si fatum & funera quæris;*
*Nil equidem annuerim. nimis illum accendere tentas:*
*Et me consilij pretium non dulce manebit.*

*Arduus ille animis, & fulminis igne trisulco,*
*Et totum in tales numen molitur amores.*
*Quis ferat, attonitis cùm nubibus ægida quassat*
*Horrificam, aut Diuûm miscet clamore senatum?*
*Tutius hanc insiste viam. namq. ille superbis*
*Latonam auspicijs, & quæ duo pignora partu*
*Illa dabit, toto genitor dignatur Olympo.*
*Et tibi quis tantos quondam locus inter amores?*
*Quassa vterum, & trepidæ præcordia solue puellæ*
*Ante diem, coge exanimes effundere fœtus.*
*Nempe potes. nec, Diua, tuis leue numen in ausis.*
*Gorgoneas immitte canes, quarum illa minaces*
*Horreat occursus, animamq. excussa pauore,*
*Sentiat extingui vires deposta caducas,*
*Et refugam feßis reuocet singultibus auram.*
*Dissuit hic aluum subitæ formidinis horror,*
*Informesq. abigit partus, & viscera laxat.*
*Est etiam illa inter stygias non vltima Ditas*
*Nata Erebo genitore Fames, cui fœta veneno*
*Semper hiant abducta Chao rabida ora voraci.*
*Huius vbi afflauit teneras violentia Nymphas,*
*Si qua sinus fœcunda graues, & pignora portat;*
*Protinus ingluuies, & inexaturabilis aluo*
*Incessit rabies, semperq. immanis edendo*

*Ardor agit, fœdas vltro depoſcere menſas,*
*Luridaq. inſtigat cæcas ad pabula fauces.*
*Gliſcit amor fallax epularum, & ventris egeſtas*
*Triſtibus illecebris inhians & quærere acerbas*
*Importuna dapes, & ſordibus efferа paſci.*
*Hæc fera lautitiam genio mentita voluptas*
*Conceptos vitiat fœtus, & viſcera matrum*
*Nulla ſinit partu certum contingere menſem.*
*Huic ego Latonam exitio pro dote iugali*
*Deuoueo. poſſum hanc Erebo deducere peſtem.*
*Ibit in inſanos Diris agitata furores:*
*Findet humum morſu, & ſteriles ad pabula glebas*
*Quæret inops: putrem lingua ſulcabit arenam;*
*Et fœdum nigrante larem fuligine linget;*
*Atq. atros quondam exuſto de robore torres*
*Dente premet, dirùm eſuriens: nec mandere parcet*
*Quas ego ſuccenſa cautes fornace reſoluam.*
*Quadrupedum ritu ſaltus, & frondea paſcet*
*Germina: ſylueſtrem malis abſumet auenam.*
*Stat cura labor iſte mea. tu Diua puellam*
*Vrge aliјs captam inſidијs, & fraude proterua.*
*His illam accendit dictis, atq. efferat aures.*
*Quem contra ſic orſa parens. Quid, nate, moramur?*
*Quam legis, hanc noſtri partem molire laboris.*

*Ast ego deprensam Dirarum indagine Nympham*
*Insequar. Est iuxta Cocyti immane fluentum*
*Prodigium squamis horrendum, & faucibus atris,*
*Tartareus Python. centum ille immania vasto*
*Colligit in spiras arrecta volumina tergo.*
*Purpureis ardet maculis, longèq. coruscat*
*Cæruleum fulgore caput, cristaq. bisulca.*
*Mille oculis vibrant pestes, & mille minaces*
*Absiliunt toto ore metus. hunc illa proçaci*
*Instantem assultu, & magna se mole mouentem*
*Nequicquam effugiens, vlli succedet asylo,*
*Aut vnquam eripiet tali se perfida monstro.*
*Iam trepidos conuulsa sinus, aluoq. recussa*
*Attonitos partu fœtus effundet inani.*
*Insta operi, generose, tuisq. accingere flammis.*
*Sat meus in tuto labor, & pars altera curæ.*
*His dictis digreßi ambo, & diuersa secuti.*
*Fert animum, fert aura pedem, & dolor aliger ira.*
*Quale furit festina truci cum coniuge tygris,*
*Sensit vbi abreptis populata cubilia natis,*
*Et fremitum clamosa ciet. ruit actus vterque*
*In furias, ignemq. parens; & præpete cursu*
*Obseruata legunt oculis vestigia, si quà*
*Signat iter catulis antro venator abactis,*

*Et dubium trans altus equo nemus alite vectus.*
*Sic furijs actos pernicibus effera Iuno*
*Tænarium per iter currus ad Tartara vertit.*
*Nec minus aut cursu præceps, aut impiger ausis*
*Mulciber, Ætnæos aditus, & conscia Diti*
*Antra subit. patet affini domus infera Regi.*
*Nec steriles amborum artes, aut irrita fraudum*
*Consilia, occurrunt manes, & iussa capessunt.*
*Est locus, Æmonias quà Thermodoontius vndas*
*Fons agit. vmbrosi fluctus, & consita ripis*
*Laurus, & Ismarijs Rhodopeïa culta viretis.*
*Hic Dryadum festi cœtus, mistumq. Napæis*
*Agmen Hamadryadum, nexis per mutua palmis,*
*Femineo cantu lætum Pæana coronant.*
*Quas inter dum læta manus, & carmina iungit*
*Ingeminans Latona choros, plausumq. pedestrem;*
*Ecce ingens dorso, & montani culminis instar*
*Arduus allapsu Python, super obuia præceps*
*Incumbit nemora, & cedentia robora turbat,*
*Horrisonum per longa trahens abrupta fragorem.*
*Dat rapidos tergo flexus, & sidera cauda*
*Verberat, attollens spiris immane volumen.*
*Luminibus flammæ absistunt. furit ardua ceruix.*
*Et bifidas arrecta iubas assultat Olympo,*

*Sanguineis flammata notis. vomit halitus ignes*
*Fulmineos: vasto discedunt ora barathro,*
*Ora, cauumq. atro suffectum sanguine guttur.*
*Hunc vbi tendentem contra, & propiora minantem*
*Aspiciunt; syluosa ruunt in deuia Nymphæ*
*Prata per, & saltus, & Strymonias conualles.*
*At ferus infesto assultu Cocytius anguis*
*Toruà micans oculis, & sibila flammeus ora,*
*Vnam inhiat cursu Latonam: hanc obuius vnam*
*Territat: hanc syluis palantem errore sequaci*
*Aggreditur; iam iamq. premit, iam sorbet hiatu.*
*Illa tremens animis, & quà data copia, cursum*
*Accelerans, nullum ingreditur non irrita callem.*
*Nusquam occulta pedes, & inobseruata draconi*
*Diua rapit: nusquam regio sat fida locorum.*
*Nulli aditus, nulla tuti sub rupe receptus:*
*Et nemori non vlla fides, non montibus altis.*
*Non illam nox atra cauo protexit amictu,*
*Non obitæ secreta viæ per lustra ferarum,*
*Non mille in syluis valles agrestibus Hæmi,*
*Aut tenebris ripæ densis Oeagrius Hebrus.*
*Omnia proturbat coluber. ruit altior ipsis*
*Obijcibus syluarum, & culminibus Rhodopæis;*
*Nec sinit optatos profugam captare recessus.*

*Iam*

*Iam tribus exactis cælo lux quarta redibat:*
*Nec secura quies Diuæ, nec libera sedes.*
*Et iam Threicios tractus emensa, viarum*
*Summa tenet, cursumq. alto vetat obijce pontus.*
*Proxima tartareus premit illam ad littora prædo,*
*Ceu trepidam latrator agens ad retia ceruam.*
*Quid faciat? nam meta viæ, vitæq. propinquat.*
*Funeris effugium funus rogat; & pede certo*
*Iam ruere in medios fluctus (ea mortis imago*
*Mitior) & rapido properat se credere ponto.*
*Ecce autem Ægæas miserum dum corpus in vndas*
*Præcipitat; iucunda animo spes lucis oborta est.*
*Ante oculos ipsam subitò Neptunus ad oram*
*Quadriiugis per summa rotis vndantia vectus*
*Cæruleos aduertit equos, curruq. puellam*
*Excipit æquoreo, & victricibus instat habenis,*
*Auertitq. fugam pelago, & sua cærula verrit.*
*Est patrios iuxta fluctus ab littore Thracum*
*Ad medium diuersa diem, sedemq. Promethei*
*Insula, Carpathijs quondam regnata Pelasgis.*
*Ortygiam (sic fama vetus) dixere coloni.*
*Frugiferi passim colles, & fænora glebæ*
*Ampla satis; diuesq. Ceres, & fida iuuencis.*
*Huc Iouuis impulsu fraternam appellit amantem*

*Nil ipso diuersa loco, & penè vna duorum;*
*Sic illam impreßit natò, sic transtulit aptè*
*Naturæ genialis amor. tantùm ille paternam*
*Furari speciem, & natis appingere gaudet.*
*Nec speciem verò solùm, sed corporis omnes*
*Vndiq. collectas ipso cum sanguine vires*
*Exprimit, & vitæ pignus genitabile format.*
*Quo sata progenies, velut ipso à semine sylua,*
*Præferat exemplo genitorem, & viribus æquet.*
*Et miramur adhuc, & adhuc mens inscia nutat,*
*Cur patriam secum labem, & sua funera proles*
*Ducat, & antiquo generis sub fasce laboret?*
*Nascimur, heu, testes morientum, & gentis auitæ*
*Quisq. suæ verus, quamuis inglorius, index.*
*Nec minus infausto dubiam trahit omine vitam*
*Maternis, vt sæpe, malis affecta propago.*
*Parturit ipsa annos natis, & secula mater.*
*Illa creat, quæ lina neant, quæ vellera Parcæ.*
*Aurea siue colo, siue altera fila trahantur,*
*Illa trahit: facit illa modos, & pondera fusis;*
*Et fatum, & genium grauida molitur in aluo.*
*O fortunatos miseris mortalibus ortus,*
*Ni qua suo generi natorum improuida mater*
*Inuideat dulcem fortunam, & sospitis æui*
*Auspi-*

*Auspicium tristi subigat concurrere fato.*
*Nam sæpe ad fœtum patrius vigor, & bona partu*
*Mater, & illæsa conspirat origine sanguis.*
*Nec deerat fortuna loci, nec si quid ab astris*
*Spem facit, aut quocunque fides à fœdere rerum.*
*Felix illa satu soboles, ni saucia sensu*
*Materno, & nimium turbati pectoris æstu,*
*Aut vitijs affecta dapum, victuq. soluto*
*Concipiat confusa nouæ primordia vitæ,*
*Aut læsum in tenera corpus compage fatiscens*
*Occidat, aut turpem accipiat sine nomine formam.*
*An memorem, indociles quàm sint obstare periclis*
*Talibus, & tanta hæc matres arcere venena?*
*Sæpe solet nuptas gelida leuis haustus ab vnda*
*Lædere: sæpe animam timor abstulit. ipsa minaci*
*Si qua venit telo pauidam læsura parentem*
*Plaga, licet frustrata necem; tamen omine solo,*
*Et sola attingit teneros formidine fœtus*
*Quamquam vtero clausos, & saucia membra relinquit:*
*Quis credat, nisi certa fidem miracula firment?*
*Tale ferunt monstrum Boreæ nascentis ad oras*
*Exortum attonitos nuper vidisse Triones.*
*Namq. animi præceps quidam, nec sobrius heros*
*Forte lacessitam dictis agitabat amaris*

*Matronam thalami sociam, cui pignus in aluo*
*Maturum vrgebat partus, & tempora lucis.*
*Hanc ille in rixa duram dum vulnere terret*
*In caput intento, & strictum iam surgit in ensem;*
*Illa tremens animis, & languida morte propinqua*
*Elusit venientem ictum, quem nescia sensit*
*Intra vterum, qua tacta manu, qua cuspide proles!*
*Mox tenerum icta caput nata est, qua parte parenti*
*Formidata prius, quamquam sine vulnere, cuspis.*
*Nec vanum in puero vulnus, nec sola cicatrix,*
*Sed largè erumpens è vertice sanguis hiulco,*
*Cæde recens, tanquam hæsisset modò plaga cerebro,*
*Ah dulcem extinxit primo sub lumine vitam.*
*Talia materni nobis monumenta pauoris.*
*Quin etiam (quantus tenui labor instat ab aura!)*
*Sæpe aliquam elapsi sensus liquere iacentem,*
*Cùm subitus pluuij fulsit nitor ætheris, & cùm*
*Mollior afflauit canor auribus; ipsaq. fœtum*
*Excutit, infestam quæ suscitat aura mephitim.*
*Cernis, vt aspirans, vterum quoque turbat equarum*
*Extincta vapor è testa fumantis oliui,*
*Talis vbi è stabulo venit halitus, & sua pastor*
*Lumina, consumpto iam languida rore Mineruæ*
*Deserit, & putri morientem in fæce fauillam.*

*Sæpe,*

*Sæpe fames, & amor nisi largè expletus edendi*
*Afflixit tacitè miseras, atq. attigit ægros*
*Conceptu in medio fætus, & turpè notauit,*
*Vultibus affingens epularum ignobile signum.*
*Hinc equidem, Autumni redeunt cùm mitia poma,*
*Cumq. suis vrbana cohors tenet arua colonis;*
*Nunquam illas ad rura vocem, & pomaria: nunquam*
*Ad cellas, vbi læta penus, lautiq. penates,*
*Per stipulas vbi mala leues, aut pendula iuncis,*
*Et concreta foco Baianæ munera mulctræ,*
*Lucani fartoris opes, offæq. rubentes,*
*Aut sale durati verres, & torrida fumo*
*Terga suum, aut composita cadis seu bacca Mineruæ,*
*Seu trichia, & sapido Malphitis alecula succo.*
*Nulla adeo illecebras tales impune videbit.*
*Nam si tacta fame, & visa dape tarda potiri;*
*Sponte verecundum languescens inter amorem*
*Deficiet visu in medio. tantùm illa videndo*
*Afficitur, voto immoriens, tristiq. pudori.*
*O quibus irriguos almæ Tritonidis hortos*
*Lubrenses nemorum Diuæ, quibus aurea cultu*
*Rura datum colere, & felicia carpere mala,*
*Tuq. omnes cui largus opes Autumnus, & omnes*
*Addidit illecebras animorum, & ruris honores,*

Parthenope, quæq. affines per littora Diuæ,
Pausilype, Prochytæq; & fontibus æmula Nesis
Hesperidum, & pulchro sata Nereo Mergilline,
Nunc & Hamadryadum non vltima, nunc & amæni
Ruris amans, nunc poma ferens Dea diuite cornu;
Et quæ prona iugo pontum accolis Aglaïa,
Atq. Ægle Pomona Deûm, quæq. alta propinquis
Concilias hortis Diuos Euplæa marinos;
Quæq. alios circa saltus, & regna Dicarchi,
Perq. sinus Diuæ Craterides, & iuga propter
Florea Sirenum, & pulchræ Sebethidis amnem:
Cùm redit Autumnus, Diuæ, cùm germine prono
Cœpit odoratis annus flauescere pomis;
Si qua nurus vestros aluo grauis aspicit hortos,
Ne cupidos nescite oculos. dumq. illa rogandi
Ægra metu, fixit certis suspiria ramis;
Aspectate, frequens adigit quò lumina raptus,
Quæq. illam oblectat malus furtiua tuentem.
Hinc legite, hinc plenis munus cumulate canistris,
Et lenite vtero ieiunia sæua tumenti.
Illa fames, illa est, tenerum quæ pignus in aluo
Exanimat, vel poma genis impressa relinquit.
At tu fœta parens, ne quid noua pignora lædas,
Si qua dapum occursans animo importuna cupido
Spem

*Spem nimis instigat dubiam, ægrescitq. morando,*
*Et cupis insanæ stimulos auertere curæ;*
*En vetus, & tanto facilis medicina furori.*
*Sola foci cura est. molitis tantùm incoque sacchar*
*Dulce fabis: indulge epulis, & parce salino.*
*Nec tamen (his quamquam dapibus sopita quiescat*
*Dira fames) monitis ausim confidere nostris,*
*Aut tantam ingluuiem sperem lenire medendo.*
*O quis amor miseris fauces implere petulcas!*
*Non illas humana dapum, non lauta voluptas*
*Allicit. horrentes inhiant sine more chelydros,*
*Limosamq. situ fæcem, glebasq. palustres.*
*Hæ putri tellure famem expleuere proteruam:*
*Hæ bibulam calcem cupidis hausere medullis,*
*Puluereumq. solum; nec robora carpere morsu*
*Absistunt, libroq. rapacem infindere dentem.*
*Sæpe aliqua optauit nigrantem insana caminum*
*Lambere; sæpe atras flammæ morientis ab ipso*
*Relliquias depasta foco, nil sensit amarum;*
*Nil, cinerem immundum rabidis cùm faucibus hausit;*
*Tantus ad esuriem furor, & mala ventris Erinnys.*
*Vidi ego (quod metuunt oculi sibi credere nostri,*
*Nec fuit è matrum vulgo, nec paupere censu)*
*Ausonias inter Diuæ Sirenis alumnas,*

*Vidi, quæ cæsum iuuenem, & ceruicis obesæ*
*Vlnera prospectans largo stillantia pingui,*
*Illum epulis adipem, atq. illa de cæde saginam*
*Spumantem, & fœdo cum sanguine colla poposcit.*
*Turpis hic in gustu tantæ dulcedinis error*
*Quàm noua promittit generi portenta futuro!*
*O quæ progeniem Regum, & decora inclyta pubis,*
*Et procerum pulchras animas pulcherrima Siren*
*Sola foues, vultumq. doces, & prælia Martem;*
*Si tibi germanum decus hoc, si regia cordi*
*Pignora, præstantesq. animis, & corpore nati:*
*Consule formoso generi, nec sperne mederi,*
*Si qua tuas tam dira tenet vesania matres.*
*Stant medicæ Phœbo leges. Age, Diua, benignam*
*Si quàm alis promittat opem medicina, docebo.*
*Quicquid id est, certè hoc rerum vetus arbiter vsus*
*Extulit, & tantos docuit mitescere morbos.*
*Hoc olim effugium sensit Latona pericli*
*Virgineum castæ florem libata iuuentæ,*
*Dum grauidam Diris instincta voracibus aluum,*
*Implorat Superos, partu fœcunda gemello.*
*Ipsa mihi hanc Erato famam non inscia veri*
*Scire dedit, rerumq. altas ab origine causas*
*Sic memorans, tanti repetit primordia facti.*

Tem-

Tempore quo nusquam sancto lex æqua pudori.
Dum Iouis insidias, & furtiuos hymenæos
Sponte inuita sequens, amisit Delia cestum;
Ipsa suum Iuno nequicquam vltura Tonantem,
Et thalamos rursum peregrina coniuge tactos,
Vulcanum alloquitur, grauibusq. hæc fletibus orat.
Nate tuam frustra semper miserate parentem
Crudelem aduersus genitorem, en impius vt me
Prodidit, & thalamis alienam adsciuit amantem.
Sæpe hoc ille mihi fixit sub pectore vulnus.
Te quoque, maternis semper comes addite curis,
Vnum indigna mei tetigit fortuna laboris.
Hoccine connubium est? an te custodia nostri
Nulla tori, nulli tangunt genitricis amores?
Nulla ne Tisiphone nobis, nulla arma Megæræ?
Nec mea iuratæ iamdudum in fœdera vires
Tartareæ, suprema vocent ad fata puellam
Acribus instinctam furijs, & vindice raptu,
Atq. alias doceant Iunoni illudere Nymphas?
Talibus accensam, nimium indulgere querelis
Non sinit Ignipotens, paribusq. hæc reddidit orsis.
O genitrix, Nymphæ si fatum & funera quæris;
Nil equidem annuerim. nimis illum accendere tentas:
Et me consilij pretium non dulce manebit.

*Arduus ille animis, & fulminis igne trisulco,*
*Et totum in tales numen molitur amores.*
*Quis ferat, attonitis cùm nubibus ægida quassat*
*Horrificam, aut Diuûm miscet clamore senatum?*
*Tutius hanc insiste viam. namq. ille superbis*
*Latonam auspicijs, & quæ duo pignora partu*
*Illa dabit, toto genitor dignatur Olympo.*
*Et tibi quis tantos quondam locus inter amores?*
*Quassa vterum, & trepidæ præcordia solue puellæ*
*Ante diem, coge exanimes effundere fœtus.*
*Nempe potes. nec, Diua, tuis leue numen in ausis.*
*Gorgoneas immitte canes, quarum illa minaces*
*Horreat occursus, animamq. excussa pauore,*
*Sentiat extingui vires deposta caducas,*
*Et refugam fessis reuocet singultibus auram.*
*Dissuit hic aluum subitæ formidinis horror,*
*Informesq. abigit partus, & viscera laxat.*
*Est etiam illa inter stygias non vltima Diras*
*Nata Erebo genitore Fames, cui fœta veneno*
*Semper hiant abducta Chao rabida ora voraci.*
*Huius vbi afflauit teneras violentia Nymphas,*
*Si qua sinus fœcunda graues, & pignora portat;*
*Protinus ingluuies, & inexaturabilis aluo*
*Incessit rabies, semperq. immanis edendo*
*Ardor*

*Ardor agit, fœdas vltro depoſcere menſas,*
*Luridaq. inſtigat cæcas ad pabula fauces.*
*Gliſcit amor fallax epularum, & ventris egeſtas*
*Triſtibus illecebris inhians & quærere acerbas*
*Importuna dapes, & ſordibus eſſera paſci.*
*Hæc fera lautitiam genio mentita voluptas*
*Conceptos vitiat fœtus, & viſcera matrum*
*Nulla ſinit partu certum contingere menſem.*
*Huic ego Latonam exitio pro dote iugali*
*Deuoueo. poſſum hanc Erebo deducere peſtem.*
*Ibit in inſanos Diris agitata furores:*
*Findet humum morſu, & ſteriles ad pabula glebas*
*Quæret inops: putrem lingua ſulcabit arenam:*
*Et fœdum nigrante larem fuligine linget;*
*Atq. atros quondam exuſto de robore torres*
*Dente premet, dirùm eſuriens: nec mandere parcet*
*Quas ego ſuccenſa cautes fornace reſoluam.*
*Quadrupedum ritu ſaltus, & frondea paſcet*
*Germina: ſyluestrem malis abſumet auenam.*
*Stat cura labor iſte mea. tu Diua puellam*
*Vrge aliјs captam inſidiјs, & fraude proterua.*
*His illam accendit dictis, atq. efferat aures.*
*Quem contra ſic orſa parens. Quid, nate, moramur?*
*Quam legis, hanc noſtri partem molire laboris.*

Ast ego deprensam Dirarum indagine Nympham
Insequar. Est iuxta Cocyti immane fluentum
Prodigium squamis horrendum, & faucibus atris,
Tartareus Python. centum ille immania vasto
Colligit in spiras arrecta volumina tergo.
Purpureis ardet maculis, longèq. coruscat
Cæruleum fulgore caput, cristaq. bisulca.
Mille oculis vibrant pestes, & mille minaces
Absiliunt toto ore metus. hunc illa proçaci
Instantem assultu, & magna se mole mouentem
Nequicquam effugiens, vlli succedet asylo,
Aut vnquam eripiet tali se perfida monstro.
Iam trepidos conuulsa sinus, aluoq. recussa
Attonitos partu fœtus effundet inani.
Insta operi, generose, tuisq. accingere flammis.
Sat meus in tuto labor, & pars altera curæ.
His dictis digreßi ambo, & diuersa secuti.
Fert animum, fert aura pedem, & dolor aliger ira.
Quale furit festina truci cum coniuge tygris,
Sensit vbi abreptis populata cubilia natis,
Et fremitum clamosa ciet. ruit actus vterque
In furias, ignemq. parens; & præpete cursu
Obseruata legunt oculis vestigia, si quà
Signat iter catulis antro venator abactis,

Et

*Et dubium trans altus equo nemus alite vectus.*
*Sic furijs actos pernicibus effera Iuno*
*Tænarium per iter currus ad Tartara vertit.*
*Nec minus aut cursu præceps, aut impiger ausis*
*Mulciber, Ætnæos aditus, & conscia Diti*
*Antra subit. patet affini domus infera Regi.*
*Nec steriles amborum artes, aut irrita fraudum*
*Consilia. occurrunt manes, & iussa capessunt.*

*Est locus, Æmonias quà Thermodoontius vndas*
*Fons agit. vmbrosi fluctus, & consita ripis*
*Laurus, & Ismarijs Rhodopeïa culta viretis.*
*Hîc Dryadum festi cœtus, mistumq. Napæis*
*Agmen Hamadryadum, nexis per mutua palmis,*
*Femineo cantu lætum Pæana coronant.*
*Quas inter dum læta manus, & carmina iungit*
*Ingeminans Latona choros, plausumq. pedestrem;*
*Ecce ingens dorso, & montani culminis instar*
*Arduus allapsu Python, super obuia præceps*
*Incumbit nemora, & cedentia robora turbat,*
*Horrisonum per longa trahens abrupta fragorem.*
*Dat rapidos tergo flexus, & sidera cauda*
*Verberat, attollens spiris immane volumen.*
*Luminibus flammæ absistunt. furit ardua ceruix.*
*Et bifidas arrecta iubas assultat Olympo,*

P 4

*Sanguineis flammata notis. vomit halitus ignes*
*Fulmineos: vasto discedunt ora barathro,*
*Ora, cauumq. atro suffectum sanguine guttur.*
*Hunc vbi tendentem contra, & propiora minantem*
*Aspiciunt; syluosa ruunt in deuia Nymphæ*
*Prata per, & saltus, & Strymonias conualles.*
*At ferus infesto assultu Cocytius anguis*
*Toruà micans oculis, & sibila flammeus ora,*
*Vnam inhiat cursu Latonam: hanc obuius vnam*
*Territat: hanc syluis palantem errore sequaci*
*Aggreditur; iam iamq. premit, iam sorbet hiatu.*
*Illa tremens animis, & quà data copia, cursum*
*Accelerans, nullum ingreditur non irrita callem.*
*Nusquam occulta pedes, & inobseruata draconi*
*Diua rapit: nusquam regio sat fida locorum.*
*Nulli aditus, nulla tuti sub rupe receptus:*
*Et nemori non vlla fides, non montibus altis.*
*Non illam nox atra cauo protexit amictu,*
*Non obitæ secreta viæ per lustra ferarum,*
*Non mille in syluis valles agrestibus Hæmi,*
*Aut tenebris ripæ densis Oeagrius Hebrus.*
*Omnia proturbat coluber. ruit altior ipsis*
*Obijcibus syluarum, & culminibus Rhodopæis;*
*Nec sinit optatos profugam captare recessus.*

*Iam tribus exactis cælo lux quarta redibat:*
*Nec secura quies Diuæ, nec libera sedes.*
*Et iam Threicios tractus emensa, viarum*
*Summa tenet, cursumq. alto vetat obiice pontus.*
*Proxima tartareus premit illam ad littora prædo,*
*Ceu trepidam latrator agens ad retia ceruam.*
*Quid faciat? nam meta viæ, vitæq. propinquat.*
*Funeris effugium funus rogat; & pede certo*
*Iam ruere in medios fluctus (ea mortis imago*
*Mitior) & rapido properat se credere ponto.*
*Ecce autem Ægæas miserum dum corpus in vndas*
*Præcipitat; iucunda animo spes lucis oborta est.*
*Ante oculos ipsam subitò Neptunus ad oram*
*Quadriiugis per summa rotis vndantia vectus*
*Cæruleos aduertit equos, curruq. puellam*
*Excipit æquoreo, & victricibus instat habenis,*
*Auertitq. fugam pelago, & sua cærula verrit.*
*Est patrios iuxta fluctus ab littore Thracum*
*Ad medium diuersa diem, sedemq. Promethei*
*Insula, Carpathijs quondam regnata Pelasgis.*
*Ortygiam (sic fama vetus) dixere coloni.*
*Frugiferi passim colles, & fænora glebæ*
*Ampla satis; diuesq. Ceres, & fida iuuencis.*
*Huc Iouuis impulsu fraternam appellit amantem*

*Rex pelagi, & sola securam exponit arena:*
*Hinc animat flentem dictis, & pectora mulcet.*
*Pone metum: sunt regna tuis haec debita natis:*
*Nil partu mortale feres. quid saeua sororis*
*Arma meae, fraudemq. times, quae numina regnis*
*Bina foues fraterna meis? Haec fatus in altum*
*Vertit equos, & quassa leui dat lora quadrigae.*
*Illa nouis felix monitis, & prole superba*
*Exultat, supraq. animis mortalia fertur*
*Femineis. iam thura sibi, iam destinat aram*
*Caelicolis cognata genus, Iouis altera coniux.*
*Haec agitans, fati nimium secura futuri*
*Progreditur, lustrans portum, & telluris opimae*
*Fatale hospitium, & tanti cunabula partus.*
*Vix aditus intra primos, & limina regni*
*Intulerat Regina pedem; cùm visus amoenam*
*Prospectus viridi vallem lunare theatro.*
*In medio vernans vmbris, & blanda susurro*
*Naïas, & pulchro praeter iuga Cynthius alueo.*
*Hic patulam iuxta laurum defessa virago*
*Forte sedens, blandae caput acclinauerat vmbrae.*
*Conciliat dulcem sedes frondosa quietem,*
*Et labor exacti cursus, & murmuris aura.*
*In somnis ecce ante oculos teterrima visu*

*Vm-*

*Vmbra, furens immane oculis, rictuq. tremendo.*
*Os Furiæ, nomenq. Fames. at rara capillo,*
*Crispa genas, rugisq. fluens, & fœda senectus.*
*Hanc Erebus natam genitor, cùm Noctis amauit*
*Connubium cæcæ, stygiis eduxit in antris.*
*Luminibus candet croceis, & funera vibrat*
*Tartarei vultus rabies, & pallidus horror.*
*Exesum esurie, & scabra rubigine corpus,*
*Lurida corrugat macies, atq. asperat artus.*
*Squallet apex, fissisq. altè sub crinibus extat*
*Gorgonis in morem, strigosum, & tortile collum.*
*Vlnificæ, nuda ossa, manus, nuda ossa lacerti,*
*Atq. humeri, atq. altè nodoso in pectore crates.*
*At cauus in costas aluum sinus abdit inanes*
*Appressam ad lumbos penitus, curuamq. lacuna.*
*Fert anguem implicitum dextra, flammamq. sinistra,*
*Et laceram nodo pallam suspendit ab armo.*
*Tum pauidam terrere minis aggressa puellam.*
*Tene suis Diuûm Reginam auertere tædis?*
*Te Iouis aspirasse toro? te coniuge tali*
*Ire grauem, & partu prolem sperare secundo?*
*Te dape syderea quondam, te, larua, potiri*
*Dotali ambrosia, & conuiuam accedere Diuis?*
*Me pecudum victu iactari, & pabula campis*

*Quærere; me nuda vesci telluris arena.*
*Hanc ego te in sortem (venies, nam digna) lacesso.*
*Hæc ait, & diro visus intenta furori,*
*Et flammam, & colubrum, dextra, læuaq. trementi*
*Intulit, & gemino præcordia perculit ictu.*
*Continuò excussus Diuæ sopor; & noua mentem*
*Ira subit, sæuitq. furor vesanus edendi.*
*Nec lautis instat dapibus, sed morsibus ipsam*
*Carpit humum, & fœdum cinerem, & nigrantia syluæ*
*Fragmina tosta rogo, & sterili deserta fauillæ.*
*Arida quin etiam totis fœnilia campis*
*Ore legit. iam dulce sapit, quæ soluitur igni*
*Alba silex, longùmq. cauis fornacibus arsit.*
*Et famis illecebra est admorsa ex ilice cortex,*
*Glareaq; & putris de pumice puluis adeso.*
*Arboreas etiam frondes, & gramina pasci*
*Est amor, & sparsas cædes, atq. ossa per agros*
*Quadrupedum legere, & mensis instare luporum.*
*Illa etiam cæsos humani corporis artus*
*Esurit, & si quas Aquilæ de diuite rostro*
*Relliquias prædæ abijciunt; & si qua sepulchris*
*Pabula defossis vlulæ sensere rapaces.*
*Talia dum solis quærit conuiuia syluis;*
*Ipsa Iouis magni nutu festina per auras*
*Adsti-*

*Adſtitit, & Nymphæ coram congreſſa Merimna,*
*Quid tantas oblita tui te proripis, inquit,*
*In furias? neſcis quantos, ah perdita, neſcis*
*Conceptus vtero fœtus, & pignora portas.*
*Nec ſubit, infelix, quantùm hæc materna fatiget*
*Viſcera tam fallax epularum, & turpis egeſtas.*
*Me tuus huc alta Saturnius egit ab æthra*
*Demiſſam auxilio, niſi quid parere recuſas.*
*Cura mihi, thalamos matrum, & fœcunda tueri*
*Coniugia & triſtes vtero depellere peſtes.*
*Accipe, nec tenues pigeat cognoſcere curas.*
*Sunt magnæ in leuibus vires, & commoda rebus.*
*Prima leges lento matura papauera collo,*
*Et meconin criſpam foliis, & vere perenni*
*Viuacem ambroſiam, ſeu triſte voces amerimnon.*
*Illa etiam nec rara ſatu, nec ruſtica menſis*
*Herba lacu ſtagnante virens, & ceſpite glauco*
*Aſpera, bugloſſo nomen, ſic dicta Pelaſgis,*
*Nam folia effingunt patulam bouis hiſpida linguam.*
*Illa tibi carpenda manu, nec iungere parces*
*Multipedem fibris herbam, terræq. rapacem,*
*Quæ filici frondem, polypo quæ proxima nomen.*
*His & odorati florem iuuat addere iunci,*
*Et ſterilem nymphæam, & rutæ ignobile germen,*

*Et Cypron in succos expressam, & vile medentum*
*Effugium solanum, & syluicomam malaceam,*
*Versicolorem irin folijs, & molle sopori*
*Æsopon, & lentam viridi de baccare frondem,*
*Et crocon, & verni pubem decerpe roseti:.*
*Mascula velle solo circæïa: velle rubentem*
*Malifera stirpem è sylua, quem Punica malus*
*Vulsa dabit, nullo quæ semine nata virescit.*
*Iam dabit excußo dulces à vertice glandes*
*Thrasia nux: mittet diues sua cynnama Ganges:*
*Mittet Arabs quæsita suis rabarbara sulcis*
*Germina, sic dicta agricolis, quia barbara radix,*
*Et sata Matutæ primùm florentibus aruis.*
*Sit tibi, qui baccas oleæ contundat acerbas,*
*E quibus expreßum rosea cum fronde liquorem*
*Confundat, multoq. sinat feruere sub æstu:*
*Et qui mellifera concretum ex arbore rorem,*
*Ambrosiumq. gelu ramos legat inter opimos.*
*Digeret hæc, certosq. tibi componet in vsus,*
*Sæuitiamq. omnem succis excludet amaris*
*Sedula Limodame. namq. his illa vna mederi*
*Nata malis, & gnara tuum sedare furorem.*
*Illa alios campis flores, & semina carpet,*
*Siue aliquis quærendus odor, siue vlla saporum*

*Ille-*

*Illecebra, & toto messem explorabit Eoo.*
*Illa dapum variarum vsus, & commoda nouit*
*Non ignara, tuis vel quæ det munera mensis,*
*Vel quibus hac Dira tactos riget imbribus artus;*
*Quæq. aluo fomenta paret, quæ pocula condat,*
*Et quæ nigranti elleboro, quæ iungat amomo*
*Dona tibi Assyrios largè spirantia fumos,*
*Diuitiasq. Arabum, & liquentia balsama fundet;*
*Multa laborabit lautis conuiuia succis,*
*Ionia pressans ab arundine dulcia mella*
*Nectaream in glaciem, atq. epulis geniale liquentem.*
*His tandem auxilijs (modò ne sis dura moneri)*
*Lethalem esuriem, & genium frænabis edacem.*
*Et quondam his actæ furijs per secula matres*
*Si legem hanc omnes vitæ, moremq. medendi*
*Obseruent; dubios poterunt defendere partus:*
*Aut illarum amissa, salus amissa nepotum;*
*Si minus hoc vitam effugio seruare laborent.*
*Sic effata, leues pennis auecta per auras.*
*Vix iter auertit terris, cùm visa repente*
*Ante oculos, lectisq. sinum compleuerat herbis*
*Delia Limodame, socium cui protinus agmen*
*Adstitit, & multæ Diuam cinxere Napææ.*
*Dant alias aliæ fruges, & munera campi,*

*Et sua cultori quidquid tulit ora Sabæo.*
*Hic animum lenire trucem Latona, superbo*
*Læta mynisterio Nympharum, & pube decora.*
*Illæ operi accingunt sese, notumq. laborem*
*Expediunt. aliæ Pharios incocta liquores*
*Liba ferunt: aliæ medicatis pocula succis.*
*Hæ dulci infundunt redolentia cynnama Baccho:*
*Hæ violas largè calathis, vernumq. nitorem*
*Ingeminant, lætaq. onerant aspergine mensas,*
*Atq. anni florentis opes, & dona ministrant.*
*Pars nitidam Cererem, & medicas componere fruges*
*Certat, & Eoos dapibus miscere sapores:*
*Pars vitro composta cauo dat florea flammis*
*Germina, quæ clausus tenuem liquet æstus in imbrem.*
*Multa manu instillant fessos vnguenta per artus:*
*Multa parant, quæ pota iuuent, quæ vesca quietem*
*Concilient, animentq. ægros dulcedine sensus,*
*Atq. dapum insanos genio furentur amores.*
*Si quid alit Panchæa suos annona per hortos,*
*Si quis honos innatus agris, aut si quid odorum,*
*Et si qua est Inda mensis à messe voluptas,*
*Ingeritur. nullo desunt à nectare dulces*
*Deliciæ; nulli gelidis à fontibus imbres;*
*Et nullum pateris à diuite munus Iaccho.*

*His*

*His epulis correcta fames, atq. effera Diua*
*Ingluuies; mulcentq. nouæ præcordia vires.*
*Iamq. dies partus vrget matura secundos.*
*Sed nos immensum spatijs lustrauimus æquor,*
*Vela iuuat legere, & terras accersere prora.*
*Emeritam vicina vocant iam littora puppim,*
*Et iam securi patrijs appellimus oris.*

# Pæoniæ, Seu de valetudine tuenda.

## LIBER SECVNDVS.



*V quoque maternum nostris Lucina Camœnis*
*Nomen ades, quæ prima sinum nascentibus offers,*
*Et reseras dulces miseris mortalibus auras.*
*Tu nostræ primæua doces vestigia vitæ,*
*Et sua venturos in secula dirigis annos.*
*Te duce, si tantis fatum non inuidet orsis,*
*Primus ego insuetas hominum ad cunabula Musas*

Deducam, & cantu Pindum vagire docebo.
Hanc habeat, nostri partem si nominis vllam
Fama petit. Quamquam ò generis te maxime nostri
Ductor amem LOIOLA sequi, sanctumq. tuorum
Agmine Pierio supplex ambire senatum.
Verùm alios vates, alios tibi seruat Apollo
Parnaßi lituos, alium meditata canorem
Ora, tuum ventura vocant in secula nomen.
Nempe aderit, nec sera dies, cùm tu quoque festos
Magnorum Indigetum terris implebis honores,
Et sanctum accensas veniet tibi munus ad aras.
Te quoque magna manent totum delubra per Orbem
Et tua fulgebit candens ad limina Memphis,
Totaq. Phidiaco Babylon sudata labori.
Ast ego, cùm primùm sacris ad templa litatis
Romulei te dona Patris, te vota vocabunt,
Hic vbi Lubrensi surgunt regnata Mineruæ
Mœnia, piscosas magni Crateris ad vndas,
Curuaq. pomiferi vergunt ad littora colles;
Arce tibi in summa surgentem ad sydera molem
Constituam, & sacras adytis ingentibus ædes.
In medio mihi Numen eris, templumq. tenebis;
Et tua fumabunt nostris altaria donis.
Tum verò ingentes plausus, & mille tubarum
Æra

*Æra tibi ante aras, & ouantes carmine vates,*
*Et pubes operata sacris, & multa precantum*
*Munera, Phœnissæ vestes, auriq. talenta,*
*Et rutilum signis, atq. Oceanitide bacca*
*Argentum, Tyrioq. ardentia vellera fuco.*
*Parietibus latè circum, & laquearibus altis,*
*Seriadum deducta colo Melibœa supellex,*
*Diues opum, cultu Phrygiarum, & dædala texta*
*Pergameo, & multa saturi Sidone rubores.*
*Hic varijs erepta malis te vindice turba*
*Suspendet memori tristes ab imagine casus,*
*Pontumq; fluctusq. feros, & turbine puppim*
*Abreptam, & medio nantes in gurgite merces,*
*Aut pelago infestos, fugientia vela, Britannos.*
*Ast alij morbos, atq. immedicabile fatum*
*Auspice te domitum, & Libitinæ ignobile ferrum,*
*Funeraq; & luctus, & reddita corpora vitæ.*
*Ante alios, sua fata nurus testata relinquent*
*Nubile tormentum, nisuq. graues hymenæos.*
*Atq. alias alij clades, & monstra malorum*
*Seruati affigent aris, & dona reponent.*
*Et varijs actum me casibus, & tua præsto*
*Numina, votiua memorabit fama tabella.*
*In foribus pugnam, & fusis Acheronta maniplis*

*Attonitum faciam, & positis tua signa tropbæis,*
*Victorumq. acies, & te, memorande, tuorum*
*Regnatorem Ignatiadûm tua castra mouentem:*
*Hinc, duce te, refugas animas à faucibus Orci,*
*Et Ditem amissa reuomentem incendia præda.*
*Parte alia promptis ibunt in fœdera dextris*
*Hinc Pallas iuuenum custos, hinc nuncia Diuûm*
*Relligio, iunctæq. animis te iura sequestro*
*Conscia firmabunt, eademq. in regna coibunt,*
*Ante aram & geminis orabunt numina votis:*
*Tum coniurato Ditem terrore lacessent.*
*Contra oculis accensa, truci fremet ore Megæra,*
*Gorgoneæq. canes, & lumine torua cruento*
*Inuidia, & trepido Pluton inglorius Orco.*
*Addam & culta Paro, multaq. animata Corintho*
*Signa, tuos heroas, & addita numina Cœlo.*
*Stabit, & audaci tecum spirabit in auro*
*Legifer ille Euri, & patrium iam numen Eoo,*
*Saberius. tercentum illi per templa sacerdos*
*Thura dabit: totidem aurati per limina currus,*
*Æthiopumq. acies, Ophireïaq. agmina matrum.*
*Hinc & virginei cœtus Atlantide pompa,*
*Et primi iuuenum, & varijs equitatus in armis.*
*Ipse coronatis alta ad donaria Titan*

*Ibit*

*Ibit equis, largumq. tholo suspendet honorem.*
*Nec non & roseis cælo delapsa quadrigis*
*Memnonidas Aurora suos ad templa vocabit.*
*Quadrifidum attollet mactati insigne Tonantis*
*Alma Fides. illam effusæ per compita gentes*
*Excipient reducem, & sacro se fonte piabunt.*
*Talia per templum voti reus aduena quondam*
*Aspectans, hilari munus persoluet acerra.*
*Ipsæ etiam, si quid tales quoque respicis aras,*
*Solennem instituent memores per secula Musæ*
*Lætitiam, dictosq. tuo de nomine fastos.*
*O mihi tum si centum animæ Parnaßides; ò si*
*Centum æterna sonent Heliconidis ora Mineruæ,*
*Verùm aliјs tantum liceat sperare canendo.*
*Me meus ad cunas infantum exercet Apollo*
*Discentem & quæ sit vitæ via longior, & quæ*
*Securos ineant æui primordia cursus.*
*Pergite Pierides, & iniquum insistite callem.*
*Principio ne quem cari natalis, & auræ*
*Fraudet amor, neu fallat iter via deuia lucis;*
*Vestibulum ante ipsum, primoq. in limine vitæ,*
*Innumeræ degunt pestes, quibus obuia si quæ*
*Expediat primos victrix infantia gressus;*
*Liberior quondam, & cursu felicior ætas,*

Insequitur, longùmq. vigens, & sera senectus.
Sin ortu in primo, & teneris concepta sub annis
Cœperit infectis labes inolescere membris:
Heu malè venturæ spes intercepta iuuentæ;
Nec locus auxilijs. infidum, & debile quicquid
Prodigus effusa Podalirius exeret vrna.
Ergo omnem tentabis opem, dum semina morbi
Prima fouet, dubijs ætas innata periclis.
Nec verò incerti casus, inopinaue solùm
Fata obstant, vitæq. labans, & ludicra virtus;
Verùm & femineæ fraudes, & anile cauendum
Sæpe ministerium; quod, cùm iam fœta laborat,
Difficiles vocat ad nisus paritura virago.
Hic labor: hoc primum vertit se cardine fatum.
Exime progeniem, genitor miserande, periclo.
Hic opus, hic opibus. nam si mercede maligna
Vxori redimas duri solatia partus;
Sæua tibi infidas mittet Lucina ministras,
Eumenidum genus, & diri Plutonis alumnas.
Non illæ insidijs parcunt, nec turpibus ausis;
Ni veniant largo magni cum fœnore quæstus.
Namq. omnem in pretio curam posuere: neq. illis
Fas vllum, aut fidei momentum antiquius auro.
Nil precibus debere inopum, nil credere curant.
Quid

*Quid refugas captas aures? quid verba fatigas?*
*Diuitias illæ, & mensas, & olentia Baccho*
*Prandia, venales animæ, luxumq. sequuntur;*
*Poculaq. auerso damnant Acheloïa vultu.*
*Pollicitis victæ, semper maiora precantum*
*Eliciunt promissa, fidemq. offerre morantur.*
*Interea partus labor increbrescit, & aluo*
*Sustinet ancipiti genitrix graue pignus. at illæ*
*Sæpius acciri gaudent, longùmq. rogari;*
*Deduci, curruq. vehi, totisq. potiri*
*Ædibus, & primas inter discumbere matres.*
*Quòd tibi si prolem dederit fortuna virilem;*
*Tum verò immensum pactis accedere fœnus*
*Exclamant, totosq. petunt pro munere Seres,*
*Cum manicis peplum, & picta cum cyclade pallam;*
*At natæ crinale aurum, mundumq. iugalem,*
*Et gemmam articulis, atq. auribus, & graue soccis*
*Argentum, vittasq. leues, & molle flabellum.*
*Ni facias, illæ in rabiem, cæcumq. furorem*
*Præcipites Ditem implorant, & Tartara miscent*
*Præstigijs, omnesq. vocant in fœdera manes.*
*At puero, vt primis vagitibus impulit auras,*
*Ne spera felicem animam. nam protinus illæ*
*Triste veneficijs misero Stygis omen inurunt.*

*Non magicæ fraudes illis, non carmina desint,*
*Non herbæ, non lecta iugis aconita Cytæis.*
*Non diri afflatus animæ, & spirabile virus,*
*Quo pueris immissa lues, & triste per auras*
*Exitium venit, & vitales inficit haustus.*
*Sæpe etiam manibus, tactuq. tenerrima lædunt*
*Corpora nascentum, & stygio medicantur oliuo.*
*Atq. olim, vt veniant vitiato sanguine venæ,*
*Fallacem vberibus norunt impendere curam.*
*Sæpe etiam (tantum ne animos sitis asperat auri?)*
*Ab teneras ausæ fauces vrgere premendo,*
*Interclusam animam iugulo extorsere subacto.*
*Id verò infandum magis, & lacrymabile visu,*
*Membra quòd appreßis libant puerilia labris,*
*Amplexu veluti foueant, atq. oscula figant.*
*Dumq. auidæ incumbunt bibulo super oris hiatu;*
*Omnibus elicitum venis hausere cruorem.*
*Quid, quod & occulto longè contacta veneno*
*Pectora nutricum vitiant, atq. vbera siccant?*
*At quibus infensa inuidia crudelius instant,*
*His Erebi instillant iras, & noxia verba*
*Inspirant, cæcamq. adigunt in viscera labem.*
*Hinc variæ pestes olim, & miserabile multis*
*Exitium, & læsæ genus illætabile vitæ,*

*Et Lachesis teneros iuuenum bacchata per annos.*
*Namque alij vultum informes, & tabe perenni*
*Indecores, numquam vires sensere valentes.*
*Ast alij pubem effœtam, gelidosq. hymenæos*
*Experti, & thalamis nequicquam insistere adorti,*
*Connubio soluere toros. hi fusa dedere*
*Membra solo, gressuq. animam abiccere caduco:*
*Hi mentem inualidi, & semper rationis egentes,*
*Inter longa trahunt confusam obliuia vitam.*
*Quis modus ærumnis? lacerant præcordia mœsti*
*Singultus, & agens animum sub Tartara terror.*
*Talibus incendit cantando pectora curis*
*Nescio quæ sagana, & toruo dedit omina nutu:*
*Ipsa etiam multis Cocyti pallida monstra*
*Intentare minas, & tartareos vlulatus*
*Visa sub aspectum, & fuluas attollere cristas,*
*Et variam in speciem vultus mutare proteruos.*
*At subitæ pestes alijs, & lurida tabo*
*Vlcera, suffusos sanie venere per artus;*
*Horruit & scabra maculosum ærugine corpus:*
*Dant gemitum, inflicto penitus quibus ilia morsu*
*Est labor, & sæui tormentum immane doloris.*
*Hos agit in præceps mentis furor: halitus illos*
*Deficit exanimes, & imagine mortis inumbrat.*

*His lethale ſonans in pectore venit arundo*
*Eminus, extremo quantum Rhiphæus ab Afro*
*Diſsidet: & telum magicæ regit ira Libyſſæ.*
*Aſt alijs ſubitò penſum fatale recidit,*
*Dum cupit Æmoniæ Lacheſis parere magiſtræ.*
*Nixibus inſudant obſtructæ viſcera matres:*
*Iamq. vtero clauſas animas, & debita luci*
*Pignora cum gemitu multos fouere per annos.*
*Nempe aliqua inuidit generi nurus; & fuit illi*
*Noxia vox, herbiſq. potens, & fruge Pheræa.*
*Ars eadem multis fraudem meditata puellis,*
*Exanimes triſti fœtus excuſſit ab ortu,*
*Progeniem infelicem. aliæ ſine more dedere*
*Syluigenûm turpes formas, atq. ora ferarum.*
*Hi Charitum ſanctas inter connubia leges*
*Turbauere doli, & ſtirpem vulſere nepotum.*
*Ipſe olim thalamis ridens geniale Cupido*
*Ingemuit; tædæq. odijs arſere iugales,*
*Mutuaq. alterno cum coniuge coniugis arma;*
*Amborumq. oculis fallax effulſit imago:*
*Nam viſæ inter ſe facies in monſtra nouari,*
*Par quibus aut formæ decus afflauere Cythera,*
*Aut amor illecebris æui ſub flore gemello.*
*Ipſa animos non ſponte furens Bellona diremit:*

*Nec*

*Nec miratur amor; quoniam diuortia cantat*
*Mœris, & attritu liquentibus inspuit herbis.*
*Id verò non vlla fide dignabitur ætas:*
*Nec dolus in fama est. & erit quæ lena docebit,*
*Vnde illud multis animæ subit intima virus*
*Et stimulos qua vi tantos hausere medullæ.*
*Nam sæpe excußis reddunt è faucibus atram*
*Ora picem, & viuos squamis horrentibus angues,*
*Spiculaq; & vitreas non vna cuspide lamnas,*
*Fila laborato chalybum deducta metallo,*
*Et gregis hirsutas, nodosa volumina, setas,*
*Saxa etiam, nec parua putes, etiam ossa iuuentæ*
*Integra, confertosq. globos è fune retorto.*
*Quæq. olim extuderant operosi incudibus ignes,*
*Æra vomunt, durosq. eiectant gutture truncos.*
*Et tantam in parua molem congesserat aluo*
*Carminibus pollens patrijs Amphrysia vindex.*
*Illius accitu volucres à Dite ministri*
*Accelerant, iußis agitent qui corpora pœnis,*
*Ipsa virûm fusi per viscera. tum labor illis,*
*Et furor, & labi faciles in deuia sensus.*
*Hos raptu sublime ferunt: hos turbine versant:*
*Hos variè tortos subigunt. nunc membra fragosam*
*Oßibus ad terram dant sæpius acta recußis;*

*Nunc saxis illisa domant: nunc icta flagello.*
*In noua deportant alios abrupta locorum,*
*Et media vasti sistunt in rupe barathri,*
*Aut in lustra cauis altè sub montibus abdunt.*
*Quid, quibus in formam vultus abiere ferinam?*
*Atq. alius iam terga refert squamosa draconis*
*Torua tuens: alius speciem dare visus echidnæ.*
*Alter apro par ora truci; par alter onagro.*
*Auritum fert ille Midæ (non fabula) vultum:*
*Setiger hic mento, & frontem ramosus, ouile*
*Deuitat, seseq. procum gregis horret haberi,*
*Et sibi desponsas balantum occurrere turbas.*
*Si quis adhuc fidei locus, & victoria famæ,*
*Horridius multò monstris è talibus vnum*
*Nunc habet ante oculos, obtutu pallida Siren.*

**Principis cuiusdam descriptio, qui inaudito veneficij genere obstrictus, ac perdiu vexatus est.**

** Est inter procerum primos, & lumina Regni*
*Clarus auûm priscis, atauûmq. à fascibus heros,*
*Attalicis florens opibus, cui census opimæ*
*Adriadûm multæ latis in finibus vrbes,*
*Oppida gentili sceptro regnata parentum.*
*His etiam ille dolis, & carmine Larissæo*
*Læsus, inaudito pœnarum assueuit amori.*
*Porrectum duro sternit super assere corpus.*
*Hic sua contundi nodoso robore membra*

Impe-

*Imperat. assistunt alacres ad iussa ministri,*
*Verberaq. alterni validis sudata lacertis*
*Ingeminant, quantum Ætnæo super ignea malleo*
*Intonat æra faber Steropa cum fratre Pyracmon.*
*Præcipuè ingentem quassant super vtraque clauam*
*Tempora; nec parcunt humeris, aut artubus vllis.*
*Fert ille indefessus, & vltro immobilis ictus*
*Horrendos: tum membra leuat, cùm pulsibus aptat.*
*Quòd si qua interdum est lentæ clementia plagæ;*
*Tum gemit; & fortunam, & fustem appellat iniquum;*
*Et fragiles animas pulsantum, & debile robur*
*Increpat; & pretio fortes, & munere donat.*
*Hi magis incumbunt nisu, & vim viribus addunt:*
*Ille inter tundendum animos & fortia laudat*
*Pectora: sic dextras illis accendit, & iras.*
*Hunc vocat Alciden, hunc Hectora: brachia tantùm*
*Acrius ad pulsum intendant, neruosq. viriles.*
*Atq. hæc perpetuo poscit solatia morbo*
*Bina die, tum mane nouo, tum vespere sero.*
*Hoc illi obsequium debent, qui prima palæstræ*
*Dona petunt famuli, & lusum venantur herilem.*
*Tantum afflata valent Pagasæo pocula cantu.*
*Et suus est Marti gemitus, suus error in armis,*
*Si qua suis aduertat ab insidijs Eriphyle.*

*Vna truces oculos, non vno armata veneno.*
*Et nunc illa quidem, aut illi par altera regnum*
*Sarmaticum, totamq. incestat fraudibus Arcton.*
*Quis memoret, quantum tali sub clade laborent*
*Parrhasidæ populi, tuq. ò nunc * alter in oris*
*Carpathijs Gradiue: licet fors altera dextræ*
*Clauserit ad iustos aditum non æqua triumphos.*
*Quem te Rhiphæo nuper videre sub Euro*
*Extremi, tua regna, Dacæ! quæ fulmina Martis*
*Torquentem, & bello quæ regnum ad fata vocantem!*
*Quale sub aduersas acies, tua millia præter*
*Euadentem vnum, & medios mucrone per hostes*
*Prima ducum capita, & Mauortia colla metentem!*
*Seu pedes & Martem cursu præuertis, & Euros,*
*Obuiaq. intrepida certamina proruis hasta:*
*Seu tibi sub stimulis quassa tuus ardet habena*
*Cyllarus, inq. vicem ad calcaria subditus Æthon*
*Ocyor ad pugnam Zephyris, & te minus vno*
*Fatifer; alta licet bellantum obuersus equorum*
*Pectora prorumpens vasto terat agmina campo.*
*Talem animis tantumq. manu te barbara Mauri*
*Horruit, & sceptris cœpit nutare potestas,*
*Dum sopita vocat ducibus iam classica cæsis.*
*Nec profugis fidum auxilium, aut immune pericli*

* Intelligit Sigismundum Battorium, Transiluaniæ Principem. cuius bellica virtus infesta veneficijs, mirum quantum ab eo, quem inierat, gloriæ cursu retardata est.

Dat

*Dat patria, aut Libyci fines, aut vltimus Atlas.*
*Attoniti cessere metu, cæciq. tumultu*
*Rauracidæ, Moriniq; & Memnonidæ Garamantes,*
*Denthalytæq. Lycaonij, & quos Orbe niuali*
*Sub Ioue concreto, & nullo sub Sole iacentes*
*Abdidit extremos vltra Cynosura Gelonos.*
*Talia fundabas Getici primordia regni*
*Penè puer; prima dum ludit in indole virtus,*
*Et teneris pubes non dum efflorescit ab annis.*
*Iam tum fama tibi, ne quid minus auguret æquo,*
*Portendebat Hyperboreos trans vltima fines*
*Littora, trans Gangem, & Nabathææ Tethyos vndas:*
*Nam se prima tuis Rhodope desponderat annis.*
*Proxima quò regni spes finibus ibat apertis.*
*Ipsi etiam tantis laudum crescentibus orsis*
*Assensere tui, plausumq. dedere Triones.*
*Ibat in assensum (sineret fors) vtraque Solis*
*Regia, tum primùm Oceani breuis vltima circum*
*Ora fuit; cùm visa tuo diademate cingi:*
*Et fuerat iam cincta; suo si cardine virtus*
*Verteret euentus rerum, & mortalia regna.*
*O vbi nunc illa, auspicijs quæ debita tantis*
*Imperia, & tantus Libyco pauor additus hosti!*
*Ilicet inuidiæ virtus quoque cedit; & vna*

Marti tantam animam, & tantum decus abstulit Orbi
Saga potens dictis, & gramine Centaureo.
Credo equidem, quæcunq. vllas hoc ausa per artes,
Si talem hoc potuit dextram sopire veterno;
Non illa Æmonio solùm de germine frondem
Legerat, aut vni tantùm credebat Iolcho
Spem sceleris: non illa vlulæ, non omina parræ,
Nil cecinit, quale Atracidum vox dira sororum;
Sed canibus stygijs crudo de viscere carpsit
Florem iræ, cordiq. suo consanguineum cor,
Cerbereumq. fel, & Lernæum ex angue cruorem,
Et iecur Harpyiæ, & tunsa de Gorgone succos:
Vipereum crinem Furiarum, & summa totondit
Serpentum capita, & spiris extrema trisulcis.
Illa etiam Phlegethonteæ mala gramina ripæ
Messuit, atq. Orci pullo de vere cicutam,
Quæq. suis Acheron absynthia fouit arenis.
Ipsam Hydram in calices, ipsum Pythona liquando
Soluerat, atq. vnum Scyllæ, tria corda Chimeræ,
Et quoscunque affusa tegit Stygis vlua colubros.
Credo etiam secta Pluton ad pocula vena
Sponte suam fudit meliori è sangnine partem,
Et calido vitæ primum de fomite virus.
Vna Hecate, Diræq. omnes, atq. infera Iuno
Nuda-

*Nudauere suos, & acu pupugere lacertos,*
*Atq. animæ salientem æstum furialis, & atro*
*Venarum è succo tepidum effudere venenum.*
*Hæc metuat, si quis nimium securus auaram*
*Spernit anum, cui Ditis opes, & Thessala virtus.*
*Illa tibi insanas Erycinæ immittere flammas*
*Si volet; heu quanto præceps agitaberis æstu*
*Sponte inuitus amans! miserum, si te vlla tuendo*
*Deuotum exitio velit, aut furialibus vmbris.*
*Si iubet illa, suos mutant sata gramina sulcos,*
*Atq. alia ex alijs migrant in culmina pinus.*
*Illa furens animi, sed inobseruabilis astu,*
*Mille iacit pestes oculis, quibus eminus agris,*
*Arboribusq. omnis florum decor, omnis agresti*
*Deperijt succus pecori, natiuaq. lactis*
*Copia, & exhausti periere sub vbere nati,*
*Et frustra ad mulctram saturæ venere iuuencæ,*
*Pinguiaq. informis macies armenta peredit.*
*Hinc noua mutatis nequicquam ad pabula campis*
*Armentarius egit equos; aut altera pastor*
*Gramina suffecit morientibus irritus agnis.*
*Hoc scelerum ritu quondam crudelis Erichtho,*
*Et Mycale, Circeq. nocens, & perfida Colchis,*
*Eriphyleq. oculos non vno infecta veneno,*

Atq. aliæ, quarum fidæ meminere sequaces,
Quæq. venit Marsis fata finibus, & fata Ponto
Progenies, quæq. Emathijs legit ossa sepulchris.
Tot fati vertere vices, tot funera terris,
Tot facies Erebi potuere accersere cantu.
Atq. hic femineæ quicunq. est impetus iræ,
Matribus Arctois quamquam cognatus, & Afris,
Non tamen Italiæ raras nihil inter alumnas
Campanas exercet anus: siue aduena quondam
Finibus his Circe tales vulgauerit artes;
Siue olim hæc Phariæ seruitum ad regna puellæ
Hanc labem aduectæ intulerint, quæ lubrica mentes
Ingenuas tandem, & mores irrepsit heriles.
Quidquid id est; quocunque lues eruperit ortu:
Hinc etiam, lecta quamuis à sede piorum
(Infandum) non nulla truci venit hostia Diti,
Et puerûm insontes animæ mactantur Auerno.
Tu quoque, cælicolis quamquam gratissima Siren,
Lanificas cense tectis, & compita vulgi
Sub noctem explora. viden illam, vt vespere solo
Infantes venata dolo, quos immolet Orco,
Sera venit! cape tela manu, cape vincla satelles,
Si qua tenent iniecta Notos: namq. illa citatis
Sæpe solet Zephyris tenues equitare per auras.
Vidi-

*Vidimus euadentem illam, cùm sæpe fugacem*
*Irretita manum vinclis, & cannabe torto,*
*Eripuit sese manicis, vinctumq. reliquit*
*Quadrupedem improuisum oculis, nec visa recessit;*
*Tantùm audita loqui; risuq. in verba soluto,*
*Sume vadem, lictor, cautis hanc suffice vinclis;*
*Hanc, age, supplicio pro me suppone capellam.*
*Sed neque tum conspecta vlli, dum talia risit;*
*Vana sed effudit cum vocibus aura cachinnos.*
*Sæpe illam ingenti raptam ad prætoria plausu,*
*Multandam addixit laqueo Quæsitor, & igni,*
*Iamq. trahebatur media inter millia vulgi*
*Fusa comas, & vincta manus, & vincta lacertos:*
*Ast vbi fatalem ad metam successit, & alta*
*Sub trabe funesto collum dedit improba nodo,*
*Et capiti hærebat domitor feralis, & armo:*
*Ecce palam, morte in media dum visa teneri,*
*Auolat indeprensa oculis. at ludere vinctam*
*Suspenso de reste feram videre bicornem.*
*Heu male tum delusa fides: nam visus inanem*
*Ille licet truncus laqueo suspendere prædam;*
*Si tamen instabat tortor, lethiq. minister*
*Ipsam illam in pecudem, quamuis immane rudentem,*
*Sæuire, & tandem domito nil parcere collo:*

*Credo equidem, tali tectam sub imaginis vmbra*
*Illam ipsam iam victor anum, si nosset, habebat*
*Sub pedibus, fallentem oculos, nec vera frementem:*
*Non aliam, mihi crede, animam, non altera vinclo*
*Colla fatigabat, quamquam sibi visus agrestem*
*Cornigerum premere, & ceruicem vrgere ferinam.*
*Scilicet hæc ipso magicis à Dite facultas*
*Ingenijs, vt sæpe suos ante ora videntum*
*Aspectus varient, atq. obuia lumina fallant,*
*Omniaq. intrepidæ subeant mendacia formæ.*
*Quòd si illam, quæcunque oculis occurrit imago,*
*Transadigas ictam ferro, licet inscius vltor:*
*Iam notam redit in faciem post vulnus, & vltro*
*Exuit aërium simulacrum, & vana figuræ*
*Prodigia, & moriens vultus ostendit aniles.*
*Sic multas Dominæ famulas nouere, neq. ipsæ*
*Non famulæ Dominas; multi nouere sorores,*
*Aut patrio indecorem generi sensere nouercam.*
*State viri imperio. solùm inuariabile sexu*
*Femina prodigium est. vultum quoq. mutat in horas.*
*Nec totidem sese informas, atq. ora ferarum*
*Induit, aut tot habet dubiæ miracula frontis*
*Æquoreus quondam Proteus: seu turbidus vndam*
*Assimulet, seu toruus aprum, seu lubricus anguem,*

*Seu rigidus tygrim, aut spirantem immane leænam,*
*Quòd nisi mutati tantùm fiducia vultus*
*Alliceret, fraudemq; & opertam inuolueret artem;*
*Non tam sæpe aliqua intempesta nocte per vrbem*
*Consertas traiecta feras, & clausa domorum,*
*Matribus auderet teneros diuellere natos.*
*Scilicet in pueros prima est sæuire voluptas.*
*Nec nulla est, animum diris quæ sensibus armat.*
*Non ope graminea, nec frugibus Æetæis,*
*Vngue sed, & morsu (miserum) conuulsa cruento*
*Pectora discerpit puerûm, & præcordia mandit.*
*His epulis quantum magici se attollere sensus*
*Incipiant, qua spe dubios irrumpere casus,*
*Et quantum vltrices scelerum contemnere leges,*
*Nil memorem. neq. enim vobis tam credula Musæ*
*Mens animi, aut totis Hecaten sectamur habenis.*
*Ite domum pueri (noctem vocat Hesperus) ite*
*Imbelles animæ, & patriam cursate per aulam.*
*Non hæc hora iocis, non hàc vicinia vestris*
*Fida satis. veniet seras hàc illa per vmbras*
*Nescio quæ longæua, manum quæ fulta bacillo,*
*Et nimium fallax animi; nam semper amictu*
*Altera. vos illa illecebris venata petulcis*
*Semper habet vestra laniena cæde recentem.*

*Nempe graui collecta sinu munuscula portat*
*Primitias fraudum vobis, & pignora fati.*
*Nunc age, si quando puerum tibi saga veneno*
*Læserit occulto, & teneros violauerit artus,*
*Infelix genitor. nam quæ te signa docebo,*
*Certa satis. Sæpe obscuræ fallacia pestis*
*Abstulit ante animam, quàm labem exclusit opertam.*
*Nec tamen admonitum nolim te, si qua latentem*
*Argumenta luem retegant: licet aspera nullis*
*Speret ab auxilijs certam fortuna salutem.*
*Ergo vbi iam longo puerum tabescere luctu*
*Videris, & dulces per noctem abrumpere somnos*
*Attonitum, iactuq. manus vibrare trementi*
*Maternum in gremium, & notos captare recessus,*
*Ac veluti effugium trepido implorare pauori;*
*Suspectæ tibi sint artes, & perfida lenæ*
*Colchidis inuidia, & magicæ violentia fraudis.*
*Ergo omnem explora pestem. nam territus infans*
*Aspiciet crebris infestam assultibus vmbram*
*Femineam, palla candentem, & voce notabit*
*E vulgo propiorem aliquam, nomenq. silebit.*
*Illam hærere oculis, illam sibi multa videri*
*Spicula traiectis adfixa relinquere venis,*
*Aut turpes teneris infindere faucibus vngues.*

Inte-

*Interea vertunt vario se turbine sensus.*
*Nil animo nisi triste, nihil nisi flebile versat,*
*Et totidem ruit in casus, quot mente volutat.*
*Sæpe illum exitij cupidum, cæcumq. ruina*
*Mens agit in præceps varijs intenta periclis.*
*En abit (occursa genitrix) en ardua cursu*
*Tecta rapit furtim iam iam lapsurus, & altè*
*Imminet, en speculam ferus aßilit, & leue nutat*
*In caput, inq. imas iactu super inuolat auras.*

*Proderit hîc tonso puerum nudare capillo;*
*Cingulaq; & toto raptas à corpore vestes*
*Abijcere, & si qua est tenero decus addita collo*
*Gemma, vel articulis, fracto dissoluere vinclo.*
*Sic misero si forte animi dementia ceßit;*
*Insequere vlterius fatum iam victor, & ipsa*
*Abstrusum in tunica reteges furiale venenum,*
*Parua quod occultant lacero velamina lino,*
*Aut multum impliciti tonsa de virgine crines.*
*Quòd si nudus adhuc puer infremit, & cita mentem*
*Cura rapit; quæ te genitor solatia, vel quæ*
*Fata iuuent? nil ipse tibi consultus Apollo*
*Spondeat, aut tantam victor debellet Erinnym.*
*Et tamen, vt tali veniat medicina labori,*
*Maternum inuentum est, varios Orientis odores*

*Igne vaporatis latè diffundere tectis:*
*Aut ægrum intonsa puerum suffire cypero:*
*Mos etiam, certis mersare liquoribus artus,*
*Mos & Oronteo collum redimire capillo.*
*Nescio quas etiam lecto degramine frondes,*
*Nescio quos adhibent vngues à calce ferino.*
*Talibus auxilijs quicquid clementia matrum*
*Vlla iuuet, nil tale meus dat scire Machaon.*
*Tu fuge femineas, si quid me consulis, iras:*
*Neue minax dictis lenas incende bilingues;*
*Et sortem hanc præuerte mali, quam deinde togati*
*Pæonis haud vllæ poterunt depellere vires.*
*Officijs dant sæpe manus. tu vince merendo,*
*Quas nimium suspecta doli commendat egestas.*
*O quibus indulgent odijs! en illa rudentes*
*Induit in vultus animas, atq. ora Pelasgûm,*
*Hæc iaculis, hæc igne nocens, hæc flore Cytæo:*
*Infido non vna toro, non vna vocatis*
*Manibus, & stygia medicatis frugibus vnda.*
*Thraca suum cæsos epulantem Terea natos*
*Horret, & irata structas à coniuge mensas.*
*Graia Mycenæum thalamis intenta secundis*
*Excipit exitio coniux. dat fluctibus artus*
*Thessala fraternos. lacerum Romana parentem*
*Atto-*

*Attonitis proculcat equis, & spreta iacentis*
*Ire iubet perq. arma leues, perq. ora quadrigas.*
*Pelias Æsonidæ sobolem, & communia mater*
*Pignora dat letho, patrium vt funestet amorem.*
*Quid Regi iurata viro non amplius vnum*
*Indulgere diem sceptris? ah perfida voto*
*Dum potitur, Regem pactis instare coactum*
*Lictori parere iubet, nec fata morari.*
*Heu nimis infidum Pyrrhæ genus, & leue mentis*
*Imperium, fraudumq. ferax, & mobile pectus.*
*Disce nouos incauta metus, si forte vereri*
*Vile putas, irata dolo quid femina possit.*
*Quid toruas illusor anus ad iurgia poscis?*
*Est aliqua, est illas inter non cognita vulgo,*
*Spirandi, fandiq. potens, antistita Ditis.*
*Seu velit afflatu tristes, seu carmine Diras*
*Mittere; cum tali frustra luctabere Parca.*
*Est dulces inter natos tibi si quis Adonis,*
*Flos generis, multùm tenero vigilatus amori:*
*Hunc illa ad pœnas (tantùm quia dulcis amanti*
*Spes ille est genitori, illi quia sola voluptas)*
*Exigit, & patri cladem hanc alterna reponit.*
*Mox aliam inuenies, magicis quæ corpora morbis*
*Soluat, & amissos reparet cum viribus annos.*

Illam ægros circum infantes per tecta videbis
Venale auxilium multis offerre, nec æquam
Poscere mercedem, & studio gestire medendi.
Tu ne promissis animum, ne fraudibus aurum
Committas: hoc illa dolo te deuouet Orco.
Nullum illa officium, nullam sine Dite sequestro
Spondet opem. tu ignare mali, dum corporis vnam
Effugies, multas animi mercabere pestes.
Et tu suffectum pretio caput ibis Auerno.
Quis tam dulcis amor vitæ, quæ gaudia tanti,
Seruandum vt Stygio credas te Numinis hosti,
Aut ægram infando mandes Plutonis asylo
Progeniem? quò lapsa piæ fiducia mentis?
Quo legum imperia, & magnis data fœdera Diuis?
Ne tibi, ne tantam si qua est quæ venditet artem,
Talibus incautam dictis effœminet aurem.
Spem Superis committe: preces, & munera supplex
Ingemina: fer thura, focis operatus, & aris.
Et redimet multo pietas cum fœnore vitam.
  Hanc olim ob causam Nemesi solenne Pelasga
Romuleam ante aram sacro pecus ense cadebat,
Et Iouis ad templum magni pater ipse Quiritum
Dona ferens, populo veniam poscebat, & altè
Postibus auratis chalybem affigebat acutum.

Sic

*Sic procul arceri magicas à ciuibus iras*
*Spes erat, & victas subitò discedere pestes.*
*Vana superstitio. Quòd si non irritus illam*
*Exitus interdum excepit, nec vota fefellit;*
*Dis erat auxilio, fuerat qui cladibus autor.*
*Ille veneficijs quantùm sæuire nocentes*
*Impulerat sagas, mox tantùm orantibus idem*
*Parcebat populis, atq. impia vota fouebat.*
*His sua mortales meritis ad regna vocabat.*
*Verùm optanda tuæ melior tutela saluti;*
*Si te digna manet merces; & vera piorum*
*Christiadûm te iura mouent, non cæca voluptas.*
*Cum Superis vitam nobis, mortemq. pacisci,*
*Auspicium æternum fidei. stant cælite nutu*
*Vera tibi auxilia, & vitæ fors æqua tuendæ.*
*Aspicis, vt nostris quæ nunc transcribitur aris*
*India, dum sacris Acherontem à sedibus arcet,*
*Sensit opem magicis diuinam occurrere monstris.*
*Illic cælesti posuit delubra Parenti*
*Relligio, & fidam Romanis legibus arcem.*
*Iamq; vt primæuas, innata piacula, noxas*
*Eluat, & populos lustralibus expiet vndis;*
*Mystica diuini reserat sacraria fontis.*
*Huc genus addictum letho, & miserabile vulgus*

*Accurrunt, quacunque mali contage laborant.*
*Pars varijs capti membris, & poplite trunco:*
*Pars, quibus infusus venis labor æstuat, & qui*
*Suffusi contage tument intercutis vndæ;*
*Et quorum ipsa oculos clausit natura, vel aures;*
*Aut quibus innatum est mutum spirare, neq. vllos*
*Posse animi fœtus eniti, & fingere lingua.*
*Ipsi etiam, quorum feßis latet indita membris*
*Præstigijs inuenta lues, aut ira Megæræ.*
*At sacer vt labes animis lauit imber auitas;*
*Iam sua vis oculis, atq. auribus, & sua linguis*
*Reddita. nocturni fremitus, laruæq. minaces*
*Absistunt: iam languor iners, & pallidus horror*
*Corporibus, lethiq. rigor, liuorq; tumorq;*
*Sydereumq. malum, & facies lymphata Dianæ,*
*Et stupor, & quicunq. ægros labor occupat artus,*
*Pulsus abit, surguntq. nouo cum robore vires.*
*Tartareæ facies, & prodigiosa nocentum*
*Vmbrarum simulacra pios liquere penates.*
*Ergo animos soluere metu, quæ dira fremebant*
*Manibus addictæ lenarum fraude puellæ.*
*Fons ille est ægris vnum, & commune malorum*
*Effugium. nulla est illa nunc auspice lympha*
*Indefensa salus, nullum immedicabile vulnus.*

*Non ope Circæa tristes à Thaside mortes*
*Proueniunt: non atra minas intentat imago*
*Per noctem, aut pauida carpit formidine mentes:*
*Nec lustrata Deo redeunt in corpora Diræ.*
*Scitis, & hæc eadem timuistis flumina Manes,*
*Cùm generis primùm nostri correcta propago*
*Eluit hac labem vitiatæ stirpis in vnda.*

*Qui genus hi latices, & quæ miracula fontis,*
*Dicite, qui tantum Armenidæ vidistis ad amnem*
*Consedisse animo, & cæcum posuisse furorem*
*Indigenam Tiridatem, atræ iam Gorgonis instar,*
*Terrificum vultu, atq. horrore bicorporis vmbræ.*
*Illum aspernantem superos, nec iura ferentem*
*Christigenûm, ritusq. pios, Numenq. secundum,*
*Eumenidum vna soror stimulis furialibus actum*
*Vertit in hirsutam speciem, atq. horrentia toruæ*
*Terga suis, pronumq. feros effinxit in artus;*
*Ardentemq. animam, atq. immanes addidit iras.*
*Sæpe illum ilicea glandem legere ore sub vmbra,*
*Sepe volutabris inhiantem, & turpe madentem*
*Impulit vndiuomis perfundere naribus auras;*
*Nec tamen oblitum Regni, aut mæroris egentem,*
*Sed memorem, gnarumq. sui, & syluestria membra*
*Luctantem exuere, & caræ se reddere formæ.*

*At sibi fatalem frustra diffingere vultum*
*Nititur. incumbunt furiæ, raptumq. fatigant*
*Per nomora, atq. vdas, cœnosa cubilia, ripas.*
*Tale sequens fatum, victu ferus ibat aquosos*
*Inter haræ socios, fœdas agitare lacunas.*
*Primus inire vadum, & limosam innare paludem,*
*Et pede rimari campos, & nare repanda;*
*Roboraq; & truncos appresso verrere tergo.*
*Nec verò humani sensus, aut Regia menti*
*Exciderat: quamquam stagnantes ille per agros*
*Visus odorari bifori vada turbida rostro,*
*Aut instare fimo, & telluri infindere dentem.*
*Quis dolor ah misero, & quanti incubuere pauores!*
*Nunc adipem ille suum dapibus, nunc terga salinis*
*Deberi ingemuit, cultrum auersatus herilem*
*Nequicquam; & lautæ timuit conuiuia brumæ.*
*Non sterilem lucum timuit, nec tædia ventris*
*Vltima, nec turpem maciem, ne iussus opima*
*Cæde mori, satura ditaret merce macellum.*
*Sic illum Armenijs populi videre cadentem*
*Imperijs. at tu Diuos Hyrcane timeres,*
*Nec peteres ferro gentem, cui numina curæ,*
*Atq. adyta, atq. aræ, & magni delubra Tonantis?*
*Ah quoties illum (vt perhibent) insanus adegit*
*Præci-*

*Præcipitem furor ire, pedemq. offerre ruinæ,*
*Atq. suos artus rapido discerpere morsu;*
*Poneret vt fœdæ portentum agreste figuræ!*
*Et iam nullus erat fato vel finis acerbo,*
*Vel modus; affulsit Cæli cum sospita virtus,*
*Regalemq. habitum, & natiuæ frontis honorem*
*Restituit, vultumq. viro, mentemq. refinxit.*
*Nam quà triste lacu nemus, & campestribus vndis*
*Squallet & agnatas it Naïas vda per herbas:*
*Huc miser instinctu Dirarum appulsus, olentem*
*Nunc sequitur stagni fæcem, & spumantis arenæ,*
*Nunc refugit: neq. enim tantæ mens nescia fraudis.*
*Nam sua forma viro, & setosæ iniuria frontis*
*Nota satis, fœdumq. rapi succurrit in vndam,*
*Exitialem vndam glebis, & tabe palustri.*
*Hinc Regem, hinc sese pecudem dignoscit, & iras*
*Ingeminat, moresq. animum diuisit in ambos.*
*Gliscit inexpletum villosi pectoris ardor*
*Nare per illuuiem campi, & se voluere cœno.*
*Regius hanc speciem damnat furor: acrius instat*
*Alecto, & Stygia præcordia fingit habena,*
*Et stimulis tardum, & refugum regit effera fræno.*
*Illa æstum inspirat venis, animamq. petulcam*
*Faucibus, instigans inimicam haurire mephitim,*

*Et furtim agresti genio indulgere lauandi.*
*Vult illum ingluuie sitientem ardere ferinas;*
*Vult habitu, victuq. suem, ingressuq. videri.*
*Ille sibi obluctans, & ineluctabilis obstat;*
*Et sensus agitans auidos inamabilis vndæ,*
*Hæret hians, tractimq. animum in diuersa labantem*
*Iam dirimit, iam certa sui diuortia nescit.*
*Optat, & ignorat malesuadæ auertere laruæ*
*Imperiosam ignominiam, vultumq. biformem,*
*Et tam præcipites ad lurida pocula fauces.*
*Nunc odio sordentis aquæ, nunc paret amori*
*Captus vtrinq. animi: nec amor non dulcis vterque.*
*Nec sitis illa alia, aut alio satiabilis æstu,*
*Quàm turpes quæ Sole sues exercet iniquo.*
*Hinc eadem est & fœda palus, & amica sitiri;*
*Illecebrosa oculis, eademq. ingrata videri.*
*Quid faciat? non sæua Orci Bellona domando*
*Scit duris sternacem animum frænare lupatis.*
*Sponte pedem nunc ille citat, nunc ille recepitat.*
*Iam se animi victus squallentem immittit in amnem;*
*Iam resilit, flexuq. pedum inconsultus oberrat*
*Ante oram, & sicca vix tandem insistit in vlua.*
*Interea, ne forte loco non arbiter absit,*
*Aspectat syluam aduersam, & nemora auia lustrat.*

Ecce

*Ecce autem augusto senior spectabilis æuo*
*Adstabat, latè Armenijs qui præsidet aruis*
*Christiadûm, & sacra populis dat iura tiara.*
*Ipse olim inuisus Regi: nam sanguine cæsi*
*Numinis, & nullo pecudum nidore litabat.*
*Nunc idem optatus: lætum quia tristibus omen*
*Casibus, & certam visus præbere salutem.*
*Talem ille aduentu, talem sese ore ferebat.*
*Atq. vbi vicina coram progressus ab vmbra,*
*Sic prior. Ah pietas, quis te pulcherrime quondam*
*Cæsaride, quis agit mentis tam lubricus error?*
*Vnde? quis hanc speciem furor attulit? ò vbi vultus*
*Forma tui, & pulchræ quondam flos ille iuuentæ?*
*Non equidem ignoro, miror magis: vndiq. cæli*
*Ad sese auxilia, & pietas te prodiga Diuûm*
*Iam vocat, & tardum stimulis cælestibus vrget,*
*Et cessas in vota libens? in tædia cessas*
*Iusta tui? tantum ne tibi tu ne officis vnus?*
*Non prius absistent furiæ, nec regia vultus*
*Maiestas, aut forma tuos antiqua reuiset,*
*Quàm te pura fides, superi quæ vera parentis*
*Nuncia, lustratum sacra circumferet vnda,*
*Et sua te votis operantem ad templa videbit.*
*Pone animum infensum nobis, & pristina tantùm*

Consilia in melius reuoca; & iam victus adora
Virginea Numen genitum diuinitus aluo.
Ille hominum, Diuûmq. potens: illum omnia regum
Thura decent vnum, & positis decora ardua templis.
Non alium domitorem Erebi sensere profundæ
Eumenides, quarum vna tibi nunc addita vindex
Sæuit, & informe hoc affinxit dedecus ori.
Hunc rebus præsentem opta (nam tempus) egenis:
Iamq. occurrentem auxilio, & sua dona ferentem
Implora. nam, si qua animo fiducia tanti
Numinis; illa Orco, & stygiæ te subtrahet iræ.
Nulla mora est. tu mecum vnà succede propinquam
Fluminis ad ripam, & sacra te Naiade lustra.
Fortunate animi, tantùm si pectore toto
Concipis adspirantem æterni flaminis auram.
Dixerat. ille auida mentem spe captus, & aurem
Annuit; atq. vnà studio gestebat eundi,
Quà pius ostenso ductor se calle ferebat.
Est locus accessu facili, nec dissitus amnis
Inter arundineas vmbroso margine ripas,
Euphrates; rapidumq. vndarum euoluitur agmen.
Huc simul appulsus socio cum Rege sacerdos
Attigit è primo lustralem gurgite lympham;
Ecce oculis insuetum, augustum, insigne fauentis

Numi-

*Numinis, & cœptis coram applaudentis Olympi.*
*Nam, quà cursus agit rapidum violentior amnem,*
*Substitit, & presso requierunt vortice fluctus.*
*Amne super medio rutila Thaumantide cinctum*
*Quattuor in transuersa iubar se brachia fundit.*
*Qualis erat trunco species, quo tristia quondam*
*Golgotha suffixum Cæli videre Parentem.*
*Nulla magis diæ facies festiua salutis.*
*Nec matutino tantum Sol ardet Eoo,*
*Nec medium Cæli flammis cùm diuidit axem.*
*His Regem auspicijs heros ter flumine sacro*
*Abluit, attestans tria Numinis ora triformis,*
*Æternum genitorem, æquæuum in secula natum,*
*Afflatumq. anima communem ambobus amantem.*
*Nec mora: dum nudo capiti sacer influit imber;*
*Protinus insanæ discusso turbine mentis,*
*Rursus in ora suo natiua supercilio Rex*
*Assurgit, vultusq. animo arrisere sereno.*
*Sentit opem: sentit vitalem Numinis haustum,*
*Sensibus illabentem imis, viresq. receptas.*
*Dat genua orabunda solo, Numenq. salutat*
*Christiadûm, & sese meritis iam destinat aris.*
*O quantùm ingrato generi te prodigis! & quæ*
*Munera das terris Diuûm pater! obuia tantum*

Acceleret mens noſtra ſinum, atq. occurrat amori.
Diſce, quibus ſtudijs Hecaten, quo flumine pellas;
Si non dum hos fontes (abigat Deus omen) adiſti.
At ſemel ablutos iterum nos iura lauari
Nulla ſinunt. namq. hæc ſi rurſum aſpergine tingi
Fas erat, & tales iterare licentius vndas;
Non deerant ſua fila veneficij labyrintho,
Deficerent quamuis lenæ Minoidis artes.
Nec, quia nos idem non ſæpius expiat amnis,
Nulla Cytæinæ fruſtra dant vulnera Parcæ.
Siſte metum; ſi te Æmonijs Proſerpina vinclis
Alligat, & morbum venis inſana miniſtrat.
De genere hoc etiam (neq. enim vis Numinis vna eſt)
Illi inſtauratam ſubitò ſenſere ſalutem;
Solliciti libata Deo qui ſacra frequentant;
Virgineum, & magnæ Matris qui numen adorant
Voce ſalutantes, olim quæ venit ab aſtris
Dicta ſalus olli diuini nuncia partus;
Quiq. adhibent, quam rite pio ſale contigit vndam
Candidus afflatam diuina voce ſacerdos,
Et dedit aſpergi palmas, atq. ora precantum;
Quiq. piant ſeſe, & ſacro ſub iudice damnant,
Si quid in æternos auſi committere Diuos,
Aut ſi liberior miſeræ indulgentia vitæ

Vlla

*Vlla fuit, vel si qua animis Cocytia labes.*
*Multum adeo sese ille iuuat, qui pacifer hosti*
*Implorat veniam, & meritis odia aspera mutat;*
*Quiq. sibi (ò quantùm fidei leue proficit hilum!)*
*Adducto ad frontem supplex, ad pectus, ad armos*
*Pollice, diuinæ tria nuncupat ora figuræ,*
*Patremq. vnigenamq. parem, nec dispare flamma*
*Spirantem alterna sanctum vice flaminis ignem.*
*Quid memorem, quanta Ditem formidine terrent,*
*Qui dape cælesti lautam vescuntur ad aram?*
*Nec sapor est illis fraudi, aut Cerealis imago.*
*Stant animis, dulciq. oculorum errore fatentur*
*Indutum aspectu Cereris, paruoq. latentem*
*Orbe Deum, sacris epulandum aßistere mensis.*
*Et cunctamur adhuc vitæ spem credere Cælo?*
*Quisquis es infrendens, furia qui Colchide tactus,*
*Sta puer ante aram, & superûm te siste Parenti;*
*Sta genitor, natoq. preces adiunge paternas.*
*Et primùm iniustis veniam deposcite factis:*
*Omne animi multate nefas, & pectore noxas*
*Eluite arcani dictas ad flaminis aurem:*
*Moribus indulgete pijs: date pignora vestri*
*Cælicolis, puras animas; si munera cælo*
*Poscitis, & feßis præsentia numina rebus.*

*Nil Superis debete manu, nec legibus æquis:*
*Neue animum exercete odijs. mercamur amando*
*Quas petimus cæleſtis opes à Numinis arca.*
*Tuq; adeo, primis cui vitam inuidit ab annis*
*Emathiæ ſtrigis ira, neq. eſt te ſoluere cuiquam;*
*Hoc ſtudium præq. vnum alijs, præq. omnibus opta*
*Auxilijs. neq. enim, ſi morem hunc vita ſequatur,*
*Pocula Circææ metues, aut carmina lenæ.*
*Arbitrij cùm iura tui tibi ſufficit ætas,*
*Nec mens conſilijs tenera, imprudensq. futuri;*
*Paſce puer te ſæpe Deo: namq. ille nitentem*
*Inditus in ſpeciem Cereris, fugiensq. videri,*
*Se tibi (ne dubita) libandum apponit ad aram.*
*Macte fame puer hac vna; & iam talibus aude*
*Auſpicijs pubem, & longæuam accerſere lucem.*
*Huc animum, huc aduerte. quid vllā intendere curam*
*Aut aliam malis, aut vnam hanc ſegnius optes?*
*Carminis hic, Muſæ, portus. Quid Pæonis auram*
*Aſpirantem vltra ſtudio captamus inani?*
*Quid lethum effugio, & mendaci fallere cura*
*Nitimur, & cæli vires, auramq. ſalubrem*
*Veſtigamus, & incerto duce quærimus annos?*
*Quid varium occaſum vitæ luſtrare, vel ortum,*
*Atq. alios rerum ex alijs iuuat ire per vſus,*

Et

*Et legere extremo vectas à Memnone fruges,*
*Poculaq. Anticyra, & peregrinis aspera succis,*
*Aut ægræ famis illecebra ad tristia mensæ*
*Dona Machaoniæ, & campos tondere, vel hortos,*
*Vel muscum æquoreis redolentem auellere saxis,*
*Et teneras Nerei reptantes fallere cymba?*
*Ecquid ab ingenio vitam mercamur auaro?*
*En vescum in mensa Numen, spes nulla vocatis*
*Irrita conuiuis: nullæ sine vindice pestes.*
*Vos, animæ, testor reduces à limine lethi.*
*Erepti exitio redeunt, quos dirus agebat*
*Syderis infensi labor, & phanatica Phœbe;*
*Quiq. toro afflicti vires, & saucia morbo*
*Corpora; qui dira vultus afflante nouerca*
*Syluestrem induerant formam, rictusq. ferinos;*
*Et qui lucem haurire oculis, auramq. loquacem*
*Auribus indociles, aut aëra texere lingua,*
*Vocalemq. animam parere, & distinguere fando!*
*Ingeminata salus membris. Iam vapulat Orcus,*
*Nec quemquam ex illo numero contingit inultum.*
*His etiam illapsi tonitrus, Iouis arma corusci,*
*Ante oculos posuere minas, timidumq. fragorem,*
*Sæpe animo pertæsa dolum, aut exterrita Clotho*
*Penè incisa manu, correxit stamina nodo,*

Deducto inuoluens plenos iam vellere fusos:
Attoniti cessant hostes, dum cæde propinqua
Liminibus templorum instant. vocat arbiter aræ
Ad sua liba Deum, & Lenæi ad nectaris vndam,
Agmina quem circum sacris infensa coruscant
Fulminibus gladiorum, atq. æra rotantia dextris
In caput indefensum inq. ipsa altaria vibrant.
Vana fides ausis. Cæli furor incidit; & se
Illi interturbant secum, & palantia ferro
Prælia miscentur, confusoq. impete cæci
In sua tela viri, atq. in mutua vulnera currunt.
Vsque adeo mensa illa suos defendit amantes.
Hi metas, hi legem æuo posuere fugaci.
O genus, ò animæ secli melioris alumnæ,
Relligiosa virûm, & Pharijs gens abdita claustris,
Ora quibus non vlla dapum, frugumq. voluptas,
Non liquor, aut vlli calices, aut munera Bacchi,
Sed Deus, atq. huius tantùm sapor attigit aræ.
Huius ab ambrosiæ pubes adoleuerat haustu
Sacra Deo, & tantùm cælestibus hospita curis,
Inq. pios digressa lares à sede paterna.
Fortunata fames illis, indictaq. mensis
Exilia, & quondam grati penuria census.
Dant epulas Cæli penus, & conuiuia Diuûm,

Et

*Et vitæ contemptus amor. stant secula victu*
*Mortali desueta: neque est occasus in annis.*
*Ipsa animant annosa pias ieiunia vires;*
*Nec stimulos vnquam macies, aut vllus edendi*
*Subdit amor. dat læta manus mortalis egestas.*
*Nec tamen aut ignaua dies, aut summa laborum*
*Plena minus. seruant annonæ rustica iura.*
*Nulla quies: nec vomis agros, nec sarculus hortos*
*Deserit. vrgentur segetes, vrgentur aristæ:*
*Perq. hyemem sementis opus, tritura per æstum.*
*Nec modicæ moles onerum. portantur agrestes*
*Diuitiæ, nunc esca focis, à monte colurno:*
*Impositiq. humeris fasces è palmite trunco.*
*Nunc trita de messe Ceres, & triste legumen,*
*Aut onus è fluctu, & plena grauis amnis in vrna:*
*Et suus est nocti labor; & mensura quieti*
*Parca redit. nocturna agitant solennia templis:*
*Alterni ingeminant voces ad carmina Diuûm*
*Vsque sub euectam ad pendentia sydera noctem.*
*Tum nuda exercent stimulis, & verbere membra*
*Quisque sui vindex. setoso tegmen amictu*
*Asperat obstrictos artus, aut ærea nectit*
*Vinclorum series, cinctuq. volubile ferrum.*
*Assistunt vigiles animi ad commercia Diuûm,*

*Atq. oculis sera suus est prouentus ab hora :*
*Sternit humi fessos durus sopor. agger arenæ*
*Ceruici, vel scabra silex supposta iacenti.*
*Quamquam hyemes inter gelidas, lucumq. niualem*
*Fagina rimosos texunt virgulta penates,*
*Debile Rhiphæo tectis munimen ab Euro.*
*Nec petit à mensis victum tam nobile robur.*
*Sat vigor ille animæ: satis vna est cura, litato*
*Sæpe Deo vesci: veniunt largo vbere vires.*
*Tale genus terris melior quondam attulit ætas*
*Magnanimos heroas, amantesq. ardua rerum*
*Omnia, nunc Cæli proceres, & numina nostra.*
*Atq. illis tum nulla quidem iactura dierum,*
*Nec labor indictam solitus contemnere legem.*
*At quid inexpertum gaudi? quæue irrita vota?*
*His morem vt gereret, reuoluta est orbita fati;*
*Et stupefacta nouum didicit natura regressum.*
*Nam tumuli peperere animas, & reddita cælo*
*Afflauère auræ rediuiuam in corpora lucem.*

Cùm hæc Poëta contexeret, nec dum reuocasset ad limam; mors cœptis interuenit.



# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV CARMINVM

## *LIBER SECVNDVS.*

### ECLOGA I.

*CORYDON.*

### Argumentum

Schema paſtorale religioſi hominis, vota nuncupantis.



*Eſtus erat. gelidæ Corydon Sirenis ad amnem*
*Inter odoratum viridi ſub tegmine lucum*
*Sederat, aërij quà frondea culta ſuſurri,*
*Et ſyluas agit ira leues ludicra Fauoni.*
*Hic ille arboream iuſſum pecus ire ſub vmbram*
*Dum procul obſeruat; gracili ſic cæpit auena.*
*Flatis io Zephyri. en placidum dat Sirius æſtum,*

*Et nemus arguto certatim aßibilat Euro.*
*Hîc precor, has inter corylos, hæc ponè frementum*
*Murmura Naïadum, nostræ considite Musæ.*
*Hîc memori mecum repetam mea gaudia cantu,*
*Gaudia, quæ Superûm sacris è fontibus hausi*
*Mane, salutatum supplex dum Numen adoro,*
*Et pia tergeminis veneror donaria votis.*
*Vos auræ, Zephyriq; & frigore dulcis opaco,*
*Quæ fessis æstiuam hyemem pastoribus afflas,*
*Ripa, fremens antris, & arundine rauca sonora;*
*Vos vmbræ, vos vda gelu caua saxa liquenti,*
*Oraq; muscoso lambis quæ flumina limbo;*
*Quæq. sacro nemori, quæ conscia Naïas vmbris,*
*Stillantes gelidis è rupibus elicis imbres;*
*Vos liquidi fontes, & quæ sata florea circum,*
*Et platani, & pinus, & odoriferæ cyparißi,*
*Æoliæq. animæ, quæ florea culta flabello*
*Verritis aërio, & dulces animatis odores,*
*Et suaue algentes auras accitis ab antris;*
*Audite (ò si qua est vobis aurita voluptas)*
*Audite hæc mea vota, sacras quæ nuper ad aras*
*Concilio Diuûm in medio, cùm primus adesset*
*Cælipotens, nec vota semel meditata quotannis,*
*Numinis æterni facilem modulabor ad aurem.*

*Numen*

*Numen, erat nec fallor: erant cum Numine Diuûm*
*Millia, quot magni numerat gens omnis Olympi.*
*Stabant affuso circum sacraria cœtu.*
*Non illi Aßyrios fumos, nec pinguis acerræ*
*Munera, nec festo solennia dædala cultu,*
*Nec fuluum ardorem rutili, qui plurimus, auri,*
*Aut noua Seriadum, totam quæ texta per ædem,*
*Aspectare auidi, sed tantùm audire parati.*
*O ego quæ cecini! si nunc memor illa renarres*
*Musa mihi, & tantum iubeas hanc discere syluam;*
*Non magis Ismarias fidicen Rhodopeius alnos,*
*Nec magis Amphion Aracynthi saxa canendo*
*Mulceat, aut Pindi collem crinitus Apollo.*
*O quis eram, cum præda fui votiua Tonanti,*
*Plurimus vnde animo Deus incidit! ò mihi quantùm*
*Exiliere per ima noui præcordia sensus!*
*Ibam, vrgente Deo, cælestibus hostia flammis:*
*Nec sat eram tenero, tantùm ille ardebat, amori.*
*Quantus eram, quantusq; mei pars vltima voti*
*Totus eram. tum prima salus, tum iussa valere*
*Vita mihi. & viuo, sed cælitis altera vitæ*
*Orta dies oculos, & lætior aura reuisit.*
*Alter eram, quàm semper ero. Quàm velle renasci*
*Dulce fuit! tum si qua animo vel cura peculi,*

*Vel mala libertas genij, nec amica pudori,*
*Vel facilis bellare suo pro iure voluntas:*
*Omnia nunc oblita mihi: nec cura superstes*
*Vlla mei; &, quamquam sine me, mea viuit imago.*
*Vt perij! vt viuo! meus ille, nec omine læuo,*
*Ille meus natalis, & altera lucis origo.*
*O ego si numquam voti post immemor huius,*
*Si vitæ tam dulcis amem seruare tenorem,*
*Si me ego contemnam, quantùm me nuper amabam:*
*Fortunæ contemptor ero. non me illa premendo*
*Atterret, vt quondam: non improba fallet amando.*
*O quantùm in caput hoc lusit male sana: nec illam*
*Aut amor allexit simulantem, aut terror abegit.*
*O noua materno sub nomine forma nouercæ.*
*Illa dolum blandos inter meditatur amores:*
*Illecebram dedit exitij, cùm risit, amicis:*
*Illa meo tot opes quondam, tot ouilia Mopso*
*Abstulit, & misero tantum pecus Alphesibœo.*
*Et nunc ille quidem pecoris parere magistro*
*Cogitur: hic parua vendit mercede laborem.*
*At mihi ne tales vlla experientia casus*
*Inferat (vna æquè sors imperat) ite capellæ,*
*Ite Deo munus: nostram dediscite curam:*
*Ite citæ, mecum ite, pedem si nostis herilem:*

*Vna*

*Vna eademq. Deo nos immolet ara, venite.*
*Si tamen hanc vltra, Superi, me ducitis horam;*
*Et non dum hic ara dignus cruor; en ego vobis*
*Expedio hanc animam, & curarum vincla resoluo.*
*O amor, ò mea cura, meæ modò mentis adulter*
*Ruris amor patrij, & cultu sata pinus auito*
*Ante fores tuguri, patulæq. vmbracula vitis;*
*O patriæ fortuna domus, nec auara laboris*
*Visa mihi, nec opum variarum, & pauperis oti;*
*O nemus, ò cultæ valles, & lena soporis*
*Blanda mei rupes, atq. adsita populus antro;*
*Et saturi spes omnis agri, spes omnis ouilis,*
*Et mala si qua meo quondam imposuistis amori*
*Otia, blanditijs animum venata petulcis,*
*Ite procul: fidei ventum ad diuortia vestræ:*
*Ite Deo desponsa, & iam nihil indiga nostri,*
*Nos quoque nil vestri. pigeat, quàm nostra fuistis,*
*Seruitium in melius iam ceditis. ite perenni*
*Este tholo suspensa mei pro munere voti.*
*Hic amor, hic felix vestri desertor amoris.*
*Venimus optatos vitæ melioris in ortus.*
*Pastor eram, sum factus ouis. iuuat ire sequaci,*
*Quo me cunque vocat custos, ad pascua gressu,*
*Diues opum custos, & quo non alter ouili*

*Curando melior, non dignior alter amari.*
*Os illi quàm dulce coli, quàm dulce videri!*
*Si quid habet mortale, sui sator induit vltro.*
*Rex Superûm pater illi, & nubere nescia mater,*
*Nupta viro, non nupta toro, nec Cypridis igni.*
*Hæc illum ad tuguri paruos nocturna penates*
*Virginea genitrix conceptum reddidit aluo.*
*Iam tum illi pastoris honos, cùm spiritus ori*
*Primus erat. primi pecudum cecinere magistri*
*Nascentem, & nuda in stipula videre iacentem.*
*Omen erat stabulum, & pastori insigne futuro.*
*Ille suo numen pecori, nec gramina quærit*
*Qualia seu nemorum per deuia, seu vada præter*
*Herbida, seu densos inter quæ condita dumos.*
*Nempe alios lucos, alios habet ille recessus*
*Vltra omnes, supraq. vices mutabilis æui.*
*Ver vbi sydereum, & Diuûm cælestia Tempe,*
*Et numquam casura dies, anniq. iuuentus.*
*Huc pastum vocat ille suas, huc ducit ad amnem.*
*Arida non illis æstas metuenda viretis.*
*Viuite cælestes, mea pabula, viuite colles.*
*Non ego Naïadum fontes, aut humida ripæ*
*Antra sequor: non quæ ipse suas ad flumina potum*
*Grynei nemoris custos iubet ire capellas.*

*Et sua sunt Cælo, sua sunt & flumina Diuis.*
*Viuite cælestes, mea pocula, viuite fontes.*
*Lucus habet Dryadas: florentia rura Napæas:*
*Campus & arua Palem: saltus & gramina Faunos:*
*Me plaga, quæ cælo propior, LOIOLIDIS ora*
*Pascit, & æterno Superûm sata rure voluptas.*
*Viuite cælestes, mea pabula, viuite colles.*
*Cypris Acidalium, potent Helicona Camœnæ,*
*Sicelides Cyanen, Nereides Amphitriten.*
*Ibo, & nectareis salientibus ora rigabo,*
*Vnde Deûm felix pleno se fonte voluptas*
*Ingerit, & latè viuacibus influit vndis.*
*Viuite cælestes, mea pocula, viuite fontes.*
*Ite, famem pecori tonso saturate salicto*
*Arcades: aut Hyblæ saltus, aut alta Cythera,*
*Aut Erycis tondete iugum, nec floribus Ennæ*
*Parcite. nos magni saltus lustramus Olympi.*
*Viuite cælestes, mea pabula, viuite colles.*
*Ergo alios fontes, & flumina siccifer haurit*
*Sirius, aut sæuo afflatu malus inficit anguis.*
*Corpora quin etiam, & sordentia membra volutant*
*Monticolæ Syluani, & syluigenæ Satyrisci.*
*Viuite cælestes, mea pocula, viuite fontes.*
*Si quis ager Satyris, & amœni gratia ruris;*

*Ilicet afflatus Euri mox illa tepentis,*
*Aut iras timet hybernas, aut vere caduco*
*Sole sub ardenti morientibus æstuat herbis.*
*Viuite cælestes, mea pabula, viuite colles.*
*O fuge, qui flumen rapido succedis ab æstu.*
*Hic lacus Æthiopes (fuge ripam) hæc Salmacis vnda.*
*Idem vtroque venit cum flumine potus amaror;*
*Atq. obscæna lues toto se fonte propinat.*
*O mihi quæ Cæli viuo liquet vbere lympha!*
*Pota licet semper, semper iucunda sitiri.*
*Viuite cælestes, mea pocula, viuite fontes.*
*O gregis immundi soboles sata gramine Circes,*
*Mortales ò molle pecus! vos lecta Cytæis*
*Oblectant aconita iugis, aut arua cicutæ,*
*Aut risum factura malo sardoa veneno.*
*Viuite felices, mea pabula, viuite colles.*
*Este procul fluuio, miseri: malè creditur vndæ.*
*Vidi ego se vestris immittere fontibus apros,*
*Et pecudes graueolentis haræ. ne pocula vestra*
*Insidiosa siti, ne fœdam haurite paludem.*
*Me sua, me socium poscunt ad flumina Diui.*
*Viuite cælestes, mea pocula, viuite fontes.*
*Hiccine sum felix? breuis hinc suspectus Olympi.*
*En vbi diuini pubes gregis, æmula lusu*

*Nunc*

*Nunc venit ad fontes, nunc adsilit ardua colles.*
*Aspice oues, canosq. vaga niue velleris agnos,*
*Sydereo frontem implicitos gestire corymbo.*
*Quiq. inter medios semper noua gaudia cœtus*
*Miscet, & amplexu nunc hos, nunc accipit illos;*
*Hic mihi pastor, hic est. semper riualibus illis*
*Dulcis hic audiri, dulcis mihi pastor amari.*

## Octauio Aquauiuo Cardinali Pastorum Parenti Optatissimo

*PASTORALIA*

**Scripta, editaq; cùm Neapolitanus Archiepiscopus recenter factus, Neapolitanum Societatis Iesu collegium adiens, sua præsentia honestauit.**


### ECLOGA II.

*SIREN.*

## Argumentum

Parthenopæ adhuc extinctum Præsulem Alphonsum Gesualdum Cardinalem deploranti, subita lætitia ex aduentu

noui Præsulis, Octauij Aquauiui Cardinalis oboritur. Per Corydonem, Cardinalem Gesualdum; per Daphnidem, Cardin. Aquauiuum intelligit.



*Orte suam lacrymans iuxta Crateridæ Siren,*
*Maternum auxilio numen, Diuosq. vocabat*
*Littoreos: solaq. sedens sub rupe canebat.*
*Immitis fortuna, nihil mea gaudia curas,*
*Nil gemitus, nil & mæsti suspiria cordis,*
*Et genus, & sanctos Diuæ Sirenis amores.*
*Tam fidei secura tuæ! tam nescia nostræ!*
*Nescia tam nostri misereri, nescia flecti!*
*Surda licet, poteras auritas vincere cautes,*
*Quas quondam Ismariæ cantus traxere Camœnæ.*
*Hac ego (si dubio quicquam experientia vero*
*Vlla fauet) sum laude prior, sum denique Siren.*
*Mene tuo indignam obsequio! me munere tali!*
*Nil fletus meruisse meos! nil vota meorum!*
*Nil valeant (esto) gemitus, votiuaq. dona,*
*Nil pietas, nil & meriti fiducia nostri:*

At

*At cithara nihil, ò Superi, nil carmine Siren,*
*Carmine nil Siren potui! nil numine plectri!*
*Crudelis, quo tantùm aures adamante rigescunt!*
*Vsque adeo quæsisse mei te funera Regni!*
*Quo raptum Corydona dolo, qua perfida tantum*
*Ausa manu, quò sæua meum Corydona vocabas,*
*Cùm gemerem, ò Corydon, quà te suprema sequentem*
*Fata sequar? qua te, Corydon, regione requiram?*
*Nunc mea quò tantos rumpant præcordia luctus?*
*Heu quibus hanc vocem cogor temerare querelis*
*Nata Deûm curas cantu lenire soporo,*
*Et mea vel refugas ad littora vertere puppes!*
*Vos pelagi Diui, pelagi miserescite Diuæ.*
*O flammis fraterne meis pontum ingere Nereu;*
*Ni pontus timet ipse rogis arescere tantis.*
*Vos auræ, Coriq. leues, quibus ira profundi*
*Militat, ò cæli ludibria sæua minacis,*
*Abripite hãc animã; nisi tãtam hanc pectoris Ætnam,*
*Et tantam Æoliam, & tantas cum flamine flammas*
*Vestra timet, tantamq. horret fiducia pugnam.*
*Cedite, dum spirant mea pectora, cedite Cori.*
*Singultus Acheronte mei rumpuntur ab imo;*
*Dum mihi tempestas curarum hæc incubat altis*
*Sensibus, irrumpuntq; acres præcordia morsus.*

*Ite Dicarchææ, mea quondam regna, capellæ:*
*Quærite desertos vestrum Corydona per agros.*
*Ante meum Coridona, mei nunc funus amoris.*
*An Corydon vitam fatis, an debuit astris?*
*Pastorum Rex ille suis ab ouilibus agnos*
*Aspiciens, teneris cum matribus exilientes,*
*Adsiluisse animo sub conifera cyparisso*
*Visus, & aspectu, & dulci arrisisse cachinno.*
*O Corydon, ipsa hæc arguta fronde cupressus,*
*Ipsi te, Corydon, Zephyri (lætissima quondam*
*Murmura, nunc mæsti tantùm suspiria cæli)*
*Sæpe gemunt, notasq. petunt iratius alnos.*
*Credo equidem, spirare leues tua funera Coros.*
*Cedite, dum spirant mea pectora, cedite Cori.*
*Et vos æterno lacrymarum vndantia riuo*
*Lumina, si vobis pietas hos elicit imbres;*
*Vincite littoreos, mea lumina, vincite fluctus.*
*Has meus, has Corydon lacrymas, hæc funera poscit.*
*Pastorum pater ille, meo de littore nuper*
*Cùm numerum pendere suo de rupe Vesæui*
*Cerneret; hac mecum sua gaudia lusit arena.*
*O Corydon, ipsa hæc mecum te littora lugent,*
*Littora, quæ lacrymas voluunt, non amplius vndas.*
*Vincite littoreos, mea lumina, vincite fluctus.*

Lenes mores, ac mite Gesualdi Cardinalis ingenium morata oratione significat.

*Fallor*

*Fallor, an incerti mihi vertitur alea fati?*
*Vertitur; & lætum hæc aliquid prænunciat ales.*
*Auspicio fauet ille nitor, fauet ille volatus.*
*En alis vt dulce canens plaudentibus auram*
*Circinat, & longos supra caput integrat orbes!*
*Daphnis hic est, Daphnis. debent hæc omina Daphnin.*
*Hæc mihi (sic cecinit fatali carmine Proteus)*
*Tessera lætitiæ Cælo demittitur alto,*
*Vnde suum nobis promittunt numina Daphnin.*
*Mittite promissum, mea numina, mittite Daphnin.*
*Daphni, tuum sæuos etiam timuisse leones*
*Aduentum, hæ dudum rupes, hæc arua loquuntur.*
*Te veniente, nouos campis ver afflat honores.*
*Iamq. pecus terrere lupos, iam spernere tygres*
*Incipit, inq. tuos lætum proludit amores.*
*O ades: en quæ te nobis præsagia debent!*
*Mittite promissum mea numina, mittite Daphnin.*
*Quisquis amat Daphnin, sua seruet ouilia pastor.*
*Quisquis amat pastor sua gaudia, Daphnin amabit.*
*Daphni, tuum sumus imperium, tua cura, venito.*
*Rumpe moras, qui rite vicem mihi numinis imples.*
*Te duce, votiuam superis lustramur ad aram;*
*Et superûm Regi pastorum armenta laborant.*
*Auspice te, Campana Ceres pro messe litabit;*

*Pro pecudum fœtu pastor: pro frugibus horti*
*Villicus, Autumni custos pro munere Bacchi.*
*O Superi, si lauta focis placet hostia vestris,*
*Mittite promissum, mea numina, mittite Daphnin.*
*Legifer ille venit pastorum; & legifer illum*
*Ætheris ætherio pro numine præficit aris.*
*Solue pedem (te nostra vocant altaria) Daphni.*
*Sufficies nostris Cæli tu munera votis.*
*Tu quoque nos Cælo, nostri bone fœderis obses,*
*Concilias, Diuûmq. iubes accumbere mensis.*
*Vindice te, si quas tenuere piacula mentes,*
*Si qua suis animos vinclis obstrinxit Erinnys,*
*Soluimur, & rursum patriis transcribimur astris.*
*Vos mihi, ne tantum inuideat vis effera fati,*
*Mittite promissum, mea numina, mittite Daphnin.*
*Cypria tres numerat: numerat Phœbea sorores*
*Turba nouem, Genij Diras, & dulce furentum,*
*Dulce laborantum flamma Parnasside vatum.*
*Dum mihi Daphnis adest; numero gens vtraq. vestro,*
*Pieriedes decimam, Charites me iungite quartam.*
*Daphnidis auspicium est: & me quoq. Mænala quõdã*
*Suspicient, & Acidalius venerabitur amnis.*
*Vos mihi, ne tantum hoc omen spes irrita fallat,*
*Mittite promissum, mea numina, mittite Daphnin.*

*Luce diem retegit Sol vnus; & vnica noctem*
*Cynthia luce tegit: fauet vna vocantibus Arctos*
*Puppibus, & cursum docet æquoris: vnus Olympo.*
*Lucifer: ipse aperit limen clauditq. diei.*
*Daphnis adest? alter Phœbus micat, altera Phœbe,*
*Altera iam Scythici fax ætheris edita nautis:*
*Altera, quæ Phœbi primos accendat Eoos.*
*Ingeminat Cæli flammas, & sydera Daphnis.*
*Mittite promissum, mea numina, mittite Daphnin.*
*Mirabar, quid care tuum Sebethe per amnem,*
*Perq. nemus ripæ, patulæq. per ilicis vmbram*
*Tale genus nullum aspicerem volitare canentum,*
*Quale colit Minci vaga flumina, quale Caystri.*
*Daphnis abest? te, Daphni, nemus, te ruris amores,*
*Te gemebunda vocat materno carmine Siren.*
*En erit, vt tecum viuam, tibi debita mater?*
*Si mea tum quærent Cycneos gaudia cantus;*
*Nec Minci quærenda mihi, nec ripa Caystri.*
*Ite meæ vestrum Sebethides, ite per amnem.*
*Seu tuba, seu vobis citharæ, seu nablia cordi;*
*Vestras inter oues, & vestros inter olores*
*Ibitis, & patrio dicetis carmine Daphnin.*
*Daphnin ad astra feretis, & is modò venit ab astris.*
*Fallimur, an veniet? iam vos suprema precamur.*

*Mittite promissum, mea numina, mittite Daphnin:*
*Altera (mox veniet) clamat spes: altera (venit)*
*Vel præsentit amor, vel iam data gaudia sentit.*
*Quid monet, ò, subitis Cælum spectabile monstris?*
*Lætitiæ bona signa. ratum precor omen amanti.*
*En quo Parthenope ingeminat solennia fastu!*
*Templa nouos, clamosa nouos dant compita plausus:*
*Dissiliunt clangore Poli, lateq. per vrbem*
*Fulminei iactus, cauaq. æra tonantia flammis*
*Attonitum festo cælum terrore salutant,*
*Et fremitu tecta alta quatit Vulcanus aheno.*
*An tellus ruit? an culmen discedit Olympi?*
*Daphnidis hæc cecinit mihi signa nouissima Proteus.*
*Daphnis io, Daphnis mihi missus ab æthere, Daphnis*
*Iam mea vota vocat, mea munera poscit ad aram.*
*Si fas; muneribus, Superi, vos parcite vestris.*
*Parcite, iam venit, mea parcite numina, Daphnis.*



## ECLOGA III.

# Argumentum.

Sperata, Daphni parente, Pastorum felicitas. Per Daphnim Cardinalis Aquauiuus Præsul, per Pastores Parochi intelliguntur.

*TITYRVS, MOERIS.*



*NDE pedes te Mœri? noui quid ab vrbe Menalcas?*
*Aure venis satura: modò nam digressus ab illo es.*
*Et vidi ridentem illum, & te multa rogantem.*
*M. Risimus, atq. vnà (quod sæpe) reuisimus vrbem.*
*T. Rebar. & hanc affers quanti mercate lacernam,*
*Murice subsuto duplicem, & flammante cucullo?*
*Et quanti mercatus habes ocreate cothurnos?*
*En mihi nuda tegit crudus vestigia pero.*
*Vix hyemem vinco setosæ hoc vellere capræ;*
*Tu cultu formose nouo caue Mœri Lyciscam.*
*Veste sub hac proprio venies male notus ouili.*
*Aut, ne præda tuis venias ignare Molossis,*
*Hic ocreas, hic pone sagum, dum septa reuisis.*

*M. Non mihi degenerem vestes facere Lyciscam,*
*Fronte cothurnata nisi clamem, aut voce sagata.*
*Si tibi (quod rides) solito formosior adsum;*
*Mox oculis ridende meis, age, protinus vrbem*
*Lætus adi. te si quid amas; pete Tityre Daphnin.*

**Per nuptam, Parœciā intellige. suam enim sibi pastorum quisq. parœciam à Card. Aquauiuo Præsule desponderat.**

*T. O nuptæ desponsæ nouæ, quid ab vrbe reportem?*
*Scilicet ære grauis uenio, ceu Mœris, ad vrbem.*
*M. Nulla mihi nupta est, quæ non tibi nupserit vxor.*
*Nec minus ære leuis repeto, quàm Tityrus, vrbem.*
*Nubere iam nostro melior fortuna labori*
*Incipit. excedens iam nos fastidit egestas.*
*Daphnin ego inueni. duo munera Daphnidis hæc sũt,*
*Molle sagum, & leues ocreæ. Cras, inquit, habebis,*
*Quem non lædat hyems, quamuis infesta, galerum.*
*T. Ergo eadem me dona manent! me credere tantum,*
*Et tantum sperare iubes! nisi luseris augur,*
*Non erit augurij merces, quam ludere poßis.*
*Nunc etiam (fuerim licet omine lusus amico)*
*Accipe, quam nuper peteres cùm sæpe, cicutam*
*(Ludus amicitiæ fuerit nunc ille) negaui.*
*Si verum experiar quicquid tua gaudia cantant;*
*Agnum nostra tibi debet fœtura, vel hædum.*
*Nunc, aliud tu si quid habes à Daphnide, narra.*
*Pastorum pater ille. quid hoc quoq. nomine dignum?*

Ecquis

*Ecquis amor nostri? & pecoris quæ cura tuendi?*
M.*Si quid habent Charites, si quid fors vlla, quod optes*
*Tytire; Daphnis habet. nec te mea gaudia fallunt.*
*Ille, salutatum cùm vix à limine primo*
*Ingrederer, gremio procul assiliente cucurrit.*
*An reliquos memorem, quos experieris, amores?*
*Secum multa loqui, secum discumbere iussum,*
*Hac me veste nouum dimisit, vt ante Menalcam.*
*Mœri, meum cor, ait, mea si tibi gaudia curæ;*
*Sit tibi cura gregis. satis hæc iam limina nosti.*
*Sæpe domum repetas (nosti quoq. Daphnin) & vna*
*Te nisi cura ouium; ne te altera cura moretur.*
*Quid factum pecori? quot habet fœtura gemellos?*
*Quàm vigilans, quàm fida canum custodia? narra.*
*Sufficiam, quos ipse voles, ad pabula sumptus.*
T.*Mortua iamdudum nobis fortuna reuixit.*
*Deprecor ò, si qua mortem pro sorte precabar.*
*Sæpe diem hanc nobis, nisi fors inopina fuisset,*
*Insolitos ouium memini prædicere lusus.*
*Sæpe serenato prædixit ab æthere cornix.*
*Fortunata dies. ergo mea rura videbo*
*Libera seruitio, geminum quæ pignus ademit*
*Pro miseri gregis auxilio, pro fœnere victus:*
*Nec versura iuuat totum mutata per annum.*

Cardinalis Aquauiui in sua diœcesi regenda comitatem, liberalitatéq; in tuenda vigilantiam latenter innuit.

*Tityre, si tantùm superat tua vota voluptas;*
*Baccare quo frontem, qua vinxeris ægide pectus,*
*Ne fortuna suum inuideat tibi lubrica munus?*
*Sæpe quod vna dedit, manus eripit altera fati.*
*Quicquid erit, numeranda suo sunt tempora censu.*
*Carpe diem, quæ sera venit, modò nata senescit.*
*Nunc sere: nunc spera messem: nunc Tityre vitem*
*Felix pone tibi. non auferet omnia fœnus.*
*Quale lupus pecori monstrum, mihi tale videri*
*Sæpius accedens ad ouilia creditor Attys.*
*Ille moram vsuræ rapto mihi fœnerat agno.*
*Pro quo sæpe venit virgatus ab vrbe satelles,*
*Atq. adimit, quantum toto prouenerat anno.*
*Carceris effugium furto mihi mutat in horas*
*Atty, meum posthac nihil est, quod ouile reuisas.*
*Ludite (cras redimam noua pascua) ludite matres.*
*Carpite iam saltus (mea sunt ea rura) Veseuos.*
*Non ego vos posthac medio in torrente videbo,*
*Cum tonat, & seuus pluuium mare torquet Orion.*
*Nunc mihi, quæ numerum capiant, magalia sunto,*
*Roboribus textis turritum extructa cacumen,*
*Et culmo suffulta leui, fœnoq. tepenti.*
*Lude pecus: clausa posthac hyemabis in aula.*
*Sylua rogos etiam nobis Baiana laborat.*

*Pinea*

*Pinea Lubrensis mihi cæditur ora Mineruæ.*
*Omnia nocturnis cingemus ouilia flammis.*
*Nunc hyemem ridete, lupos ridete capellæ.*
*Quin ego, dum non est aliena pecunia curæ,*
*Diues alam catulos, quorum attonet ira leones.*
*Antra mihi Campana procul, procul arua latrabũt.*
*Primus erit custos niger Vmber, & aure repanda,*
*Labraq. rostratus turgentia, lumina toruus:*
*Altera voce ferox, atq. ignea nare Libystis:*
*Nec dabit imbelles Thule mihi fida molossos.*
*Ite meæ pastum sine me, procul ite capellæ.*
*Mæri (nec inuideo) quæ gaudia Tityrus optat,*
*Iam securus habes: habeas meliora precabor.*
*Ne tua causentur culpam præsagia nostram,*
*Cras veniam primi sub lumina Solis ad vrbem.*
M. *Ante leues ergo salient per sydera damæ,*
*Aut annona metet natas in littore fruges,*
*Ante, datis letho fatis, errare videbo*
*Per syluas pecus æquoreum, & syluestre per æquor;*
*Quã cadat è memori posthac mihi pectore Daphnis.*
T. *Ante, mihi pecus vt crescat, lea nupseri hirco,*
*Aut subnixa iugo veniat cum tygride cornix,*
*Ante ferat tritura niues, vel bruma cicadas,*
*Et matutini surgant à vespere Soles;*
*Quàm tibi sit potior, quàm nostro Daphnis amori.*

## ECLOGA IV.

# Argumentum.

Daphnidis aduētu Paſtores tuendi gregis negligētiam execrantur. Per Daphnim Cardinalis Aquauiuus Præſul, per Paſtores Parochi, per Lycoridem negligentia allegoricè innuitur.

*DAMOETAS, CORYDON.*



*D. Aphnis adeſt, Corydon. age, ſi quid arundine mecum*
*Alternare libet (ſumus Arcades) incipe carmen.*
*Te ſequar, & paribus mutabimus orſa Camœnis.*
*C. Daphnis vbi eſt, me cuius amor facit ipſe poëtam?*
*D. Thyrſidis ad caulā numerat pecus. en ſua Damon*
*Septa malus reficit. viden, vt nemus omne pererrat*
*Ante pererratum! caper illum (vt ſæpe) reliquit.*
*Nunc piger inclamat miſſas errare capellas,*
*Sæpe viam relegens. timet ilicet. imminet illi*
*Daphnis, & orba nouo luſtrabit ouilia cenſu.*
*C. Orba, nec ignoro. lupa diripit illa Lycoris.*

*Illi*

*Illi mulget oues, illi malus educat agnos;*
*Nec fraude occulta numerum rarescere sentit.*
*Daphni, malum pecori vis pellere? pelle Lycorin.*
*Illa tibi Damonas adulterat, illa Menalcas.*
*D. Parcius ista tamen, Corydon, clamare memento.*
*Iam tibi clamatam, viden, accipit aure Lycorin.*
*Et procul intento respectat lumine Damon.*
*C. Parcius vt clamem miseræ tot funera caulæ?*
*O tua quantam ouibus peperere silentia cladem!*
*Hoc ego iamdudum contemplor, & ilia rumpor.*
*Et nunc si qua meo veniat medicina dolori;*
*Altius inclamabo, & sydera voce lacessam.*
*Daphni, malũ Arcadiæ vis pellere? pelle Lycorin.*
*Illa rapit pecus, & pecoris rapit illa magistros.*
*En agnos, en vna canes habet illa sequaces.*
*D. Siste fremens animis iactantem insana furorem.*
*Tutius expromes cùm venerit omnia Daphnis.*
*Nunc age præcipiti vocem furare dolori,*
*Et mecum alterna carmen committe Camœna.*
*C. Qui vocat iratos ad carmina, mulgeat hircos.*
*Sponte sua pectus descendit, & ore fatiscit.*
*Cũ Damona rogo, mulctrã vt mihi credat ad horam;*
*Hæc fuge septa, refert; simul vrget in ora Lyciscam.*
*Scilicet hoc faciet, cùm viderit ille Lycorin.*

Dic age, præcipiti vocem furare dolori:
Dic mecum; alterna carmen committe Camœna.
Tityrus aiebat quondam pater. Apta cicutæ
Gaudia sunt, & amor, non ægræ vulnera mentis.
Tu tamen (alternare meis tua gaudia curis
Ni fugis, haud fugio) læto cane carmine Daphnin.
At mea cantando licet allatret ira Lycorin:
Sic canibus balare solent latrantibus agni.
Altera læta quidem, vox tutior altera caulæ.
D. Carminibus sacras latrando ducimus horas.
Ordiar ipse; vices referes alterna per æquas.

PIERIDES animate meas ad carmina voces.
Munera dat nobis: quæ Daphnidi verba repēdam?
C. Ardeo latrator pastorum ad Daphnidis aurem.
Fortius vt nitar, mihi vocem armabit Apollo.
D. Læta canit pecori, quisquis monet ante magistros.
Daphnis adest: afferte pecus, date munera mulctræ.
C. Tuta sonat pecori, si quis procul intonet ardor,
Daphnis adest: procul ite Lycorides, ite Neæræ.
D. Nil timeam, quisquis mea lustret ouilia censor.
Spem superat, nostrum superat fœtura laborem.
C. Scilicet vlla mihi faciat censura pudorem!
Nulla mihi est, binos quæ non alat vbere fœtus.

D. Pa-

D. Pascua sunt conducta mihi prope flumen Abellæ,
Subdita sylvoso mihi pascitur ora Vesevo.
C. Et mihi quicquid habet Sebethidis unda salicti,
Pastori pecus, & pecori quoq. gramen abundat.
D. Tres Maurita lupos iugulat mihi fida quotannis,
Latrantum Regina: nec aduocat illa sodales.
C. At catulis lustrata meis tonat ora Dicarchi.
Quid facient, cùm dente feros amauerit ætas?
D. A grege ditescunt alij: nil cætera curant.
At mihi sola gregis custodia, nulla peculi.
C. Haurit opes etiam pecoris mihi cura paternas:
Nec mea venturo quicquam spes fœnerat anno.
D. Nō me vnquā ad Satyros, & Oreadas vlla voluptas
Allicit. hic alijs lusus pastoribus esto.
C. At mihi ludus hic est, nudo sub sydere brumam
Ducere per noctem, & cælum superare ferendo.
D. Et domitus Boreas, & hyems vigilata canendo,
Damœtam erudijt nocturnam horrere quietem.
C. Et Corydona quies numquam furata labori,
Paruit excubijs; nec lumina nocte fefellit.
D. Tuta mihi sit caula, licet latrante Megæra,
Quæ pecori, nostroq. cauet sine fraude sopori.
C. Et meus horrendum latrans licet æthera quasset
Cerberus, & somnos vltro defendat heriles.

D. Cernis, vt insuetum ludunt cum matribus agni!
Omine venturum gaudent præcurrere Daphnin.
C. Ad mea lasciui proludunt gaudia venti.
Sæpe mihi argutas Daphnin sonuere per alnos.
D. At mihi, cum veniet, duo credet ouilia Daphnis.
Hoc sperare dedit. nuper sic dixit Amyntæ.
C. At mihi quæ dixit! quæ scilicet autor Amyntas
Rettulit, an quæ animo testis mea nunciat auris?
D. O Superi, numquam vestris mea deficit aris
Victima. vos grato numerum suppletis ouili.
C. Diuini latices, quos haurit ab æthere Daphnis,
Sæpe meos lustrant (& me quoque sæpius) agnos.
D. Lustralem ad fontem veniat cur vlla mearum?
Ægra mihi nulla est: nunquam noua pabula desunt.
C. Irrita spes, numquam balantum ægrescere pubem.
Ægra quidem cura est interdum, aut sera medendi.
D. An Deus hoc aliquis cecinit, non error amoris?
Viderit hæc melius, cùm venerit, omnia Daphnis.



## ECLOGA V.

# Argumentum.

Sollicitì paſtores bona cum ſpe cenſum gregis expectant. Per paſtores, Parochos; per Daphnim, Cardinalem Aquauiuum Præſulem intellige.

*MELIBOEVS, THYRSIS.*



*Nde tibi tam pingue pecus? quo gramine Thyrſi?*
*Pendula vix ſaturæ portant ex vbera matres.*
*Aſt ouibus quæ Dira meis exulcerat artus?*
*Multa gregem vereor ne copia faſcinet herbæ;*
*Id mea, quod timeam, paſcendi cura reliquit.*
*T. At tibi deſertæ quò paſtum iuere capellæ?*
*M. Nempe illas mihi nota canum cuſtodia ſeruat:*
*Nec meus interea ceſſat labor. imus ad amnem:*
*Aut metimus ſalices, aut ſtringimus arbore frōdes:*
*Caulam inſtauramus: venturæ robora brumæ*
*Cædimus: aut tenui fiſcellam ordimur hibiſco:*
*Aut operi legimus iuncos, aut textile vimen.*

T. Non operi nostro fidus labor, ire per amnem,
Perq. nemus; dum sola gemunt ad septa capellæ,
Aut cane pascuntur per deuia rura magistro.
Ipsum oculis, ipsum pastorem, astuq. sequaci
Pascere oportet oues, pascendo stringere frondes;
Aut salicem fluuijs, aut vimina quærere syluis.
An mihi nec frondes, nec iuncea fila leguntur?
Accedit tua cura meo sine fraude labori.
Pascimus ad flumen: tondetur falce salictum:
Ducimus ad syluas: folijs frondator abundo.
Cùm nemorosa sequor; mihi iuncea sylua paratur.
Interea nusquam curas, aut lumina verto,
Ne mihi grex, aut hircus inobseruabilis erret.
Quid sortem incusas frustra, Melibœe, vel herbam?
Ipse suo, si vult, pastor pecus ore saginat.
Si qua mihi herbosos inter deerrauerit agros,
Protinus accersita redit. quòd si qua moretur
Longius; illam oculis, illam sequor alite cursu.
Hæc humeris imposta meis, tam sæua teneri,
Ter me hodie (quòd sæpe solet, cùm lumina torsi)
Per dubium nemus elusit fugitiua sequacem.
Est ouium dolus ipse dolo vincendus amoris.
Hac mihi semper oues solitæ pinguescere cura.
M. Instar habet minimum nostræ tua cura Libyssæ.

Illa

*Illa mihi (si forte meas malus abstulit error)*
*Latrantum Alecto procul aduocat: illa reductas*
*Ad me adigit, nũc voce ꝑmens, nũc verbere caudæ.*
*Qualis agit deserta reos ad iura satelles.*
*T. O Melibœe, tuæ nimium ne crede Libyssæ.*
*Illa tibi errantes nuper dum quæreret hædos*
*Diuersa regione duos; an scilicet ambos*
*Rettulit? an (quod ego ingemui) lupus abstulit vnũ?*
*Scilicet audisti clamantem ad sydera Thyrsin,*
*Cũ procul (ad ripam, ad ripam Melibœe) tonarem:*
*Et propius te voce monens clamabat Amyntas.*
*Coge tuas Melibœe, tuis Melibœe caueto:*
*Falle via profugum (rapto fugit improbus hædo)*
*Claude fugã: præuerte vadũ: iam venit ad amnem.*
*Nos longam ad ripam supraq; infraq. frementes*
*Terruimus medium, & diuortia nota petentem.*
*Si tum præriperes Sebethidis illa propinquæ*
*Saxa citus, cursu quà se impedit vnda vadoso;*
*Nil erat effugij. iacta, Melibœe, Libyssam.*
*M. Quid facerem? tunc forte alius vestigia furtim,*
*Verterat ad corylos, hirco prædator adempto.*
*Hunc procul à fluuio refugum in diuersa sequebar;*
*Cùm simul (ad ripam, ad ripam Melibœe) tonabat.*
*Hinc mihi vir gregis, hinc raptus gregis occidit in-*

 *(sans.*

*Scilicet hanc peperit paſtoris inertia cladem.*
*Hos mihi (quod timui) viſa eſt portendere luctus*
*Mane gemens Maurita latratibus interruptis.*
*Quod genus hoc ouium ſors ò mihi ſæua dediſti!*
*Non centum excubiæ nobis, non lumina centum*
*Sufficerent. vnam obſeruo ſimul altera furtim*
*Auolat: hanc ſequimur fugiẽtem: amiſimus omnes.*
*Atq. vtinam fœtura vicem pro clade reponat.*
*Parturiunt aliæ fœtus, gentemq. petulcam.*
*Nil pariunt, niſi damna meæ. ſpes ſi qua futuræ*
*Prolis erat; ſæpe hanc turpi fruſtrantur abortu.*
*Et quibus ad partum tempus maturuit, illis*
*Neſcio quæ tabes, quæue vbera ſiccet egeſtas.*
Z. *At ſcio, quæ tabes, & quæ vbera ſiccet egeſtas.*
*Sunt tibi centeni catuli, totidemq. catellæ,*
*Plena quibus non vlla ſatis ſunt vbera matrum.*
*Illi haurire tuas vltro didicere capellas,*
*Atq. illos didicere tuæ lactare capellæ.*
*Et potes hanc generi balantum inducere peſtem?*
*Vnam ego lactantum vidi, Melibœe, tuarum,*
*Suppoſitum gemio catulum dum fouit, & vltro*
*Maternam indigno curam ſuffecit alumno.*
*Hoc alias credam exemplo tabeſcere matres.*
*Altera ſæpe creant ouibus ieiunia tabem,*

*Quæ*

*Quæ miseros nescire docet solertia lucri.*

*M.O miserũ Melibœum. etiam hãc da noscere pestem,*
*Ni caput hæc pulsare meum fortuna remittat:*
*Hoc mihi, cùm veniet censurus ouilia Daphnis,*
*Excutiam ceruice iugum, molemq. laboris.*
*Sat mihi quæsitum, fluxæ quo libera vitæ*
*Otia sustentem, atq. immune tyrannidis æuum.*
*Seruitio tandem tanto me exire licebit.*
*Sat pressere meas aliena pericula curas.*
*Tu modò, quæ sint hæc ouium ieiunia, narra,*
*Quæ nescire docet lucri vesana cupido*

*T.Dic Melibœe, gregem quoties tibi mulget in horas*
*Turpis amor lucri? repetas ne venditor vrbem*
*Merce leuis, neu plena sonet manus ære, sed auro:*
*Mentitor, an bis mane reples, bis vespere mulctrã?*
*Præterea caris (neq. enim non omnia dicam)*
*Mulgetur pecus agnatis, mulgetur amicis.*
*Hos pecori, Melibœe, nothos arcere memento;*
*Vt materna tuos educant pectora fœtus.*
*Largius Oceano nullum gregis vber abundat.*

*M.Scilicet exhaustum pecus est, cùm munera lactis*
*Parua dedi aut fato caris, aut sanguine iunctis:*
*Si nihil è mulctra mittam venale per vrbem;*
*Quæ fuerit merces operi, quæ præmia nostro?*

T. *Quid maciem mirare gregis? quid funera prolis,*
*Iudicio damnate tuo? quæ præmia porro?*
*Quàm longo mercedem operi tua cura laborat.*
*Hoc ipsum, admonuit nuper cũ Daphnis Amyntã,*
*Ipse sibi merces labor est pastoribus, inquit.*
*Cumq. illi offerrem gratæ munuscula mulctræ;*
*Tantum ouium teneris, inquit, furaris alumnis?*
*Ne pecori succum, precor, elice. debitus agnis*
*Hic quoq. sanguis erat. maciẽ noua frigora lædent.*

Cardinalem Aquauiuum commendat, munera respuentem, & omni abhorrentem lucro.

M. *Ergo affate prius Daphnin me sæue latebas?*
*Daphnidis obscura in fama spem fiximus. at tu,*
*Cui magis explorata mei fortuna pericli,*
*Quid sperare dabis desperato Melibœo?*

T. *Me nisi fortunæ facies hæc prima fefellit;*
*Nil quod ames vltra, nihil est quod numina poscas.*
*Nempe mares animos pastorum, & nobile pectus*
*Dispicit: ingenuos amplectitur: odit auaros.*
*Numinis interpres pecori dat iura tuendo,*
*Et docet insuetas & munere prouocat artes.*
*Quid, modò cùm venit numerũ explorare mearum?*
*Vt refugas mulcebat oues! vt ad oscula tardas*
*Accibat florente thymo, vel fronde salicti!*
*Cùm semel appressos gremio vix poneret agnos;*
*Vt blandis fœtas, blandis amplexibus ægras*

*Incum-*

*Incumbens toto ille sinu, toto ore fouebat!*
*M.O noua fortunæ (iam surgere tempus) origo.*
*O desponsa meo (tuus hic natalis) amori.*
*At tua montiuagæ redeunt ad septa capellæ.*
*Sublato iam fasce, domum redit ecce Palæmon.*
*Qua mihi lætitia claudis, bone vesper, Olympum!*
*Ite mei, vester venit Hesperus, ite dolores.*

## ECLOGA VI.

# Argumentum.

Lustrandi gregis diligentia. Per Pastores, Parochos; per Daphnim, Cardinalem Aquauiuum Præsulem intellige.

*MENALCAS, TITYRVS.*



*Ityre coge pecus. tua lustrat ouilia Daphnis.*
*T. Non mea, sed Lycidæ. viden, vt mea præterit, & iam*
*Nuncius accersit Lycidam, qui pascit ad amnem!*
*Aspicis, vt tuguri monet illum ad limina Daphnis!*
*En Lycidas vt cogit oues iam fasce relicto.*

*Quem modò vincibat cæsis ex ilice ramis.*
*Infelix Lycida, quo nunc censebere vultu?*
*Ah piger, vt raro miserum pecus agmine ducit*
*Ipse sibi numerum cura populatus inerti!*
*En quota pars illa est commissi nuper ouilis!*
M.*Ergo iterum Lycidæ census venit! ille suarum*
*Præ numero iactat nobis illudere Daphnin,*
*Et sibi censendi munus promittere nostri.*
T.*Scilicet imperium Lycidæ subeamus, & iras?*
*Ipsa dolis Lycidæ vires fortuna ministrat,*
*Nunc tamen infidè. reliquos censere parabat.*
*An magis ipse nouo pecoris parere magistro*
*Iussus, ad ingenium senior puerile redibit?*
M.*Ergo aliquis Lycidæ fraudum contingit abortus?*
*Fare dolum. nam sæpe mihi censum ille minatur.*
*Da quod ego obtrudam, si forte minabitur vltra.*
T.*Et potes inter nos tantum nescire Menalca?*
*Accipe, quod Lycidæ posthac obtrudere possis.*
*Ille quidem hoc aurem censu perculsus iniquam,*
*Multos ante dies affari sæpe Myconem,*
*Pollicitis vrgere negantem, & fraude proterua;*
*Vt (quoniam censoris amor foret arte parandus,*
*Et decus officij summa cum laude tuendum)*
*Arbitrio pecus omne suo non amplius horam.*

*Crederet, & numero censuram impleret honesto?*
*M. At qua fronte Mycon veteri luctatus amico est?*
*T. Qua canibus catuli, teneris qua matribus agni.*
*Durus ad obsequium flecti luctamine primo,*
*Officij leges, & conscia numina veri*
*Obijcere, & studio iuris nutare iuendi.*
*Sed tamen (vt facile est prodi ius inter amantes)*
*Perpetuis victus precibus pecus omne remisit,*
*Et dedit ad censum numerosam incedere pompam.*
*Nec latuit. dolus ipse suo sub tegmine lucet.*
*Nā simul aggressus numerum describere Daphnis,*
*Ille acie Daphnis natus contendere lynceo,*
*Quattuor agnouit maculosi velleris agnas,*
*Quas etiam in numero, quem viderat ante Myconis,*
*Norat, & obtutu maculas, & signa notarat.*
*Et quamquam sat gnara doli vix lumina damnat,*
*Fœdaq. sese vltro retegit præsentia furti;*
*Abstinuit Lycidam probro percellere tanto*
*Prima tuens, longumq. oculis male credulus hæsit.*
*Et ne voce palam facinus damnaret opertum,*
*Neu foret ingratus, si nil gratatus abiret;*
*Multa pater fando simulans, & multa videndo,*
*Rem tacitus lustrare animo, fraudemq. sagaci*
*Explorare mora, & causando ducere verum.*

Insinuat Cardin. Aquauiui in dignoscendis fraudibus perspicacitatem, & in dissimulandis prudentiam.

*Quin etiam ad lætos vultum componere risus,*
*Et ficto pecori meritas affingere laudes;*
*Vt Lycidæ famam plausu fucaret amico.*
*Hæc inter, multa aspectu gestire benigno,*
*Atq. ouibus primam censûs addicere laudem.*
*Ex illo Lycidæ numerosi nomen ouilis*
*Creuit, & ignaros rerum noua fama fefellit.*
*Post monitus tandem veri, sat conscia Daphnis*
*Esse tibi dixit male tectæ lumina fraudis.*
*Se deprensurum in medijs nil tale putantem*
*Insidijs Lycidam, & pœnas seruare Myconi.*
*Nunc reor ille dolis interuenit. ò, mala tentat*
*Improbus effugia, & quos occulit, irruit astus.*
*Scilicet vt Veneris, etiam sic fraudis amores*
*Qui sequitur dulces, idem experietur amaros.*
*O Lycida, Lycida miseri gregis improbe custos,*
*Si qua tibi nunc cura tui vesane pudoris,*
*Aut fuge cēsorem, aut pecori pecus adde Myconis.*
*En illum ad sese venientem à flumine Daphnis*
*Ire videt mæstum, & rarum gregis agmen agētem.*
*Hinc ego quid fiat Lycidæ (quāquam eminus asto)*
*Aspiciam. tu, si qua tuum capit otia tempus,*
*Hoc mecum in tumulo paulum requiesce Menalca.*
*En pecus ante oculos vallem depascit apricam.*

*M.Vel*

*M.Vel pecus interea pereat; dispendia tanti*
*Nulla putem, quin hoc saturem mihi lumina risu!*
*T.Ergo ades, & (tantum esuriunt si lumina) mecum*
*Aßide. hinc Lycidan oculis epulere, licebit,*
*Venit, io, venit. concurritur. Aspice, vt illum*
*Iam trepidum Daphnis, noua iam responsa parãtem*
*Increpat. en altè assurgens, velut attonitus stat.*
*Vt pecus obstupuit populatum! vt funera caulæ*
*Ingemit! en iacta quantus micat (aspice) dextra!*
*Et femur iratæ percussit verbere palmæ.*
*Scilicet hoc (inquit) pecus est! hæc illa Myconis*
*Turba tui! tantùm potuit te fallere, tantùm*
*Indulgentia nostra, vel importuna priorum*
*Gratia, & obsequio facilis parere potestas!*
*Quis tibi, quis, Lycida, sensus; dum talia Daphnis*
*Ingeminat? quid si tuguri quoque limen adiret?*
*Daphni, nouum Lycidæ latet intra limina crimen.*
*Ingredere, & caulæ tacitos inuise penates,*
*Nullum illic pastoris opus, non textile vimen,*
*Non lectæ pecori frondes, non apta maniplis*
*Gramina, non meßi frutices, aut molle papauer;*
*Sed venabula longa, sed insidiosa plagarum*
*Texta, sed omnigenûm venantibus apta canum vis.*
*Inuenies geminos neruis horrentibus arcus,*

Notat in Cardin. Aquauiuo animarum studium, & in alienis vitijs obiurgandis acrimoniam.

Totus est in describendo Parocho venatore.

*Spiculaq; & picta formosum insigne pharetræ;*
*Prædones etiam aligeros, rostroq. minaces,*
*Et genus, accipitres, generi fatale volantum;*
*Et gladium capulo fulgentem, & flammea bullis*
*Cingula, Sidonio quibus aurum intermicat ostro;*
*Fulmineosq. tubos, & arundine robur ahena*
*Flammiuomum, missoq. tonans lethale metallo.*
*Hic ouium labor, hic miseri prouentus ouilis:*
*Hic Lycidæ vertuntur opes, vertuntur amores.*
*Dum lupus inuigilat pecori, & clam deperit agnos;*
*Ille pharetrata comitum subeunte caterua*
*Vectus eques, multa cane cinctus, & aureus armis,*
*Septa fugit, montesq. procul contendit in altos,*
*Quò gregis alta vocant obliuia, quò rapit acer*
*Vmber iter, cui visus aper dare terga sequaci.*
*Nec minus aucupio indulget cùm Sirius æstum*
*Inchoat, & syluis volucres immittit opacis.*
*Nulla suo se impune Ioui commiserit ales*
*Quà volat è pugno Lycidæ dimissus herili*
*Aërius prædo, & baccas agit ære sonoras.*
*Interea stat caula lupo defensa rapaci.*
*O vtinam hæc alio, nisi me, sciat indice Daphnis.*
*Vltima restabant Lycidæ spectacula. sed iam*
*Prospectum hunc nobis nox inuidet atra, Menalca;*

*Imme-*

*Immoriturq. oculis sera cum luce voluptas.*
*Quin etiam, ne quid desit, quod lumina turbet;*
*Cernis, vt occiduo fundunt se nubila cælo!*
*Ite citæ (pluuiam nox colligit) ite capellæ.*

## ECLOGA VII.

### SICELIS.

# Argumentum.

In Octauij Aquauiui Cardinalis, ac Neapolitani Præsulis dignitate laudanda, Bucolicæ Musæ studium.



*Dde tubam calamo, mea Sicelis, adde Sicano,*
*Dum licet; an posita carmen mutamus auena?*
*Fas etiam in syluis, syluas superare canendo,*
*Cum dici Syluanus amat se Præsule dignum.*
*Pastor habet lituum: syluas dediscite Panes,*
*Et choreis, plausuq. modis subscribite nostris.*
*Nunc mihi, nunc alios sonitus tua murmura voluant;*
*Et mecum hæc faciles itera, Sebethe, per vndas.*
*Altera iam nobis facies illuxit Olympi.*

*Regna nouant Superi terris, & legifer aris*
*Maior adest, sacras rerum cui credit habenas*
*Cælipotens, magnumq. sui dat Numinis instar.*
*Teq. adeo, decus hoc æui, te Præsule tantum*
*Imperium Siren summis accepit ab astris,*
*Et templis Aquauiue nouos indicit honores.*
*Secla renascuntur. Tibi vertitur aurea fati*
*Orbita. fatales ducunt noua pensa sorores.*
*Iamq. repubescens æui Saturnia pubes*
*Flore tuo rediuiua, sua cum Virgine regnat.*
*Te duce cum patrijs noua fœdera iungimus astris.*
*Iamq. Deûm vitam accipimus, Diuisq. videmur*
*Indigetes heroes, & æmula iungimur illis*
*Progenies, magno transcriptum nomen Olympo.*
*Numinis auspicium est. nec spe præsumere tantum*
*Auspice te vetitum. viden, auxiliaribus vndis,*
*Atq. amnis torrente tui nunc agmine misso,*
*Liberius Cæli vitales currere fontes,*
*Et sese vberius nostris immittere terris?*
*Sic, vbi natiuo labens è vertice flumen,*
*Obstructum aggeribus syluarum, atq. obijce vasto,*
*Fluctibus indubitat tumidis, cursumq. moratur.*
*Tum subit auxilio, & fraternum agit agmen aquarum*
*Iuppiter, insurgens pluuij maria ardua cæli.*

Robo-

*Roboraq; & vallos, & acerno culmine moles*
*Oppositas, syluæq. globos proturbat inertes.*
*Dat via vi cursum; & sonitu laxata fragoso*
*Vnda suos iterat lapsus, modò nescia labi.*
*Labere lympha Polo. sunt hic cælestia Tempe,*
*Et platani, & pinus, & cælitis aura Fauoni:*
*Et sitiunt Viuacis Aquæ sata florea riuos.*
*Picta sinum iam vernat humus. Tibi gemmea rident*
*Rura, tuo quæ rore vigent. Tibi ludit odoras*
*Sydereum ver inter opes. lege sydera terris,*
*Cara Deo Siren. hæc te noua gratia ruris,*
*Hæc te, Diua, decet florentis adorea Cæli.*
*Non hic se dumis reseus nitor armat acutis,*
*Nec stirpem graueolentem albentia lilia norunt.*
*Ipse sui Narcissus adest pertæsus amorem,*
*Nec sua deplorans pulla in ferrugine fata.*
*Floricomam hanc Cæli pubem, & ver nobile Diuûm*
*Virgineæ libate manus: date serta per aras.*
*Tuq. aris dominate, tuæ sacer arbiter oræ,*
*Ominibus tantis quæ rerum euenta lacessis!*
*Auspice te, cursum irriguum cælestibus vndis*
*Relligio explicuit septemplicis vbere fontis,*
*Vnde animis potanda salus, diuinaq. vitæ*
*Munera. nec tantum pleno scatet ora Timauo*

*Proxima, nec pleno Nabathæa noualia Nilo.*
Describit septem Ecclesiæ Sacramenta. *Septem aditus, septem ad terras manantis Olympi*
*Fumina conspicio. sed non liquor omnibus vnus,*
*Non eadem cæli virtus, aut forma lauacri.*
*Hic vbi pura liquet natiuo flumine Naias;*
*Infantum genus, & primæ sub lumina vitæ*
*Nata Deo soboles, noxas lustrata paternas*
*Eluit, & sacris renouat natalibus æuum.*
*Verùm antiqua lues, & adhuc mulctanda dolori,*
*Et virus lethale animis, & mortis origo*
*Viuit adhuc: viuunt sceleris primordia tanti;*
*Quæ mutare solum ratibus, quæ fidere Marti,*
*Et Zephyris vitam, & Cererem committere sulcis,*
*Et varijs fatale æuum iactare periclis*
*Mortales adigunt, hausta iam labe parentum.*
*Hinc etiam status hic rerum conterminus Orco;*
*Et patrium tanta Cælum mercede redemptum.*
*Nam quamquam lustrata semel cunabula mentis*
*Abluta contage, nouæ dant munera vitæ,*
*Nec superûm veteres iras, aut arma timemus;*
*Stat sceleri sua pœna. manent etiam altera bella*
*Tartareum contra Regem: sed & altera pugnæ*
*Subsidia è pleno præbet fons alter oliuo.*
*Quo quibus inspersit frontem sacer vnguine pollex,*
*His*

*His tacitum irrorata sui per symbola Numen*
*Illapsum, mentem arcano lenimine mulcet,*
*Iuratamq. suorum aciem, & data nomina Cælo*
*Explorat, signumq. suæ dat habere palæstræ,*
*Diuiniq. animis insignia Martis inurit.*
*Hæc vires vnguenta notant diuinitus auctas,*
*Et faciles ad bella manus, atq. omina palmæ.*
*Quin etiam si quos belli fortuna subegit*
*Vulnera sæua pati, & Stygio succumbere Marti;*
*En alios latices, vnum & commune leuamen.*
*Hîc animæ languentum abluta cæde piantur,*
*Et sua primæuæ repetunt præcordia vires.*
*Nunc age (si qua oculi sitiunt miracula rerum)*
*Aspice surgentem è mediis altaribus amnem*
*Purpureum. Bacchi facies, verùm altera virtus;*
*Altera conuiuis mensæ pars, altera vitæ.*
*En eadem ostentat Cererem simul ara nitentem.*
*Sed non illa Ceres, non gramine nata propago.*
*Numen, io, Numen tali se fonte propinat;*
*Se dapibus verè suppostum apponit aristæ,*
*Et Cererem vultu, & vultu mentitur Iacchum;*
*Nempe suis munus mensæ se præbet vtrumq.*
*Indiscreta, licet discreta videntibus, esca.*
*Viuite felices animæ, quæ plenius haustus*

*Ducitis ætherios; quas vesci Numinis vsus*
*Pascit, agens arcana suas in pectora vires,*
*Et consanguinei mulcet dulcedine sensus*
*Cerno alium, qui culta rigat florentia, riuum.*
*Nil vsquam vberius terris: nec purius aura*
*Vlla liquet. sanctum circa sedet agmen amantum,*
*Atq. omnis genia pubes operata iugali.*
*His lustratus aquis, furias dediscit iniquas,*
*Nec positos vltra fines mouet arma Cupido:*
*Sed tantùm sacro leges fouet igne maritas.*
*Hinc soboles nulla Cyprij cum labe veneni;*
*Et venit ad partus melior Lucina verendos.*
*En vbi fatalis ventum ad confinia lethi;*
*Puniceis duplex salientibus irriguus fons*
*Palladium laticem, & liquentia balsama mittit.*
*Hinc petit extremum auxilium iam proxima fato*
*Progenies: ægros artus hoc vnguine tergent.*
*Hoc miseris vnum summo in discrimine rerum*
*Præsidium dubiæ menti, fessisq. leuamen*
*Viribus. hoc certum pacati Numinis omen.*
*Hoc subit auspicio vitæ melioris origo.*
*Quid fugiunt ad metam oculi? tantumne tuendo*
*Prætereunt? alium viden illo in vertice fontem*
*Collis oliuiferi, & liquentem in fonte Mineruam.*
*Hunc*

*Hunc rorem æternum tacitè labentis oliui*
*Accipit; hac vngit geminas aspergine palmas*
*Alma cohors, magno superûm desponsa Parenti.*
*Atq. hinc fœta Deo vocem, sensumq. feracem*
*Numinis accipiens, partus gerit ore perennes.*
*Hinc Cererem deuotam aris, & mystica fando*
*Vina sacris libare licet; vescumq. Tonantem,*
*Et facilem potu, facili supponere mensæ.*
*Nec prius hoc liceat, quàm tu Dijs proxime Præsul*
*Supplicibus sanctum palmis illeueris vnguen,*
*Et cælestem animis (tantum das posse litando)*
*Spirandi, fandiq. potens afflaueris auram.*
*Ingredere ò tantam terris sortite tiaram,*
*Et trabeam augustam Tyrio flammate Quirino,*
*En quæ lustralem ad fontem te turba precantum*
*Rite manet; vocem ad sacras vt inauguret aras,*
*Et possit mensis epulaudum apponere Numen.*
*Sancte faue; tua cui tantum dat sola potestas,*
*Et Deus hunc tali dignatur munere Cæli.*



## ECLOGA VIII.

# Argumentum.

Daphnidi Regio Hospiti (Cardinalem Aquauiuum intellige) conuiuium apparāt Mopsus emptor, Lycidas coquus, Clinicus famulus.

*LYCIDAS, MOPSVS.*



*Opse, quid obsonamus? an hæc vulgaria mensis*
*Tantùm inferre paras, & Daphnidis illa palato*
*Digna putas, Cererem malè pingui iure liquentem,*
*Aut olidis cimas cum relliquijs laniena?*
*M. Fercula quid memoras nostræ vernacula turbæ?*
*Nos maneant istæc sicci mala pharmaca ventris,*
*Nos, quibus hesternæ semesa putamina mensæ*
*Sæpe eadem redeunt, totum reditura per annum;*
*Et mala quisquilias recoquit quater olla recoctas,*
*Seu lusura famem, seu non læsura crumenam.*
*Sola dapem miseris penuria condit edendi.*
*Daphnis amat meliora: pares meliora necesse est.*
*L. Adij;*

L. *Adijciam meliora, sed ære sonantia multo.*
*Parce minus pretio, si vis meliora parentur.*
M. *Tu modò conuiuis ne quid vulgare labora:*
*Ne legem obserua nostri, moremq. popelli.*
*Nam memini (& seros liceat meminisse nepotes)*
*Vndecimo nuper festas cùm mense kalendas,*
*Annua reddidimus generi solennia nostro;*
*Ille tuus, nobis epulum qui fecit, Amyntas*
*(O turpem & fœda madidum lue iuris Amyntam)*
*Quæ dederit nobis mensæ ludibria, nosti?*
*Apposuit, primos epularum hinc orsus honores,*
*Rustica quos aluit syluis labrusca racemos,*
*Queis malè tum virus natiuum exemerat æstas.*
*Neue foret nullo litus vnguine tantus amaror,*
*Nescio quæ in summa succidia rara patella*
*Candebat, secto veluti sus lubrica tergo,*
*Aut concretus adeps, tenero cùm follis in alueo*
*Fumosam exutus tunicam, niue purior albet.*
*Altera lanx habuit crudis embamma vitellis,*
*Et cum pastillis bubulum Cerealibus assum.*
*Nigra Ceres illis, cribrataq. crate saligna:*
*Pinsa, velut spisso qui torpuit aggere, limus;*
*Inq. alios alio discreta volumine grumos.*
*Tale putem Libycæ genus intractabile glebæ;*

*Mollius argillæ deducat fila subactæ*
*Pistor, & arentem manibus componat arenam.*
*Tantaleam vix illa famem, reor, esca moueret.*
*Tertia pars epulis, vel naribus vltima pestis,*
*Exiguum lecta frustum de fæce macelli.*
*Iuscula quid memorem? si iúscula dicere fas est*
*Pallentem, & nulla stellatam luce saginæ*
*Illuuiem, ceu lota tepens post lina lauacrum.*
*Vltima dona famis, quæ munera prima petebat,*
*Mala duo venere nouis cum frugibus horti,*
*Et super è secto tenuis modò lamina caseo.*
*Regius ille dapum colophon, ea meta pudoris,*
*Dulce cibariolum, quantum ore momorderit ales,*
*Aut parus, aut dumi florem quæ carpit acanthis.*
*Sic sua conuiuas ad prandia poscit Amyntas.*
*Dedecus hoc, oro, soli contingat Amyntæ.*
*Nil hodie mihi tale, nihil mihi vilē labora.*
*Daphnis amat meliora: quid hospite lautius illo?*
*L. Totum opus in pretio est. si vis, meliora parentur.*
*Argento non lauta fames expletur auaro.*
*M. Dij meliora. dapes semper lare coxeris aureo?*
*Munere Thyrsis in hoc multò solertius olim*
*(Da veniam dicto) multò quoque lautius omnes*
*Frugibus è paucis epularum extruxet aceruos.*

*L. Thyr-*

*L. Thyrsidis ingenium, an conuiuia quæris Amyntæ?*
*Frigibus haud multis artem vincemus vtramque.*
*Idem est artis honos, vnum vicisse, vel ambos.*
*Alter ab alterius potuisset imagine fingi.*
*M. At tua nil nobis industria suppleat auri?*
*Nescis, ò Licyda, quantum solertia, quantum*
*Ars valeat, quantum doceat frugalis egestas.*
*L. Nescis, hospitio consulta quid obsit egestas,*
*Atq. dapum solo quantus sapor insit in auro.*
*M. Si tibi nota penus; nihil est, quod plura requiras.*
*Appula sunt tibi mella domi: sunt multa columbis*
*Pignora. dependent totis farcimina tectis,*
*Nolanisq. laboratæ fartoribus offæ.*
*Sunt, quæ Sidonio certent cum murice pernæ.*
*Et medicæ fruges, & quæ pecus vbere pingui*
*Dona tulit, fumo longum durata per annum;*
*Siue ea, quæ Calabri, seu quæ gregis vber Hetrusci,*
*Seu mage Baiani quæ mulctra dedere Menalcæ.*
*Nec fœtura deest mulsæ tibi lactea vaccæ,*
*Pensilis, & pinguem œnophoro simulata per orbem,*
*Vincta caput sparto, iugulumq. obstipa retorto.*
*En quantus tibi septa chorus per operta gracillat!*
*I, cape cristatos vulpes antiqua choragos,*
*Et teneris pingues cum matribus excipe natos.*

*Quid tantas tibi præter opes mea cura ministret?*
*Solus iners versatur inops in rebus opimis.*
*L. Scilicet hæc non ante mihi numerata recenses.*
*Explorare domum primus labor: adde secundas*
*Tu modò diuitias. nunc parcere parcus auro*
*Incipe: nunc toto, dum res petit, vtere censu;*
*Nec tibi commißi exitium mihi finge peculi.*
*M. Tu mihi cum Quæstore domus noua prælia misces.*
*Ille quidem ternis reserat mihi clauibus arcam,*
*Et numerat paucos magnis pro sumptibus asses.*
*Cumq. domum redeo; plus, quàm dedit, exigit æris.*
*Si ferat expensum, leges dat mille, decussem.*
*Sic mala perpetuo certamina ducimus anno.*
*L. Fœdus auaritiæ vestra inter prælia cerno.*
*Nunc, age, Quæstori rumpantur vt ilia Gallo,*
*Seu magis Emptori rumpantur vt ilia Mopso;*
*Carpe viam, & totam quicquid venale per vrbem*
*Videris aut lautum, aut peregrinũ, & Daphnide di-*
*Affer, & in tales pretiũ mihi prodige merces. (gnũ,*
*Regius hospes adest: eme regia munera mensæ.*
*Regia sunt perdix, quam Chaonis arua saginant;*
*Et pictæ Iunonis aues, & Phasidis ales,*
*Quæq. necem cum fæce sua sibi parturit alui,*
*Quæq. rubet pectus, quanquam nõ magna volucris.*

*In tenui sapor est, veluti labor, atq. voluptas.*
*Quin etiam illecebras tardæ famis adde, marinas,*
*Primitias mensæ, conchas, muscoq. virentes,*
*Et quæ piscator viridi legit ostrea Gauro.*
*Regius hospes adest: date regia munera mensis.*
*Regius ille epulis honor est, quæsita Molossis,*
*Et multùm sudata fugæ, sudata pauori*
*Præda, pharetratum quæ sæpe fefellerit hostem.*
*Hoc mihi de genere ingentem mercabere turbam,*
*Nec mala Quæstoris moueant te iussa minacis.*
*Regia tantum absunt, quantum ipse peperceris auro.*
*Regius hospes adest: date regia munera mensis.*
*Nec licet à mensis vnquam regalibus absint*
*Lactentes vitulæ, & tuguri Lubrensis alumnæ.*
*Harum vnam appropera quouis licet ære redēptam.*
*Ilia Quæstori rumpantur, & ilia Mopso.*
*Regius hospes adest: date regia munera mensis.*
*At Regina dapum est, roseos incocta liquores*
*Ambrosia, & lautos Arabum benè pota sapores.*
*Clinice, Pæstani laticem de fronde roseti,*
*Et molitæ florem Cereris, multumq. subactæ*
*Profer, & oryzæ cape lactea liba liquatæ;*
*Et nitidum tunsæ Meleagridis adijce pectus,*
*Et flauentia mella croco florentis Hymetii.*

*Sacchareum largo pollen superingere nimbo,*
*Atq. recens mulsi rorem gregis adde coactum:*
*His congesta super succo lactente redundet*
*Thrasia nux, tunicis candentem exuta medullam,*
*Sed manibus contusa tuis. ego rite vitellos*
*Expediam natu tepidos, & molle recentes.*
*Tu caue de pleno multum libare salino.*
*Regius hospes adest: date Regia munera mensis:*
*Parte alia mordax Arabes piper inter odores*
*Tũde manu, & flauũ tepidis crocon ingere lymphis,*
*Cynnamaq; & sapidum florem spirantis amomi:*
*Mellitæ superet concretus arundinis imber,*
*Indefessa tui quem disterat ira lacerti.*
*Confice, & è varia medicas lege pyxide merces.*
*Has etiam merces Regum conuiuia poscunt*
*Regia noster amat (date regia munera) Daphnis.*
*Regia leucophago laus est. age, Clinice, pubem*
*Aligeram, cristis insignem, & pectore pingui*
*Carpe manu, & cortem celeri populare recursu.*
*Dumq. calent latices, & ahena vndantia flammis;*
*Ingere deplumes pennatæ gentis aceruos.*
*Pectora tum sectis conuelle tenerrima frustis,*
*Viribus extundenda tuis; vt liba coactu*
*Lacteolam solido massam coëuntia sistant.*

Tu

*Tu neruos hic prome tuos. ego sacchar, & vndam*
*Expressam liquente rosa, & reliqua omnia promam.*
*Regius hospes adest: date regia munera mensis.*
*Regificis etiam mensis auiaria prosunt,*
*Et volucrum vario medicata iecuscula mulso,*
*Et bene composito, qualem mihi Medica presso*
*Mala dabunt succo, & grato suaue aspera morsu;*
*Et sapor Eous, totum qui spiret Orontem;*
*Et pressum è calamo nectar glaciale Sicano.*
*Regia noster amat (date regia munera) Daphnis.*
*Partem orsis hanc adde tuis. age, Clinice, totam*
*Verte domum; & tacitos per opaca silentia gressus*
*Ingeminans, volucres plenæ rape cortis alumnos,*
*Palantes de more domi: rape protinus omnes*
*Quos timidæ pascunt fœtus per tecta columbæ.*
*Mox aderit, vel prima domus tenet ostia Mopsus,*
*Collectam aucupio mercem qui portet agresti.*
*Fac vites hanc, Mopse, domum; si ferre recusas*
*Quidquid alit nauo populandus ab aucupe lucus.*
*De genere hoc quæ Daphnis amet, pulmenta parabo.*
*Regius hospes adest (date regia munera) mensis.*
*Oderit hæc Emptor, licet oderit omnia Quæstor.*
*Mensa saginanda est odio Quæstoris, & ira.*
*Verba dedit Lycidæ, Lycidæ data verba dolebit.*

Cùm peterem certos verrinum abdomen in vsus;
Sat tibi truncus, ait, pernæ benè rasus inemptæ,
Aut cutis aruinæ feruentibus indita lymphis.
Hæccine, regales poscunt conuiuia mensæ?
Clinice tu tantam vindex vlciscere fraudem.
I, penoris conuelle fores: rape pendula tecto
Terga, armosq. suum, quæq. vbera gessit opima
Mater haræ, quondam teneros dum fouit alumnos,
Vbera nunc solido tantùum lactentia pingui,
Regia noster amat (date regia munera) Daphnis.
Quòd si dona nouæ venere recentia mulctra
Seu seruata cadis, vel odoriferis calathiscis,
Siue iniecta nouis post prima coagula iuncis,
Seu modò pressa manù, glaciataq. vimine texto,
Seu folijs concreta super, quæ lacteus altè
Sistit adeps, niueum cæli referentia florem:
Carpe manu; & si quid Quæstor vetet ipse, vel Emp-
Ilia Quæstori rumpantur, & ilia Mopso. (tor,
Regius hospes adest: date regia munera mensis.
Fallor, an ante fores immugijt empta iuuencæ.
Filia, Lubrensi stabulis educta Mineruæ?
Appropera, dum molle gemit: rape, Clinice, ferrum:
Fige manu teneram ceruicem, & tergore costas
Exue: cum geminis geminos lege cruribus armos,
Et

*Et faturos pingui lumbos, & molle cerebrum.*
*Hinc mihi frusta seca, possim quæ subdere testæ.*
*Quæq. rotet sparsa pilum versatile pruna,*
*Et quæ triticeæ composita volumine massæ*
*Vulcanus foueat, laterum lare tectus opaco.*

*Regia noster amat (date regia munera) Daphnis.*
*Hæc dapibus suprema tuis venit hostia, Daphni.*
*Daphni, meum venia (non sors famulatur amori,*
*Ars etiam interdum votis malè seruit amantum)*
*At venia tu, Daphni, meum dignare laborem,*
*Si genio quid forte tuo studuisse peperci.*
*Lautitiæ Regum melius seruire nequimus*
*Nos, genus aßuetum nostro dare verba palato.*
*Quin ego, quem tanto hospitio præfecit Apollo,*
*Regia dum volui conuiuia, nulla paraui.*
*Hoc iuuat, hanc artem Phœbo didicisse magistro:*
*Vos, quibus hoc fatum minus obfuit, ite ministri,*
*Regius hospes adest: date regia munera mensis.*



# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV CARMINVM LIBER TERTIVS.



## Maria Magdalena

### Maritimæ iactationi, & exilio exposita.

### ELEGIA I.



*Equoreo gens exilio damnata vagamur,*
*Ilicet insano ludicra præda Noto.*
*Martha soror, nostriq. comes Germane pericli,*
*Et malè tam sæuis credite linter aquis,*
*State animis. videt hæc Cælo meus hospes ab alto:*
*Ille sua nostram diriget arte fugam.*
*Verba salutatis iterate nouissima terris,*
*Dum nondum à profugo lumine littus abest.*
*Ora vale, mihi cara vale, vale inclyta tellus,*
*Lumine, non animo iussa valere meo.*

*Nulla*

*Nulla tui memorem vertent obliuia mentem:*
*Linquimus in gremio gaudia nostra tuo.*
*O Solyme, ò adyta, & sacri penetralia Templi,*
*Et modò tam felix hospite terra Deo,*
*Nunc cæso temerata Deo, deuotaq. Diti,*
*Sed tamen ò Domini sparsa cruore mei,*
*Te ne oculis abiens video discedere nostris?*
*Quæ me indigna tuo distrahit ira sinu!*
*En illic Bethlema, viden soror, illa Sionis,*
*Quæ tot fatidicos Regia vidit auos?*
*En templi turritus apex, en collis oliua*
*Creber, anhelanti conscia sylua Deo.*
*Gethsemani colles, & oliuifer hortule cliuo,*
*Vllane vos animo diuidet hora meo!*
*Ille Deum lucus roseo sudore cruentum*
*Vidit in herboso procubuisse solo.*
*Ille laborantem singultibus, ille gementem*
*Audijt in longas fundere verba preces;*
*Et patris auxilium lacrymosa voce vocantem,*
*Dum trepidum cari funeris vrget amor.*
*Te ne prius potui, quàm me mea vita relinquat,*
*Linquere, tam sacris ora beata iugis!*
*En virides Amani colles, en pinifer Hermon,*
*Et prope floricomo germine culte Sanir.*

*En Libani frondosus apex, en vertice paruo*
*Golgota, sed Domini cæde superba mei.*
*Golgota sat nunquam lacrymis vndantia nostris*
*Accipite ex oculis vltima dona meis.*
*O vtinam tota hæc meriti pro munere fletus*
*Lapsa meis pluerent æquora luminibus.*
*Non ego vos posthac prima cum luce reuisam,*
*Nescia ni sera vertere luce pedem.*
*Ah non illa mei lambam vestigia Christi*
*Vltima, quæ terris, dum subit astra, dedit.*
*Te quoq. diuini templum ferale sepulchri*
*Linquimus, ò sacro sanguine tincte lapis.*
*Hospita lætitiæ, & luctus eadem hospita nostri,*
*Et quondam exanimi nobilis vrna Deo.*
*Tune oculis erepta meis! te ne oscula posthac*
*Non mea conuulso pectore fixa premant!*
*Cùm veniam exilio petij, teq. vltima sensi*
*Discedens animo nectere vincla meo;*
*Sæpe fugam tenui, & cursum simul orsa, recursumq;*
*Haud poteram certo soluere calle pedem.*
*Nam tua supremùm experti retinacula sensus*
*Et reditum, notam dedidicere viam.*
*Digredior, gressuq. moror suspensa retento.*
*Sæpe fugax verto lumina, sæpe redux.*

Tendo

*Tendo aciem, tendo cursum prorsumq; retroq;*
*Visa bifrons oculis, pectore visa bicors.*
*Nullus erat finis redeundi, nullus eundi,*
*Dum secum in dubio tramite pugnat iter.*
*Haret amor: trahit obtutum, trahit oscula marmor;*
*Nec caput absistit vertere cura biceps.*
*Sapius ad terram labris appressa laboro*
*Fundere liquentem cum lacrymis animam.*
*Fudissem, nisi fusa eadem mihi sæpe redisset,*
*Castoreas iterans reddita, rapta vices.*
*Oraq. libato nequicquam inhiantia saxo,*
*Ostia vitai iam fugientis erant.*
*Et vita redeuntis erant: nec sponte redibat*
*Halitus, ex adytis editus ante suis.*
*Ah quoties suprema dedit suspiria pectus,*
*Et fragiles anima dissiluere fores.*
*Vita sed aterna moriendi immortua cura*
*It, redit optatum deuia mortis iter.*
*Tu diuine lapis cupido mihi presse labello,*
*Sæpe dabas animam, quam tibi sæpe dabam.*
*Æternum luctamen erat, dum mortua fletu*
*Laberer, exurgens munere viua tuo.*
*Interea fato (miserum) data præda rapaci*
*Abstrahor, ingratam carpere iussa fugam.*

*Ah fera gens, si vestra Deo non ira pepercit,*
*Non precor exitio parcat vt illa meo.*
*Et laus hæc aliqua est, quòd sic mulctata relegor.*
*Hoc rea sim, perijt quo reus hoste Deus.*
*Nil nisi relligio nostro sub iure laborat,*
*Et solum absoluit curia vestra nefas.*
*O domus Isacidûm, & generis primordia tanti,*
*Quiq. Deum toties demeruere foci:*
*Quò decus imperij, & priscæ pietatis imago,*
*Quò vetus è patrio limine pulsus honos?*
*Munus erat, pulsam vestris me excedere regnis,*
*Ni fuerant nudo regna beata solo.*
*Fortunata solo nimium, quæ Numinis altrix*
*Diuinum excepit terra terenda pedem.*
*Quid loquor? en omnis circum vanescere tellus*
*Incipit. ò quantis fluctibus acta vagor!*
*Clauus abest: fluctu regitur sine lege magistro*
*Debilis, & nullo remige pulsa ratis.*
*Aduocat optatam nullus mihi carabasus auram:*
*Abripiunt vario robur inerme salo.*
*Heu malè compactum robur, cui saucia costis*
*Furtiuo pelagus gutture transtra bibunt.*
*Quaq. libet laxos laterum Neptunus hiatus*
*Influit, & rimis pota redundat hyems.*

Iamq.

*Iamq. procul terris vasto iactamur in alto.*
*Et iocus, & vario naufraga cymba freto.*
*Cærula vel cæli facies, vel cærula ponti*
*Conspirant socijs in mea damna minis.*
*Subsidio terras nequicquam, & littora posco.*
*Nil nisi luminibus fluctus, & aura patet.*
*Aspicio, totoq. aciem procul æquore iacto,*
*Si qua vocet cursus littoris ora meos.*
*I vbi nunc Solymi colles, vel si quà patescit*
*Altius aërijs edita terra iugis.*
*Nil vsquam, nisi vasta Thetis contermina cælo,*
*Et circum æquoreo sydera pulsa sono.*
*Quid cæli seruare faces, & lumina curem?*
*Tu magis ò cæli Rex mihi rector ades.*
*Tu rege me tanto fluctus errore secantem,*
*O vetus hospitijs aduena Diue meis.*
*Hospes eras, idem & rebus mihi sospes in arctis.*
*Tu mihi nunc idem sospes, & hospes ades.*
*O quondam ingreßu nostros dignate penates,*
*Cùm premeret longus languida membra labor.*
*Sæpe reuisebas tu me lare fretus amico:*
*Et fouere tuos oscula nostra pedes.*
*Et Bettana tuos fouere cubilia somnos,*
*Nec dedit ingratas hospita mensa dapes.*

*Hic eadem gens illa sumus fraterq; sororq;*
*Terra, fretum nobis; parua carina, domus.*
*Hoc mihi ne refuge hospitium, sedemq. marinam:*
*Non te illa aula vocat, sed vocat illa gemens.*
*Victe meis quondam lacrymis, & amore secundo*
*O etiam lacrymis illacrymate meis,*
*Cerne tuam in medio trepidam Bettanida ponto,*
*Et facili nostrum numine falle metum.*
*Te mihi maiores memini sedasse procellas,*
*Dum ciet Euripos fœda iuuenta suos.*
*Altera naufragij facies erat, altera mortis,*
*Quam mihi nauifragus dissimulabat amor.*
*Ille suis quondam toties me cladibus actam*
*O quibus obruerat mentis adulter aquis!*
*Et votum mihi dulce fuit, cùm naufraga sensi*
*Aspera collisam tundere saxa ratem.*
*Sponte laborabam rapido sorberier æstu,*
*Et caput hoc tantis contumulasse malis.*
*Tempestatem illam cùm Cypria mouit Erinnys,*
*Ludebam in medio ludia cæca mari.*
*O lusus miserate meos, cæcumq. periclum,*
*Dexter ades: luctus nunc miserare meos.*
*Testor & hospitium, & reuocatum à funere fratrem,*
*Nostra sub auspicijs currere fata tuis.*

*Quid-*

*Quidquid erit; quæcunq. ratem fortuna lacessat:*
*Stat, cadit imperio vitaq; morsq. tuo.*
*Nos antiqua tui fiducia numinis armat.*
*Illa vel in medio gurgite portus erit.*

# Susannæ deliberatio.

Angustiæ sunt mihi vndique. si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Dan.cap.13.

## ELEGIA II.

*Cingimur insidijs. quò te sine testibus vllis*
*Vertis inops, tanta territe fraude, pudor?*
*Vndiq. vis inimica: fugæ non vlla potestas;*
*Ni fuga sit, prompto pectore ferre necem.*
*Ferre neces, & tela parum est. at fama sepultam*
*Quæ subit? & vitam quo canet ore meam?*
*Scilicet infandos aluisse hoc pectus amores?*
*Me tantum hoc sceleri supposuisse caput?*
*Connubij temerasse fidem? fœdaße parentum*
*Nomen, & hac titulos labe notasse meos?*

Spem sanctæ fraudasse domus? fregisse pudori
Fœdera, natiua conciliata fide?
Ergo inter fœdos deprensa Cupidinis ignes
Dicar, & hoc pœnas nomine victa feram.
Furtane me Veneris credent quæsisse nepotes?
Me latus hoc vetito conseruisse viro?
Et tantum Helciaden scelus admisisse puellam:
Vsque adeo mores dedidicisse suos.
Falsa. sed in falsis vera est infamia dictis.
Vertitur hoc falso cardine verus honos.
Nec facto tam fama viget, quàm nomine facti.
Non creat illa viros, at creat ora virûm.
Quò tantum diuersa trahor? quo turbine versor?
Qui mentem Euripus, quæue Charybdis agit?
Prospiciam famæ? pudor interit. anne pudori?
Fama perit. moriar? mortua turpis ero.
Huc amor obtrudit casti me pectoris hospes:
Ne pudor intereat, fama pudoris obit.
Forma malum, quo non aliud crudelius vllum,
Præcipitem quò me tam violenta ruis?
Ah per mille meam raperes incendia vitam,
Inq. truces ageres, horrida monstra, feras.
Quò ferar? an veniam sceleri concedit honestas,
Nec refugit cæcum dissimulare nefas?

*An pudor ipse suos vltro miseratur amantes,*
*Dum videt ingenti pectora lapsa metu?*
*Ah capiti ne tanta meo se culpa maritet.*
*Defendi famam crimine, turpis honos.*
*Est scelus inuitam, scelus est peccasse latentem.*
*Effugium tantis mors erit vna malis.*
*Scilicet occultum nemus hoc, auramq. silentem*
*Esse putem noxæ tegmina fida meæ.*
*At latebræ quid facta leuant? sese ipsa recludit*
*Ianua venalis clausa pudicitiæ.*
*Mors hominum duros quondam solata labores,*
*Quæ facilis cælo sæpe vocata venis,*
*Huc propera mentis custos fidissima nostræ:*
*Immoriar gremio non moritura tuo.*
*Non licet hanc aliter fati vitare procellam.*
*Exulat à nostro pectore fœda Venus.*
*Te ne ego casta fides violem? tua iura resoluam?*
*Et mens sollicito concidat icta metu?*
*Ah prius in caput hoc ruite omnia fulmina cæli:*
*Cæde mea superûm Rector inermis eat.*
*At quid agam? sæui subeam mendacia vulgi,*
*Et ferar heu sanctos contemerasse lares?*
*Proh dolor: oblata nihil est in morte pericli.*
*Dedecus hoc absit, mors mihi munus erit.*

At populi furor & lapidum, nil tale merentem
  Obruet, & tristes mittet in ora faces.
Mittat: erit gratum mortis mihi causa lauamen.
  Nobile supplicium pro pietate mori.
Stat sceleri tanto sanctum præferre pudorem:
  Stat vel in aduersas pectora ferre feras.
In me saxa ruant, in me ruat arduus æther:
  Omnia sunt stygio damna minora rogo.
In me tela, faces, ferrum tota vrbe parentur;
  Sit modò supplicij causa, fuisse piam.
At quò rursus agor? quæ mentem insania turbat?
  Quæ nostram ingeminans obruit vnda ratem?
Fortior expulsus reuenit, meq. acrius vrget
  Viuendi nunquam non rediuiuus amor.
Fac cedam (ah nullum, Superi, sit in omine pondus:
  O subitam menti ferte labantis opem.
Non animus bellare Deo, non iura pudoris
  Soluere, sed famæ lubrica cura fuit)
Scilicet euasi Superos, legumq. seuerum
  Fulmen, an est fama vilior vlla fides?
Sancte pudor moriamur, & hæc in fata ruamus,
  O comes occasu non obiture meo,
Quin obitu victure meo, te funere amico
  Dum tueor, manes fac tueare meos.

Tu

*Tu tibi deuotam hanc animam, tu nostra superstes*
*Excipe fraterno frigida membra sinu.*
*Cumq. minax quondam, & linguis armata trisulcis*
*Sæuiet in nostros impia fama toros;*
*Tu mores oppone meos, quæ semper abegi*
*Quas sine te flammas Cyprius afflat amor.*
*Iudice te subeo cladem hanc, nec vindice nullo*
*Prodor in hostiles libera præda manus.*
*Vltores mihi causa parat. sat criminis expers*
*Vita cadens, obitum vindicat ipsa suum.*
*Dicar & ingenium, & vultus fœdasse maritos;*
*Dum mea tam turpi pectora labe vacent.*
*At mihi tu quondam thalamo sociate iugali,*
*Sed fructum auspicij non habiture tui,*
*Ne meritis hoc adde meis fidissime coniux,*
*Quòd tua tam falsum dedecus ora notat.*
*Hoc tibi demerui, famæ ne culpa subesset.*
*Non potui nostro plus meruisse toro.*
*Nam neq. fœdatos linquo, mihi crede, penates:*
*Nec, quia sum turpis credita, turpis ero.*
*Hoc mihi crede, precor; vero si credis amori:*
*Nam tibi fama mei perfida testis erit.*
*Illa quidem senio veniet fucata verendo,*
*Qua Superûm picta Nuncia fronte nitet.*

Multa canet mentita; tuas vt vulneret aures,
Vt formosa suo turpet honore meum.
Sperne precor voces, & iniquam agnosce senectam,
Nec tua tam turpi pendeat ore fides.
Interea vano moriar data fabula vulgo.
At tibi, quod spero, fabula vulgus erit.
Macte vir hoc obitu nuptæ. mors ipsa tuetur
Spreta fidem: viuit sed sine luce pudor.
Aspectus latet ille tuos: at fœdera seruat
Pacta semel: Cælo se tibi teste probat.
Ne testes oppone alios. sat iudice vincam
Numine, quo virtus vindice nulla perit.
Occuluit fortuna meos, non abstulit ignes:
Flagrat & hæc inter nubila castus amor.
Ne dubita: ingentes tonitrus parat igneus æther,
Flammea cùm densa semina nube tegit.
Dumq. intempestam simulat caligine noctem,
Parturit igniuomo fulmina tecta sinu.
Non secus hæc inter fortunæ nubila nostræ
Abditur, & tonitru se meus armat honos.
Ille suis rumpet luctantem ardoribus æthram,
Et dabit optatos in tua tecta sonos.
Iamq. pudicitiam terris mirata tonantem,
Corriget infamem territa fama tubam.

Plus

*Plus etiam ſperare iubent mihi conſcia cæli*
*Numina, mortales non habitura vices;*
*Hæc tam triſtia fata dies tibi læta rependet.*
*Eſt aliqua oppreſſos quæ leuet hora pios.*
*Si qua mora eſt: virtus longo fouet obijce partum.*
*Sera aderit grato pignore fœta dies.*
*Tempus amant meſſes; neſcit compendia verum;*
*Perq. aures longis flexibus ambit iter.*
*Expectanda dies tibi erit; mihi ſaxa ferendum.*
*Viuat amor fato lætus vterq. ſuo.*
*Ne, precor, hanc oculis mortem indignantibus hauri.*
*Vulnera viuentis pabula laudis erunt.*
*Cùm ruet, & toto me ſaxeus æthere turbo*
*Opprimet, & tumulum cum nece tela ferent:*
*Ne vultus fugitiuo meos horreſce tueri;*
*Sim licet horriſonis cautibus icta caput,*
*Sanguineumq. ſupercilium, & caua tempora telis*
*Aſpecta, & quaſſas, monſtra pudica, genas.*
*Ni, noſter quæ finxit amor, tibi lumina deerunt;*
*Spirabit lacero notus ab ore pudor.*
*Fama vetat lacrymas. tu, me cùm fleueris, oro,*
*Adijce tot fletus, quot mihi fama negat.*
*Hoc amor, hoc fidei poſcit conſtantia noſtræ:*
*Sic mihi propitio numine vita cadat.*

*Et mea si quouis dignabere busta sepulchro;*
*Has precor in summo marmore fige notas.*
*Dicitur hîc tumulata fides. ne crede viator:*
*Nulla capit tantæ coniugis vrna fidem.*

# Virgo Mater

## Ad IESVM filium in desertis sese locis diutius continentem, ac longa inedia afflictantem.

### ELEGIA III.

*NAte, meum Numen, Genitrix te sola requiro*
*Mille tuis animum vincta cupidinibus.*
*Cur matris, fugitiue, animam sine matre tulisti?*
*Me rapis, & sine me me mihi destituis.*
*Aut mihi me tecum refer, aut totam aufer; vt expers*
*Ne qua mei superet pars mihi, ne qua tui.*
*Ah dolor, & viuo, & tanta hæc diuortia cerno!*
*Quis vitam hanc animat spiritus absq. anima?*
*Sum mea, nec mea sum. quæ te specus abdita rapto,*
*Luminibus lumen, corde cor abripuit?*
*Quo mihi quærendus, mihi quo venandus in orbe es?*
*An reditum cari dedidicere pedes?*
*Rumpe moras quacumq. lates ignotus in ora:*
*Ad mea te notus limina poscit amor.*

*O mihi*

*O mihi per tacitam toties congresse quietem,*
*Nulla ne conspectu me beet hora tuo!*
*Ah meà te nunquam vereor ne tecta reuisant,*
*Nec pateat reduci ianua pulsa manu.*
*Hoc erat, affatu quod te complexa supremo*
*Corrueram lacrymis immoritura meis.*
*Ah fuit in caros quoties casura lacertos*
*Vita, nec optato dissoluenda sinu!*
*At mihi non licuit tam dulcem euadere mortem,*
*Semper vt in media mortua luce forem.*
*Namq. oculos ex quo fugiunt tua lumina nostros,*
*Lux mihi vitalem non tulit vlla diem.*
*Illa animo surgit nunquam recidiua cupido,*
*Nectar vt è collo nota corolla tuo.*
*Siccine liquisti tantam securus amantem,*
*Nec tamen ad certum diceris isse larem?*
*Accola te nuper sacri Iordanis habebat*
*Exceptum hospitio textilis arte casæ.*
*Post, vbi lustralis mysteria fontis obisti,*
*Diceris agrestem solus adisse plagam.*
*Ilicet hîc vitam cultu teris asper acerbo,*
*Nec leuat vlla famem cura, nec vlla sitim.*
*Peruigil æternas nudo sub sidere noctes*
*Ducis, ad optati funeris excubias.*

*Tu tibi supremam funesti temporis horam*
*Prospicis, exitij captus amore tui.*
*Assiduo mortem lacrymans clamore lacessis:*
*Illa tuos oculos territat, illa rapit.*
*Meta iaces duplici nimiùm vicina furori:*
*Hinc te mortis amor vulnerat, inde timor.*
*Hic ego te memini puerum tabescere fletu,*
*Dum tua præsaga vulnera mente præis.*
*Tu tibi funeream speciem de stipite secto*
*Condideras, patria præditus arte puer.*
*Hoc opus vt primis esset natalibus aptum,*
*Est tibi fabrili lectus ab arte parens.*
*In sua quadrifidum formaras brachia truncum,*
*O faber ad pœnas ingeniose tuas.*
*Vt perij, vt vidi sacra te condere dextra*
*Prodigium infandis exitiale reis.*
*Hinc, atq. hinc geminum dederas pendere flagellum:*
*In medio rigidis aspera serta rubis.*
*Addideras impressa tuæ vestigia mortis;*
*Quæue pedes mancant vulnera, quæue manus.*
*Et chalybum triplex traiecto robore cuspis,*
*Vulnera mentito sanguine ficta dabat.*
*Stillabat rubrica tuo simulata cruori:*
*Nam pater haud alio murice diues erat.*

Sic

*Sic tibi fingebas mortis simulacra futuræ,*
*Exercens proprias in tua damna manus.*
*Hac puer optabas oculos saturare figura,*
*Funeris agnoscens omina dira tui.*
*Hei mihi, conspectu quantùm tremefactus ab illo*
*Horrebas, tenero roridus imbre genas.*
*Qualis ouis cùm parua trucem videt obuia tygrim,*
*Et refugum celeri vertit ab hoste pedem.*
*Talis eras, gemitu cùm me exanimatus adires,*
*Atq. animam mî singultibus eliceres.*
*At mea cùm madidos libarent oscula vultus;*
*Vtraq. lambebat mutuus ora liquor.*
*Sæpe mihi es visus, teneram miserate parentem,*
*Obtutus hilari fallere fronte meos,*
*Et presso gaudere metu, sed gaudia furtim*
*Ponere, lethali frigidus ossa gelu.*
*Ah quoties lux hebdomadæ mihi sexta redibat:*
*Vesper erat vitæ lucifer ille meæ.*
*Nam tibi longè animo fatorum extrema tuenti,*
*Sudor ab inspecto funere sanguis erat.*
*Ah quoties mortem votis, & voce vocabas;*
*Exanimis solo nomine mortis eram.*
*Nunc te deserta solum regione morantem,*
*Quale animo credam ferre doloris onus!*

*Nunquamne aßiduo fessus languore quiesces,*
*O animæ requies irrequieta meæ!*
*Parce tuam tanto exilio damnare quietem,*
*Nec tua venturis tempora carpe malis.*
*Præuius an mortis mortem tibi molliet horror?*
*Æternum est funus funeris ipse metus.*
*Ah, si parua tibi raras mensura per horas*
*Triticeam solo temperet amne dapem.*
*Verùm omnis contempta tibi iam copia victus,*
*Nec leuis è facili quæritur haustus aqua.*
*Mittere decreram nostræ tibi munera mensæ,*
*O date iam Solymis lusus, & esca feris.*
*Tu tamen afflictæ suprema per omnia vitæ*
*Nulla dabis mensæ commoda, nulla tori.*
*Nam mihi te dixti multos ineunte seueram*
*Vere per esuriem ducere velle dies.*
*Nempe, quaterdenos dum Sol numerauerit orbes,*
*Perpetuam lacrymis pascere velle famem.*
*Cùm tamen explesses longi ieiunia veris,*
*Affore cælestes ad tua iußa choros;*
*Qui struerent mensas famuli, qui pocula læti,*
*Et meritas ferrent, dona paterna, dapes.*
*Scilicet attritas macie prope funera vires*
*Non humana pari mensa lacessit ope.*

Sic

*Sic tibi cælesti mittendum à patre leuamen,*
*Languida quo repetat pristinus ossa vigor.*
*Ante tamen stygijs venturum è sedibus hostem,*
*Tecta lacessitum numinis arma tui.*
*Multa rogaturum dextræ noua monstra potentis,*
*Multaq. suspecti signa neganda Dei.*
*Vt Cererem duro iubeas è marmore nasci,*
*Si refugis generis degener esse tui.*
*Vt facilem summo libres è culmine lapsum;*
*Non læsura tuum subdita saxa pedem.*
*Deniq. Tartareum supplex vt numen adores,*
*Si tua regnandi pectora flectat amor.*
*Hæc mihi tu solitus quondam narrare roganti;*
*Vanaq. pellacis ludere cœpta Ducis.*
*Ah vafer! ille tuam tentat præuertere matrem,*
*Inq. meam sese subdere fraude vicem.*
*Diuinæ portenta manus cùm prima rogabit;*
*Cerne, meis quantùm deroget auspicijs.*
*Nam precibus tu prima meis miracula seruas.*
*Hanc tua mî certam verba dedere fidem.*
*Vt, quoniam tibi fida mei fuit arca pudoris;*
*Auspice me, pateat numinis arca tui.*
*Et, reor, illa dies properat, promissaq. poscit,*
*Quæ sint mirificæ pignora prima manus.*

*Ah quid ego hæc memoro? sed te quæ cura salutis*
*Temperat, ò animæ portus, & aura meæ?*
*Nulla sitis te, nulla famis solatia tantæ*
*Quærere? quo macies inficit ora croco!*
*Vix, reor, afflictos tenuis fouet halitus artus:*
*Ægraq. defesso poplite membra labant.*
*Et penitus nimio venis arentibus æstu,*
*Vltimus exusto spirat in ore tepor.*
*Vos quæ sacratum colitis Iordanides amnem,*
*Flectite vicinum lustra per illa pedem.*
*Illuc flexiuagos vndarum appellite ductus:*
*Ora, precor, nati lambite sicca mei.*
*Ille trahens animam sitientem, aurasq. bibentem,*
*Strauit in herbosa debile corpus humo.*
*Ite: solo appreßis laticem instillate labellis;*
*Aridaq. horrenti soluite membra siti.*
*Dicite. Materno damus hæc tibi procula iussu:*
*Diue, tuam nostro munere pelle sitim.*
*Tu tamen effugium semper fugiture dolorum,*
*Extremam à nullo munere quæris opem.*
*Hanc mea me dicis Genitrix exclusit in auram,*
*Vt darer his tandem victima lauta malis.*
*Ipsa nec ignoro, nec me tua damna latebant:*
*Non noua sunt animo vulnera tanta meo.*

His

*His ego te ærumnis depactum à Patre recepi,*
*O mihi supplicijs nate redempte tuis.*
*At quæso illecebram nostri tantisper amoris*
*Ne fuge, maternum durus in obsequium.*
*Si te adeo carpit moriendi antiqua voluptas,*
*Nec dubitas tanta sternere clade Polum:*
*Iam satis in duro quondam bacchabere letho.*
*Ah nunc parce tuum accersere supplicium.*
*Quid deserta queror? quoue hæc suspiria tendunt,*
*Quæ leuis ad lusus diripit aura suos?*
*Te ne rear nostro tandem indulgere dolori,*
*Et dare iam victas in mea verba manus?*
*An magis auditæ sic te mouere querelæ,*
*Vt leuis ingentem ventilat aura facem?*
*Scilicet in luctu longos producere soles*
*Pergis, & ipsa suo lumina fonte rigas.*
*Membraq. vulnifico per noctem accisa flagello*
*Deijcis ad nudam verbere fessus humum.*
*Liuentem indigna te mortis imagine cerno,*
*Et tepidum largo sanguinis imbre solum.*
*Parce, precor, tales vltro præuertere pœnas:*
*Sæua nec hostilis præripe dona manus.*
*Tempus erit, furijs cùm tu deuote tuorum*
*Heu quantùm infando pulsus ab hoste gemes!*

*Vnde hæc (ah pietas) mortis tibi dira cupido?*
*Tale ne pro toto proijcis Orbe caput?*
*Omnibus è rerum monstris, & amantibus ausis*
*Sedit in ingenio nobilis ira tuo.*
*Vt nec pro mundi merito tua dextera solum*
*Te petat, insontem nil miserata Deum.*
*Nulla fuit tanti spoliati gloria Ditis,*
*Non humana tuis cladibus empta salus,*
*Non scelerum pulsæ pestes, patefactaq. cælo*
*Regia, non generi reddita regna tuo.*
*Solus amor tanti, tanti tua sola cupido est,*
*Muneribus meritum quærere parca tuis.*
*At fuerit quæ meta malis? mensura laborum*
*Nulla vacet: cumulos non petit vlla nouos.*
*Quæ tandem implendis quæris noua fœdera votis,*
*O nunquam ærumnis exaturande tuis!*
*Funus ad officij pensum si quæris; abunde est*
*Talibus impensis addere talem animam.*
*Ne pretio mercem tanto supera interuallo:*
*Iam sat opum effusum est: prodige, claude manum.*
*Quanquam ò, quid precor hæc? nō te vox vlla mouebit,*
*Quæ veniat pœnis bella mouere tuis.*
*Quare, age, te sequere, & monitis allabere nostris:*
*Hoc tibi consilio flectitur ingenium,*

Hocci-

*Hoccine me obſequio ſolùm dignare parentem?*
*Ah mea quàm duro numine vota premis!*
*Lude, age, pœnarum ſæuus, lude inter amores*
*Ebrie per medias plaudere amaritites.*
*Ipſe manus in te promptas ſæuire guberna,*
*Dum nequeo in tales indere vincla manus:*
*Sat tibi, cùm toties te ſum complexa, tuarum*
*Prædixi manuum tale ſatellitium.*
*Sperne meas audire preces, audire querelas:*
*Sis, age, ſæuitiæ libera præda tuæ.*
*At, quoniam maternam animam ſub pectore ſeruas,*
*Parce tuam pœnis ſubdere: ſubde meam.*
*Perde meam: poſterne meam, mea vita. meam ſi*
*Vis animam luctu ſoluere, ſolue tuam.*
*Ah ego ſi ſcirem, qua poſſem hoc fraude, vel arte*
*Sub tua, te excluſo, trudere damna caput.*
*Nam mea quid memorem ingratæ faſtidia lucis?*
*Sat, mihi qua pereant pectora tabe, vides.*
*Quòd ſi per ſimiles tua me fortuna labores*
*Non vocat, & conſors funeris ire vetor:*
*Ah, dolor, & longo non vnquam explebile queſtu*
*Pectus, erunt vitæ funus, & vrna meæ.*

# In B. Francisci Xauerij obitum.

## ELEGIA IV.

Hæc elegia eodem, quo supra panegyris, est scripta consilio: vt Neapolitanorum imprimis sociorum studia ad Indicā profectionem inflammaret. Hinc illa tum in principio, tum in fine, longior super ea re cohortatio.

*Dicite felices scopuli, tuq. vltima primos*
*Quæ legis Eoæ Tethyos vnda sinus;*
*Et vos vdq cobors pelagi, cui mane propinquo*
*Puniceis lucem Cynthius afflat equis;*
*Vos mihi Pleïades, & tu sata diuite Nereo*
*Gemmiferæ custos Oceanitis aquæ;*
*Dicite, nam nuper patrijs cùm redditus astris*
*SABERIVS, vestri littoris hospes erat,*
*Quos gremio in vestro cineres, quæ busta reliquit,*
*Vltima cùm vitæ iussa valere dies?*
*Et quibus accitus studijs plaudentis Olympi,*
*Deseruit paruæ rustica tecta casæ?*
*Quæ speranda dedit votis euenta precantum,*
*Cùm sua Memnonio credidit ossa solo?*
*Cumq. illum vestris Numen repetebat ab oris,*
*Obuia quæ Cæli venit ab arce cobors?*
*Et quibus euectus biiugis, quæ signa secutus*
*Alta triumphales flexit ad astra rotas?*
*Quale coronatum Cælo succedere Titan*
*Vidit? vt attonitos irritus egit equos?*

*Ibat*

*Ibat agens roseo fuluam Thaumantida nimbo*
*Sydereus niuea cyclade pictus eques,*
*Et crinem imposito septemplicis orbe tiaræ*
*Arduus. ò quantum Numinis instar erat!*
*Et tamen æternos inter tot millia Diuos,*
*Dum ciet in primo gaudia festa choro;*
*Ah quoties caris deflexit lumina terris,*
*Nescius Auroræ vertere terga suæ.*
*Sæpe salutato Sinas respexit Eoo.*
*Ah feriant illas fulmina sancta feras:*
*Ah feriant, inquit; pereat Stygis armiger, illas*
*Qui potuit tali claudere vecte fores.*
*Et vetuit, ne quo pietas accita recursu*
*Regna relegatum vertat ad illa pedem:*
*At non talis erit semper vesania victrix.*
*Dia fides cœptum linquere nescit iter.*
*Illa potest (quæcumq. Erebi luctetur Erinnys)*
*Ire per obstructas in sua templa vias.*
*Illa aliquem è numero comitum si nacta meorum,*
*Itala Sirenis quos mihi regna ferent:*
*Quale triumphatum iustis Acheronta sub armis*
*Exiget è patrijs imperiosa focis!*
*Ardua vibrabit sanctos in bella furores,*
*Firmet vt æterno spes adamante nouas,*

*Eximet infando victrix altaria cultu,*
*Et regnum in sacras aſſeret omne manus.*
*Macte, vices operum tantas obiture meorum,*
*Quiſquis ab Auſonia funera noſtra vides,*
*Noſce tuum Diti nomen fatale domando,*
*Qui regis exemplo vota ſuperba meo.*
*Imple animis tantam fortunam, & corripe victor*
*Quæ manibus Numen porrigit orſa tuis.*
*His pater affatus Matutæ regna relictæ,*
*Subſtitit, ætherium findere lentus iter.*
*Dulcis in officio cari ſe cura parentis*
*Verſat, & obtutu pignora cara fouet.*
*Quale ſuper caros librat ſe prouida nidos*
*Ales, & aëriam circinat alta plagam,*
*Et prolem in teneram paſſis procul imminet alis,*
*Sollicitam fixo lumine vincta fugam.*
*Sic pater intentos verſat ſeſe inter amores,*
*Sidera cæleſti raptus ad alta choro.*
*Sic patriæ dulces curæ proſpectat alumnos,*
*Maurica quos ambit, quos Comorina Thetis:*
*Quos numerat regno ſedes populoſa Goano:*
*Reddita quos vero Memnonis ora Deo.*
*Felices animæ, noſtro ſata germina cultu,*
*O ſtygio ſoboles inuidioſa Duci.*

Intelligit P. Michaelem Roggerium Neapolitanũ, qui primus in Sinarum regnũ peruaſit. Ludit porrò in ambiguo nomine Michaelis. nam cæleſtis militiæ princeps Michael malos e cælo Angelos exegit, domuitq; ideo ſubdit. Diti Nomen fatale domando.

*Ab*

*Ab quibus auspicijs, quo numinis edita partu*
*Surgis, & ad quantum nomen adulta venis!*
*Sta monitis, ò cara, meis; & fœdere Diuûm*
*Aspice, quo tollas libera colla iugo.*
*His illum instantem dictis, atq. astra sequentem,*
*Sæpe nouus flectit, sæpe moratur amor.*
*Quin etiam, fato quondam cùm proximus heros*
*Humanum inuito duceret ore iubar;*
*Sæpe illum indigetes arcana voce monebant,*
*Excuteret tristes corporis exuuias.*
*Quid vitam vlterius traheret sub luce caduca?*
*Ad sua sublimem carperet astra fugam.*
*Ipse licet lætus monitis, & cælite cursu*
*Certus in optatos Numinis ire sinus;*
*Sæpe tamen longa multum versatile curæ*
*Consilium in dubias illaqueare moras.*
*Multa pater caris metuens incommoda natis,*
*Et multos templis à Phlegethonte dolos,*
*Sæpe lacessebat mortem prece, sæpe fugabat,*
*Ne generi Genitor parcat adesse suo.*
*Iamq. aderat suprema dies, funusq. propinquum*
*Augurat immiti saucia tabe salus.*
*Ille pias de more sacrum libamen ad aras*
*Expedit, & multa cum prece Numen adit.*

*Induit augustum pulchrè tunicatus honorem,*
*Et Bacchum, & Cereris candida dona parat.*
*Colla nitent circum lino vittata repando,*
*Porrectumq. humeros pensile tegmen obit.*
*Hinc tegit vndanti niueum velamine corpus*
*Carbasus, effuso ludere crispa sinu.*
*Atq. ea qua palmas pariter contigit vtrasque,*
*Quaq. subit iugulum summa, vel ima pedem,*
*Mille per inscriptos cum marginibus Mæandros*
*Ducit acu pictas sutile flumen aquas.*
*Institа cuspidulis punctim eminet vltima crebris:*
*Hirtaq. mentito stamina sente rigent.*
*Hinc teres, & longum spira simulatus in anguem*
*Per latus à tergo cestus vtrumq. venit.*
*Et cohibens fluitantem alto sub pectore pallam,*
*Labitur à nexu plurimus ante sinum.*
*Pro capitum nodis, an ficta papauera filo,*
*An grauidæ pendens aluus hiulca rosæ?*
*Zona coronato suspenditur aurea collo,*
*Nec procul allapsu spectat vtroq. pedes.*
*Hæc duplici ex armo, duplici transuersa sub ala,*
*Quadrifido ductu pectora summa notat.*
*Candidaq. appressat turgentem ad cingula byssum,*
*Vinclaq. sub geminum pendet vtrinque latus.*

*At breuior læuo dependet zona lacerto,*
*Pendula cui duplex palmula vincta fluit.*
*Vltimus iniectu longo descendit amictus*
*Post humeros æquè lapsus, vt ante genu.*
*Vtraq. pars longè promissa pensilis ora:*
*Neutra latus tangit, brachia neutra tegit.*
*Versicolor textu decor, & spectabile Serum*
*Miscet opus rosea dædala fila Tyro.*
*Sic habitu, sic ille nitens in veste decora,*
*Parturit arbitrio, parturit ore Deum.*
*Vt stetit ante aram; sacris indicta litandis*
*Edidit in longas præuia verba preces.*
*Tum nitidam dictis Cererem pollentibus afflans*
*Induit in paruam Numina tecta dapem.*
*Numina, virgineo quondam quæ reddita partu,*
*Quæ Deus æterna prodita mente parit.*
*Hinc Bromio vocem aspirans, & mystica verba,*
*Iam tenet arcano pocula fœta Deo.*
*Pocula, quæ sapiunt Lenæum, & sola cruorem*
*Numinis, & liquida cum nece Numen habent.*
*At nece cum liquida, cui victima viua, suiq.*
*Funeris exemplum, funeris vltor inest.*
*Hinc animata Deo delibat munera mensæ.*
*Vesca famem sedant Numina, pota sitim.*

*Vt ſatis indultum ſacris, & rite litatum,*
*Bacchaturq. animo mens epulata Deum:*
*Irriguus lacrymis, genibusq. affuſus ad aram,*
*Soluit in ardentes anxius ora preces.*
*Summe parens noſtros nimium dignate labores,*
*Quo duce ſunt auſis omnia certa meis;*
*Si qua tuo (quæ multa) pluunt à numine dona,*
*Si tua poſcentum munera nullus inops:*
*Hæc, precor, euadat caſus inuicta ſiniſtros*
*Spes mihi tam longos inter adulta metus.*
*Nulla mihi parcat clades; modò Sinica tellus*
*Conciliet templis Romula thura ſuis.*
*Perſonet has etiam latè tua gloria terras:*
*Alta tibi ſurgant diuite fana tholo.*
*O miſeros nunquam ſerò miſerate, neq. vllis*
*Parcere ſupplicijs, parcere dure minis;*
*Si ritus, te autore, pios adſciuit Iapon;*
*Si Melinda tuus regna triumphat honos;*
*Si tua ſubiecit virtus tibi ſola Pachinum,*
*Templaq. luſtrata victor in vrbe regis;*
*Si toties deluſa tibi fraus effera Ditis:*
*Hic molire tuos in Stygis arma iocos.*
*Da, rumpam ſecurus iter Cantonis ad vrbem,*
*Regna licet quiuis obſeret illa furor.*

*Quid-*

*Quidquid adeſt immane, feram. non vlla recuſem*
*Quæ labor hic votis imperet auſa meis.*
*Stent modò, quæ feſſo nutant in corpore, vires,*
*Et fremat eluſa mors inimica manu.*
*Nec tantum excutiat victrix mihi ſæua triumphum,*
*Quem dudum Eoo certus ab enſe peto.*
*Ah moriar diro ludicrum ignobile ferro:*
*Cara mihi effuſus funera ſanguis emat.*
*Cælicolûm ſic alma iubent exempla tuorum,*
*Quos tibi votiuæ demeruere neces.*
*Tale meos etiam iamdudum ad funus amores*
*Spes alit, illecebris non ſemel aucta nouis.*
*Nunc ſortem hanc animo propius contemplor anhelo:*
*Penè ſuo ſparſus geſtit in amne cruor.*
*At metuo tabem hanc, imos quæ ſæuit in artus,*
*Ne vitam ignauo deſtinet ante rogo.*
*Quid tecum huic animæ, placidæ clementia mortis?*
*Sola meum ferri vindicat ira caput.*
*Me cælo pepigere faces, me cuſpidis ictus,*
*Sæuaq. Cerberea monſtra ferina fame.*
*Quid caram, ſors atra, negas vrgere ſecurim?*
*Ah mea cur enſis vulnera tardus amas?*
*Tamne obitus venit imbellis? tam ſanguinis expers?*
*Me vitam in lento linquere poſſe toro?*

*Ah ne tale ratum faxis mihi funeris omen*
*Diue parens: nostræ corrige sortis iter.*
*Hæc ait, & voces vltra non sufficit vllas*
*Æger in alternas spiritus ire vices.*
*Tarda leuat sensim tremulum in vestigia corpus,*
*Progressu in dubias immoriente moras.*
*Culmen erat leni deuexum ad littora cliuo,*
*Quà viret hirsuto dumea rure seges.*
*Ascensu in primo veteri lare deuia sedes,*
*An specus, an vili nautica tesqua situ?*
*Semirutum tecto, & fragili de pariete culmen.*
*Publica diuulso limina poste patent.*
*Excipit infestas hyemes, & sibilat Austris*
*Vndiq. diffuta fissilis æde lapis.*
*At facies frondosa domus, nec rara corymbo*
*Sylua, latus fusca texuit omne coma.*
*Intus arenoso cum stramine dura supellex,*
*Horrida centonum vellere texta rudi.*
*Huc simul ignoti ductu subit hospitis heros;*
*Stragula lapsantem se super hirta iacit.*
*Hic illum ardenti correptum viscera morbo*
*Opprimit ingratæ triste quietis onus.*
*Tantùm supposito ceruix cubat edita saxo:*
*Strata piam lecti sufficit herba vicem.*

*Herba*

*Herba, sed ab nodis horrens, & fasce toroso,*
*Crebra fodit culmo subsiliente latus;*
*Scrupea quin etiam grumis horrentis arenæ,*
*Vix leuat è nuda debile corpus humo.*
*Pauperies tenui vitam fouet aspera cultu,*
*Nescia quas ægro quærat, & vnde dapes.*
*O quantùm ingemuit mæstos Aurora per ortus,*
*Pallida funestis decolor ora notis,*
*Illum vbi deserta vidit sub rupe iacentem,*
*Depositum tristes funeris ante fores.*
*Hîc vbi nulla tori, aut operosæ copia mensæ,*
*Nulla Machaoniæ sospita cura manus.*
*Tantùm assueta malo morbos medicatur egestas,*
*Raraq. natiuo Pæonis herba solo.*
*Hospes adest, ignarus opem quà præstet egenti:*
*Si foret auxilij diues, amoris erat.*
*Donat amygdalino paucas de germine fruges,*
*Parua, sed ex inopi dona superba manu.*
*Sic tandem extremo mensæ penuria morbo*
*Destitit extremam conciliare famem.*
*Alter erat, vulgo medicos qui venditat vsus,*
*Pollicitis diues venditor, artis inops.*
*Nititur hic secta pestem depellere vena,*
*Quæ dirum indoluit cuspide tacta rudi.*

*Ille dolor tardam præceps accerſere mortem,*
*Vix ægrum integra ſiſtere mente ſinit.*
*Auget hyemis immite malum, & vis effera cœli,*
*Quæq. micat luſco rara fauilla foco:*
*Et rigor horrentis Boreæ, lapſumq. niuoſæ*
*Fiſſile per tectum fuſile frigus aquæ.*
*Sæua ſonat crebro paries abruptus hiatu,*
*Et coniurato turbidus imbre Notus.*
*Ah crudelis hyems, ah quantum heroa trementem*
*Vidiſtis, gelidæ nec tepuiſtis aquæ!*
*Si fuit ille imber gemitus mærentis Olympi;*
*E calidis calidus debuit iſſe genis.*
*Et fuit ille imber lacrymanti fletus Olympo:*
*Triſtis anhelanti ſpiritus, Eurus erat.*
*Talia poſcebat tantum ſuſpiria funus.*
*Ille fuit iuſto fletus honore minor.*
*Pulſabat Matuta ſinus, non aura tonabat.*
*Fulgur erat ſpirans angor ab ore Iouis.*
*Non vapor, vmbroſæq. auræ, non Tartara cæli*
*Nubila, ſed mæſti ſyrmata Solis erant.*
*Ite parentatum caro, mea luſtra, parenti:*
*Luſtra meos fletus ducite, Phœbus ait.*
*Ite, coronatos tali quæ nomine faſtos*
*Vertitis, ò luctu triſtia ſecla meo.*
*Hunc etiam occiduis mærorem indicite terris:*

*Impleat hoc nostram funus vtramq. domum.*
*Hæc fatus, nigrantem oculis inuoluit amictum.*
*Tecta gemit mæsto cum genitore dies.*
*Funeream cæli faciem, & ferale gementem*
*Horruit atratis Cynthia fusca rotis.*
*Nec iam tuta regit refugos terrore iugales,*
*Nescia tam cæcæ voluere noctis iter.*
*Flebilis obscuro processit Lucifer ortu:*
*Abdidit æternas ætheris aula faces.*
*Dat currus Aurora suos. hoc illa feretrum*
*Sternit, & iniectis tegmina pulla rosis.*
*Hanc tumulo pompam, & patrijs decora vltima bustis*
*Apparat, & structos ingemit ante rogos.*
*Tale iubent funus tantæ præsagia mortis:*
*Hæc hyemis facies illa furentis erat.*
*Postquam nulla viro spondet solertia vitam,*
*Nulla salutarem cura medentis opem:*
*Ille auidus se sponte suo concedere fato,*
*Vita vale, dicens, hospita terra vale.*
*Fallor, ait, ne vita vale, neue hospita tellus,*
*Quam saluere mea Numina voce iubent.*
*Sera tibi primam dixit mea cymba salutem,*
*Nec mea supremam dicere vita velit.*
*Quid iuuat optati limen tetigisse laboris,*
*Et lapsam extrema spem cecidisse via?*

Hæc mihi naſcentis patuit modò regia Solis,
  Quam totam auſpicijs fata dedere meis.
Nam mea Tyrrheno cùm nondum à littore puppis
  Solueret, & Libyci ſinderet alta freti;
Viſa mihi nocturnam inter defeſſa quietem
  Impoſito ceruix pondere curua premi.
Subniger aſpectu, & peregrini nominis hoſpes,
  Vt reor à cultu corporis, Indus erat.
Sederat in ſomnis noſtro data ſarcina tergo:
  Et memini feſſum ſuccubuiſſe caput.
Mitius Inarime preſſo montana Typhoeo
  Incubat, aut vaſto Trinacris Encelado.
Obſtupui ſenſiſſe meos tantùm hiſcere neruos,
  Et mihi ſum nullo viſus Atlante minor.
Iam ſeſe ad terram flexu dabat obruta ceruix,
  Sæpe anima feſſum ſuccutiente latus.
Irriguus ſalſos ibam ſudoris in amnes:
  Et quæ pondus erat, ponderis vmbra fuit.
Vmbra, nec euentum ſortis mentita futuræ:
  Pignus erat fati nox oneroſa mei.
Nam non illa doli, non irrita noctis imago,
  Vera boni facies ominis illa fuit.
Tollendum his humeris totum portendit Eoum.
  Dulcis honos oneris, dulce laboris onus.

Nec

*Nec verò auſpicijs ſatis vna eſt India tantis,*
*Non ſatis Eoo quicquid in Orbe ſoli.*
*Ergo implenda mihi eſt tanti menſura laboris:*
*Omina fallacem ni pepigere fidem.*
*Nam ſi vera fides, nondum ſudoris abunde eſt,*
*Et cœptum à merito culmine diſtat opus.*
*Non moles hæc illa operum, quam conſcia tergo*
*Illa meo cecinit vaticinata quies.*
*Pondus vbi eſt? ceruicis vbi tormenta ſubacta?*
*O vbi nunc Indo terga ſub Orbe labant?*
*Plus equidem in ſomnis videor ſudaſſe ferendo,*
*Quàm ſudare dedit iam vigilata dies.*
*Abſumus extremis, Superi, procul abſumus orſis.*
*Gloria vult alio ſiſtere veſtra iugo.*
*Ad ſua conatus veniant faſtigia noſtri;*
*Ni dormiße magis, quàm vigilaſſe velim.*
*An procul ad ſeros Latijs à finibus Indos*
*Ridiculus ſomni baiulus iße ferar?*
*Iſſe ferar? merui tantæ ludibria ſortis.*
*Culpa mei meriti, non tua, ſomne, fuit.*
*Deſperata meis humeris iam Sinica moles;*
*Et fuit hæc oneri debita ſumma meo.*
*Debita, ſi noſtro meritum par eſſet amori.*
*Alter erit tanto pondere dignus Atlas.*

*Ah, mea spes, da victa manus. quid saucia tanto*
*Vulnere te morti dedere, meq. negas?*
*Occidimus. quid adhuc cineres, vitamq. sepultam*
*Elicis ad sensus illecebrosa nouos?*
*Ne capiti, ne dulcem vltra promitte securim.*
*Vltima promissis me rapit hora tuis.*
*Ah superûm non vlla meum petit ara cruorem.*
*Non ego tam caræ victima cædis ero.*
*Mors properat, mollitq. suas hoc stramine vires,*
*Et cinerem indecorem lene cubantis amat.*
*Ille suas in me nimirum effœminat iras:*
*Non erat hoc ferro præda superba caput.*
*Macte animis, Loiola, nouis, & suffice gentem:*
*Mors mihi longæuos inuidet atra dies.*
*Aspice, quàm felix nostri fortuna laboris*
*Te vocat, exequijs immoritura meis.*
*Attentanda manu Sinarum imperuia claustra:*
*Obuia rumpendum, quà Stygis ira vetat.*
*Vrge acies ad bella nouas. Mars horret Auerni,*
*Tardaq. perculsa promicat arma manu.*
*En vbi Relligio subijt Tithonia regna;*
*Tartara confuso dissiluere metu.*
*Ipse suis Acheron longè detruditur aris,*
*Et pietas Diuos ad noua templa vocat.*

*Luci-*

Luciferi lustrata domus. tantùm vna sub Euro
Sinica Romanos nescit acerra focos.
Hîc Superis adolendus honos: hinc eminus Orci;
Trudendum attonitos in sua regna Duces.
Huc fortem Ausonidûm gentem submitte tuorum;
Illa mihi promptam sola ministrat opem.
Nil animis impar, & ineluctabile tantis
Ingruet aduersa Ditis ab inuidia
Ah veniat si quis Crateride ductor ab ora;
Quid tuba de stygio principe nostra canet?
O quis in aduersum mihi te rapit auius error,
Quisquis ad hæc refuga respicis orsa manu?
Aude animis, & falle piæ retinacula mentis:
Vera per hoc vltro gloria sudat iter.
Ne rursum indubita votis: ne fortibus ausis
Curarum ancipites nectere perge moras.
Solue ratem: te regna vocant Ophireïa, nostris
Iamdudum auspicijs debita: solue ratem.
Longa via est? at causa viæ solatur euntes;
Et redimit longus præmia digna labor.
Quanta pererrati fuerit solertia Mundi,
Si pietas alis venerit acta suis!
Huc vitæ neglectus amor, neglecta timendi
Cura docet certo currere vela Noto.

Huc vehit occiduos regnandi insania Reges,
Et docet infido fidere posse mari.
Huc varias venatus opes Gangetidis undæ
Nauus ab Hesperia vector utraque venit.
Mox iter, & casus obitæ telluris, & alti,
Cumq. suo memorat Laomedonte nurum:
Et sobolem Ledæam, & cæliferum Telamonem,
Visaq. nascentis limina Luciferi:
Luctantemq. fero quondam cum flamine puppim,
Et domitum dura remigis arte fretum.
Non aurum causamq. viæ, causamq. pericli
Damnat, & insanis tot vada sæua minis.
Tantum iter, & tanta vallatum indagine mortis
Bacca peregrini poscit alumna maris.
Ah Superûm quid poscat amor? quid flebile Diti
Auspicium, & cæso Numine parta salus?
Parta salus quondam, sed nunc vulganda recenti
Lætitia, & regnis restituenda suis.
Noster es, & talem didicisti quærere mercem,
Sola sit emptori quæ peregrina Deo.
Quid fugis Eoas tantus mercator arenas?
Si quod amas pretium vincere merce, veni.
Quid Regum aduersas acies, quid tela timendum?
Quæq. parant auidam cærula monstra famem?
Tanti

*Tanti ne vllus erit viuendi inglorius error,*
*Vilior vt vita ſit pietatis honos?*
*An iuuat inſanas fruſtra tentare per artes,*
*Vt rapiat ſera te Libitina manu?*
*Illa pedem nunc fraude citat, nunc fraude moratur,*
*Fallendi varias vertere docta vices.*
*Et neglecta minus, quàm formidata propinquat,*
*Difficilis, facilis, prodiga, parca ſui.*
*Ah nimiùm mollis dubium te cura retentat,*
*Omnia dùm cæca littora mente legis,*
*Triſte putans, quàm dira Thetis, quàm diſſita tellus:*
*Quæ quibus anteferas commoda, damna viæ:*
*Quid pelagi fortuna paret, qui portus eunti:*
*Quos adeat Cauro cymba reflante ſinus:*
*Quid valeant dubiæ vires, quid ferre recuſent:*
*Quàm ſit firma ſalus, quàm ſit amica mari:*
*Ecquid in occurſum tanti ventura laboris*
*Speret ab euentu: quam ſibi quærat opem.*
*Quid dubiæ ventura notas veſtigia ſortis,*
*Neſcius errantem quà ferat illa pedem?*
*Ne mihi, ne vani ſimula tot crimina morbi.*
*Conſilium, firma corporis arce, labat.*
*Ah dolus in voto eſt, & mens pertæſa videri*
*Abnuit, & morbum dat fugitiua vadem.*

Aude iterum. ſcit verus amor pedes ire per vndas,
Si tibi ſuſpecta eſt, vel ſtomachoſa ratis.
Quid ſtimulis generoſam animam cæleſtibus amens
Subtrahis, & pulſa numen ab aure fugas?
Ne te operi, ne te iuſto furare triumpho:
Ne laudem hanc titulis inficiare tuis.
Dux Erebi trudendus, & in media arma ruendum.
Iam ſacer es ferro, numina ſi quis amas.
Numen amet, ſi quis fruſtra non ardet amando.
Numen amet, veri ſi quis amantis amans:
Quò refugis tua iuratos in fœdera Diuos?
Vlla ne cæleſti ſub duce bella times?
Æger es? ah vitæ nerui famulantur amori.
Nullus amans æger, ni quibus æger amor.
Saltem ægram ſubduxe manum cæleſtibus armis
Sit pudor; & quiuis cetera caſus agat.
Caſus agat quiuis; Cælo ſi fidere certum eſt,
Qua te cunq. premat ſors vice, victor eris.
Quiſquis militiæ iuraſti in fœdera noſtræ,
Cui iocus infandas frangere Ditis opes;
Impiger extremos per luſum irrumpere caſus
Pactus es, & nullis vertere terga malis.
Hac te lege puta generoſam accerſere mortem,
Quæ mox cunq. tibi parcere Parca neget.

Seu

*Seu pelagi, terræq. ſimul, cæliq. ruina,*
*Seu face, ſeu ferro vindice fata voces.*
*Fata voces, vltroq. petas aduerſa neceſſe eſt,*
*Seu Diuûm augendus, ſeu redimendus honos.*
*Nil audere neges; tua ſi tibi cognita virtus,*
*Si generis noſtri degener eſſe fugis.*
*Et fugias Cantonis iter? quid vana pericli*
*Fama vetat ferro ſuppoſuiſſe caput?*
*Cede Deo: mox ille ſuis te viribus armat,*
*Qui vocat imbelles ad ſua bella manus.*
*Dum iubet ille, manu potuit ſtrauiſſe feroces*
*Ieſſeadæ pueri robur inerme leas.*
*Ille puer, facili dum luſit in obuia funda*
*Caſtra, Palæſtinum verbere fudit Athon.*
*Coniurata Deo Bethulidis ira puellæ*
*Enſe putat ſtrato regia colla Syro.*
*Cerne Manocheaden fatali crine potentem.*
*Quantus in intonſa terror ad arma coma!*
*Seu raptam pecudis lacero de gutture malam*
*Vibrat, & Aſſyrios cæde cruentat agros:*
*Seu molem ingentem tectorum, & culmina victor*
*Subruit, adnixa poſtis ad ima manu.*
*His Deus in monſtris operum ſimulacra tuorum*
*Finxit, & in paruis luſit imaginibus:*

*Erudiant vt visa tuos hæc facta labores,*
*Nec toto moueas orsa minora Deo.*
*Quæ benè suspiciunt Numen, stant Numine vires:*
*Et numquam audendi prodigus errat amor.*
*Perge animis, quò fama vocat te laudis auitæ:*
*Semper ab exemplo crescere discit honos.*
*Inuida virtuti si qua est, aut æmula virtus,*
*Vlla ne sit meritis inuidiosa tuis?*
*Solue fidem. timor officio, mora cedat amori,*
*Sit licet attritis artubus ægra salus.*
*Inter opus truncas spera succrescere vires:*
*Roborat audendo spes animosa suos.*
*Ingeritur diuina suo de fonte voluptas,*
*Vt noua sit robur semper ad ausa recens.*
*Cense animo, quantùm fiducia Numinis audet.*
*Nulla pares casus alea fortis habet.*
*O genus, ò nomen stygio ferale Tyranno,*
*Impia ne fatis inijce fræna tuis.*
*Huc te fata vocant: faciles da mentis habenas;*
*Tutus vt auriga cælite vectus eas.*
*Fortunati Ignatiadæ, si creditus Euro*
*Vester ad hæc puppim littora cursus agat.*
*Hæc ait; & prono iam vespere læta supremum*
*Emerito clausit lumine vita diem.*

# Gratias agit amico,

## A quo cereas aliquot cæleſtis Agni imagines dono acceperat.

### ELEGIA V.

*VNa mihi Charitum, ſed qua non altera Cælo*
*Candidior, patrium linquere viſa Polum.*
*Natiuo mentita vagum quæ lumine Solem,*
*Inſuetum nitido protulit ore diem.*
*Lectaq. nubiuago metiri tramite Cælum,*
*Diffidit aëriam molliter acta plagam,*
*In me oculorum intentà faces, intenta volatum,*
*Et prope me volucrem ſiſtere certa pedem.*
*Qualis ad optatam volucris Mæandria ripam*
*Per vaga diuiſum nubila mollit iter.*
*Aut modò quæ cinerum partu rediuiua ſuorum,*
*Læta nouum pennis æthera luſtrat auis.*
*Vt ſtetit, & nitido propius me aſpexit ocello,*
*Nota mihi inceſſu, notior ore Dea:*
*Sydereum riſu retegit mihi frontis honorem,*
*Soluit & in tales dulcia verba ſonos.*
*Sera, nec ignoras à quo tibi miſſa ſodali,*
*Munificæ venio fida miniſtra manus.*

*Nec mirere moram. potui vix vincere tandem,*
*Ne foret aduentus tardior hora mei.*
*Nam cùm languentem morbi discrimine vitam*
*Æger in ingrato fouerit ille toro:*
*Quid nisi deberem, natum miserata iacentem,*
*Anxia Pæonias quærere mater opes?*
*Ille meas inter quondam, dum paruulus, vlnas*
*Gestijt, & collo dulce pependit onus.*
*Signa gerit, queis rite meum se præbet alumnum,*
*Et fotum in gremio se probat esse meo.*
*Vidisti egregia præstantes indole mores,*
*Et quæ iucunda gaudia fronte nitent?*
*Et mite ingenium, magnoq. sonantia Phœbo*
*Pectora, Pierium fundere docta melos:*
*Ora, fores animi, fictis imperuia dictis,*
*Nataq. Phœbeæ prodere mentis opes:*
*Et quicquid læti spirat clementia vultus,*
*Quiq. genas roseo sufficit igne pudor:*
*Omnia sunt nostri monumentum, & pignus amoris;*
*His testata gerit munera nostra notis.*
*Altera diuinæ seruat decora inclyta laudis,*
*Quæ dedit Euphrosyne, quæq. Thalia soror.*
*Tota cohors Charitum studijs communibus illum*
*Auximus, & curam hanc æmulus auxit amor.*

*Nos illum ætheriam Auroræ surgentis ad oram*
*Duximus, Eoas quà citat illa rotas.*
*Vt, digitis cùm mane diem Dea tingeret aureis,*
*Candentes roseo pingeret igne genas:*
*Vt superet longè Tithonia fata iuuentæ,*
*Multaq. florenti secula pube terat.*
*Dum tener assueuit blandis amplexibus olim*
*Cingere ceruicem grata corolla meam:*
*Hîc illi afflaui, ingenium, moresq. decoros,*
*Quiq. verecundo spirat ab ore lepos.*
*Scilicet in lucem, humana licet editus aluo,*
*Venerat, altricem dignus habere Deam.*
*Inter Acidalios illum mea cura liquores*
*Lauit, & Assyrio sparsit odore comam.*
*Pierios illi calamos, diuinaq. Phœbus*
*Plectra dedit, precibus munera parta meis.*
*Quin, duce me, vitæ securum insistere callem*
*Cœpit, & æternæ molle salutis iter.*
*Quid memorem, quas ille meo de pectore traxit*
*Illecebras, animi dulcia vincla tui?*
*Hinc animos hominum didicit vincire merendo,*
*Et dare, quà Charites munera lege iubent.*
*Nec melius quemquam docui, cùm munus amico*
*Porrigit, oblata vertere terga manu.*

Is tibi, quò veteri noua vincula nectat amori,
Hæc me ferre iubet nomine dona suo.
Dixit, & aurata pyxis quæ veste latebat,
Proditur. En, inquit, muneris arca tui.
Tum manibus reserat promptis; & prima reclusi
Edidit ò quantum pignoris aura iubar!
Qualis in herboso latuit cùm forte pyropus
Tegmine, gramineum perditus inter agrum.
Iamq. diu tacitam quæsitus nocte per vmbram
Sollicitum tecto lumine fugit herum.
At manus impositum si quà leuet anxia gramen,
Sponte micans radijs proditur ille suis.
Non secus amoto nitidum velamine munus
Emicat, atq. vnà muneris auctor amor.
Detegitur sacri species venerabilis Agni,
Et trahit ad vultus oscula nostra suos.
Promicat æternæ vexillum insigne salutis,
Dum vocat ætherias signifer Agnus oues.
Cernitur expressa clemens in imagine Numen,
Et spirant ficto cerea signa Deo.
Signa quidem aut nudæ faciem referentia ceræ,
Aut quæ fulgenti serica veste latent.
Serica, queis argentum, aurumq; & textile cocco
Fulget, & in paruo nectitur orbe decus.

Palla-

*Palladiæ monumenta manus. micat æmula cælo*
*Plena quaterdenis arcula syderibus.*
*Irradiant varijs picti fulgoribus orbes,*
*Quos manus Idæa dædala pinxit acu.*
*His auro murex, his murice cingitur aurum;*
*Et variat gratas mutua flamma vices.*
*Cingitur hic ostro, & ferrugine fuscus Ibera:*
*Circuit hunc rutilo fimbria picta croco.*
*Hic minio fibras, & vermiculis argenteis*
*Distinctus vario discolor igne micat.*
*His riget, & nodis crispatur molliter aureis*
*Nexa per intortos flexilis ora sinus.*
*Qualis agit sese, & sinuosis flexibus anguis*
*Torquet in vndiuagam lubrica terga fugam.*
*His varium triplex discriminat ora volumen,*
*Et triplici serpit sericus angue labor;*
*Omnibus intexto micat astrum sutile in auro.*
*Ambigeres, esset pyxis, an illa polus?*
*Tale decus non Inda manus, non Lydius vnquam*
*Edidit Idalia nobilis arte labor.*
*Non Sidon operosa, suo dum ludicra Marti*
*Alipedes Tyrio vellere pingit equos.*
*Aut sibi quæ radijs ordita est funus Arachne,*
*Spernere diuinam Palladis ausa manum.*

*Aut quæ dædaleis operum miracula pensis*
*Munere texebat Cypridos Ida suæ.*
*Aut Babylon, pictas animat quæ pectine telas,*
*Aut animas pluma texere docta Pharos:*
*Seu doceat pulchro pictos heroas in ostro*
*Viuida mentito ludere bella metu.*
*Seu studeat rerum mutos effingere vultus,*
*Gaudeat vt verum spernere fictus ager.*
*Nimirum Charites habuit labor ille magistras,*
*An, cùm Diua dedit munera, verba dedit?*
*Nam simul in mensam exposita est formosa supellex,*
*Pauit & optatus lumina nostra nitor:*
*Hæc, inquit mihi Diua, tuus, mea cura, sodalis*
*Munera dat, nostræ pignora sancta manus.*
*His meus orbiculis teritur labor impiger: hæc est*
*Orbita, quam Charitum sedula vertit acus.*
*Accipe, & acceptum à Diua Rinaldide munus*
*Sola, precor, seruet pectoris arca tui.*
*Iamq. vale, longumq. vale: felicia multos,*
*Et memores nostri dent tibi fata dies.*
*Sæpe aliàs te, si qua volet fortuna, reuisam,*
*Et pedibus notis limina notaueram.*
*Hæc ait, & refugo se proripit alta volatu,*
*Et timuit grates Diua benigna meas.*

*Sic*

*Sic auis, inspecto per iniquos aucupe lucos,*
*Auolat, occultum fallere cauta dolum.*
*Dumq. sequor vana fugientem voce; proteruam*
*Acrius irritant irrita verba fugam.*
*An, nisi Diua dato fugiat pro munere grates,*
*Gratia nec dici vera, nec esse potest?*
*Nec tamen aufugiens mihi me Dea linquit; & illa*
*Vt veniente ligor, sic fugiente trahor.*
*O Dea, quæ meritis inopem me ingentibus ornas,*
*Te ne dies animo deleat vlla meo?*
*Ante suum casura dies labetur in ortum,*
*Surget ab occasu Cynthius ante suo;*
*Ante reget cælo, versis in deuia fatis,*
*Noctis equos Phœbus, Cynthia lucis equos;*
*Aut oblita suum labentia flumina pondus,*
*In proprium vertent se resupina caput;*
*Aut eiecta tuum fugiet clementia pectus:*
*Quàm Dea tu nostro pectore lapsa cadas.*



# Ad Horatium Giãninum è Societate Iesu.

## ELEGIA VI.

*MVsa (laceßitum iam te sua carmina mittet)*
*Carmine Ianinum prima lacesse meo.*
*I, decet officium calami præuertere. cantum*
*Præripe, Pieriam dum parat ille tubam.*
*Quin age, consilio ne me præuertat eodem,*
*Per iuga difficilem corripe nota viam.*
*Nota: nisi oblita es, quis te mecum egerit error,*
*Cùm tulit huc vnum nos iter, vnus amor.*
*Sæpe alacres gladijs concurrere vidimus hostes,*
*Et prius, hic ictum quàm paret, ille ferit.*
*Hac etiam veri pugna luctantur amores;*
*Et prius, hic munus quàm paret, ille dedit.*
*Hanc odijs ne cede, precor, nec amoribus artem.*
*Conuenit in mores astus vterq. tuos.*
*Quippe dolos amor hostiles (dum vincat amorem)*
*Nititur, ingenij vincat vt arte sui.*
*Acrior ad pugnam est odio, minus aptus ad enses,*
*Non minus ad palmas ingeniosus amor.*
*Ergo alacrem non ante pedem fas sistere, notas*
*Quàm fueris tuto tramite nacta manus.*

*Quas*

*Quas vbi vix medias inter defessa quieris,*
*Te culpam inspecta sentiet ille suam.*
*Ac velut obiectu speculi sordentia si quis*
*Viderit, admota corrigit ora manu.*
*Aspectu sic ille tuo damnatus, iniquas*
*Corriget officij sedulitate moras.*
*Tum iubeo Torquatum adeas festina Lobellum.*
*Iam breue, sed magni restat amoris iter.*
*Hanc illi, tibi quam mando, cane læta salutem,*
*Annuat vt grata vocibus aure tuis.*
*Tum memor hæc addas, studio me explesse fideli*
*Iussa, quibus nostram vinxerat ille fidem.*
*Illa mihi caras inter non vltima curas*
*Cura fuit memori, quantulacunq. fuit.*
*Quæ mihi dicendæ dederat mandata salutis,*
*Omnia (sic fidei ius fuit) acta refer.*
*Præterea mihi de geminis mandauit amicis,*
*Quò paret hic abitum, quò paret ille, rogem;*
*Scilicet, hinc Rufum quò proximus euocet annus,*
*Quæue virum maneant munera, quiue labor,*
*Si sciat, vt nolit carum nescire sodalem!*
*Pagina sed veræ nuncia vocis eat.*
*Dic, illi iam penè pedes gestire, suumq.*
*Discessum aduentu prædidicisse meo.*

*Cetera nequicquam cupidi scitamur; & aures*
*Turpius ad cupidas murmur inane crepat.*
*Nec, Massum quæ fata vocent, quiue exitus, illi*
*Spem datus hanc certo nuncius ore tulit.*
*Omnia parendi studium suspendit; & illa*
*Ire monet, celerem quæ rapit hora pedem.*
*Iam, quod amicitiæ pepigit mea cura, peregi.*
*Te fidei testem nouerit esse meæ.*
*Quæq. erat acceptis monitrix data pagina iussis,*
*Excubias vigili præstitit illa mihi.*
*Quicquid habet demum, nostro quod mandet amori,*
*Dulce erit officij, dulce laboris onus.*
*Hæc refer; & pleno quantum ære, vel ore valebit,*
*Intonet extremum tibia pulsa Vale.*

# Ad eundem.

## ELEGIA VII.

*AT tibi quid Phæbus tãdudũ indormit Horati?*
*Scilicet vt præeat tibia nostra tuam.*
*En præit, & cantu iam te, velut ante, lacessit.*
*Fac tua sit meritas reddere prompta vices.*
*Excubitor, Ianirle, tuo sum factus amori*
*Qui negat officijs inuigilare suis.*

*Heu*

*Heu dormitat amans. vbi nunc amor exulat ille,*
*Cui dormire labor, cui vigilare quies?*
*Vis ne meam signare tibi vestigia, Musam,*
*Tutus vt ingressum, quà ferat illa, feras?*
*Quid tua, sollicito quà se via pandit amanti,*
*Me sibi Calliope postulat ire ducem?*
*Tu mihi dux, inquit, mihi fax, mihi præuius ignis:*
*Labor, inexpertum ni moderere pedem.*
*Quisq. solet comiti primas deferre pericli,*
*Tentandi dubium fluminis ante vadum.*
*Siccine tu mecum? scelus est in amore secundas*
*Quærere, nam primas cedere nescit amor.*
*Ergo iter officij nisi me præeunte sequaris,*
*Ire neges potius, quàm prior ire velis?*
*An rudis, an nouus es tam noto in calle viator?*
*Hic ductoris eget, quisquis amoris eget.*
*Nil equidem rebar de te mihi tale verendum,*
*Vltima cùm nostrum solueret hora pedem.*
*Nam fore iactabas, nobis vt missa præiret*
*Huc tua Pierijs picta tabella notis.*
*Cùm tamen huc veni, nec me præuenerat illa,*
*Nec subijt gressus ponè secuta meos.*
*Ire licet tarda citius testudine saltem*
*Debuit, aut paulò serius, ire tamen.*

*Denique iam venit nostris excita querelis.*
*Non amor euicit, non pudor ipse moras.*
*Sic ratis, ad cursum cui se laxare recusat*
*Anchora, vi rapidi soluit abacta Noti.*
*Sat mihi (quid refugis?) tua te promissa ligarunt.*
*Nempe reum fidei te pudet esse tuæ.*
*Officij captiua sui tua dextera collo*
*Cùm dedit amplexus vincula cara meo,*
*Sponte sui nauos mihi pollicis obtulit vsus,*
*Et quicquid calami pangeret arte sui.*
*Quid tua Calliope? munus congessit in vnum*
*Plectra, lyram, calamum, barbiton, ora, tubam.*
*Dic, vbi verborum tot millia? distulit Eurus,*
*Cui grauius frondem tollere pondus erat.*
*Cælifer ille olim. quin tu promissifer Atlas?*
*Promissum est toto grandius Orbe tuum.*
*Pollicitis onerata fides cadit inter eundum,*
*Aut labat, ad metam currere tarda suam.*
*Re tamen in parua lucrum est optabile falli:*
*Qui leuiter pungit; ne feriare, monet.*
*Fraus leuis est magnæ monitrix fidissima fraudis:*
*Nuntiat obtectum visa fauilla rogum.*
*Desine promissis iam nos onerare caducis.*
*En tibi quo noster more reponit amor.*

*Iam*

*Iam meus hoc iterum te carmine visit Apollo.*
*An tuus ad cantum mutuus esse neget?*

# De mure capto.

## ELEGIA VIII.

*Claudite felices, mea lumina, claudite noctes:*
*Ducite per tacitas otia longa moras.*
*Somne redi: tuus hostis abest: fragor ille resedit,*
*Qui te luminibus depulit ante meis.*
*Ille tuus, tuus ille meis è sedibus hostis*
*Pulsus abest: reueni somnule, cæsus abest.*
*Iam murem, iam furem illum mea dextra cecidit,*
*Qui tibi latrator, qui mihi tortor erat.*
*Nocte caput tota versabam in stramine paruo.*
*Nulla meum poterat lumen inire quies.*
*Cùm sopor interdum fessis illapsus ocellis,*
*Laxaret placido languida membra toro;*
*Ecce leues simul excitus fragor occupat aures,*
*Et subito ceruix impete quassa tremit.*
*Perpetuò latus huc, illuc reuolutus agebam,*
*Nescius ingratæ ferre quietis onus.*
*Mæstaq. dum curis languent agitata diurnis*
*Pectora: penè oculis lux sine luce redit.*

*Erudiant vt visa tuos hæc facta labores,*
*Nec toto moueas orsa minora Deo.*
*Quæ benè suspiciunt Numen, stant Numine vires:*
*Et numquam audendi prodigus errat amor.*
*Perge animis, quò fama vocat te laudis auitæ:*
*Semper ab exemplo crescere discit honos.*
*Inuida virtuti si qua est, aut æmula virtus,*
*Vlla ne sit meritis inuidiosa tuis?*
*Solue fidem. timor officio, mora cedat amori,*
*Sit licet attritis artubus ægra salus.*
*Inter opus truncas spera succrescere vires:*
*Roborat audendo spes animosa suos.*
*Ingeritur diuina suo de fonte voluptas,*
*Vt noua sit robur semper ad ausa recens.*
*Cense animo, quantùm fiducia Numinis audet.*
*Nulla pares casus alea sortis habet.*
*O genus, ò nomen stygio ferale Tyranno,*
*Impia ne fatis iniice fræna tuis.*
*Huc te fata vocant: faciles da mentis habenas;*
*Tutus vt auriga cælite vectus eas.*
*Fortunati Ignatiadæ, si creditus Euro*
*Vester ad hæc puppim littora cursus agat.*
*Hæc ait; & prono iam vespere læta supremum*
*Emerito clausit lumine vita diem.*

# Gratias agit amico,

## A quo cereas aliquot cæleſtis Agni imagines dono acceperat.

### ELEGIA V.

*VNa mihi Charitum, ſed qua non altera Cælo*
*Candidior, patrium linquere viſa Polum.*
*Natiuo mentita vagum quæ lumine Solem,*
*Inſuetum nitido protulit ore diem.*
*Lectaq. nubiuago metiri tramite Cælum,*
*Diffidit aëriam molliter acta plagam,*
*In me oculorum intentā faces, intenta volatum,*
*Et prope me volucrem ſiſtere certa pedem.*
*Qualis ad optatam volucris Mæandria ripam*
*Per vaga diuiſum nubila mollit iter.*
*Aut modò quæ cinerum partu rediuiua ſuorum,*
*Læta nouum pennis æthera luſtrat auis.*
*Vt ſtetit, & nitido propius me aſpexit ocello,*
*Nota mihi inceſſu, notior ore Dea:*
*Sydereum riſu retegit mihi frontis honorem,*
*Soluit & in tales dulcia verba ſonos.*
*Sera, nec ignoras à quo tibi miſſa ſodali,*
*Munificæ venio fida miniſtra manus.*

*Nec mirere moram. potui vix vincere tandem,*
*Ne foret aduentus tardior hora mei.*
*Nam cùm languentem morbi diſcrimine vitam*
*Æger in ingrato fouerit ille toro:*
*Quid niſi deberem, natum miſerata iacentem,*
*Anxia Pæonias quærere mater opes?*
*Ille meas inter quondam, dum paruulus, vlnas*
*Geſtijt, & collo dulce pependit onus.*
*Signa gerit, queis rite meum ſe præbet alumnum,*
*Et fotum in gremio ſe probat eſſe meo.*
*Vidiſti egregia præſtantes indole mores,*
*Et quæ iucunda gaudia fronte nitent?*
*Et mite ingenium, magnoq. ſonantia Phœbo*
*Pectora, Pierium fundere docta melos:*
*Ora, fores animi, fictis imperuia dictis,*
*Nataq. Phœbeæ prodere mentis opes:*
*Et quicquid læti ſpirat clementia vultus,*
*Quiq. genas roſeo ſufficit igne pudor:*
*Omnia ſunt noſtri monumentum, & pignus amoris.*
*His teſtata gerit munera noſtra notis.*
*Altera diuinæ ſeruat decora inclyta laudis,*
*Quæ dedit Euphroſyne, quæq. Thalia ſoror.*
*Tota cohors Charitum ſtudijs communibus illum*
*Auximus, & curam hanc æmulus auxit amor.*
*Nos*

*Nos illum ætheriam Auroræ surgentis ad oram*
*Duximus, Eoas quà citat illa rotas.*
*Vt, digitis cùm mane diem Dea tingeret aureis,*
*Candentes roseo pingeret igne genas:*
*Vt superet longè Tithonia fata iuuentæ,*
*Multaq. florenti secula pube terat.*
*Dum tener assueuit blandis amplexibus olim*
*Cingere ceruicem grata corolla meam:*
*Hîc illi afflaui, ingenium, moresq. decoros,*
*Quiq. verecundo spirat ab ore lepos.*
*Scilicet in lucem, humana licet editus aluo,*
*Venerat, altricem dignus habere Deam.*
*Inter Acidalios illum mea cura liquores*
*Lauit, & Assyrio sparsit odore comam.*
*Pierios illi calamos, diuinaq. Phœbus*
*Plectra dedit, precibus munera parta meis.*
*Quin, duce me, vitæ securum insistere callem*
*Cœpit, & æternæ molle salutis iter.*
*Quid memorem, quas ille meó de pectore traxit*
*Illecebras, animi dulcia vincla tui?*
*Hinc animos hominum didicit vincire merendo,*
*Et dare, quà Charites munera lege iubent.*
*Nec melius quemquam docui, cùm munus amicæ*
*Porrigit, oblata vertere terga manu.*

*Is tibi, quò veteri noua vincula nectat amori,*
*Hæc me ferre iubet nomine dona suo.*
*Dixit, & aurata pyxis quæ veste latebat,*
*Proditur. En, inquit, muneris arca tui.*
*Tum manibus reserat promptis; & prima reclusi*
*Edidit ò quantum pignoris aura iubar!*
*Qualis in herboso latuit cùm forte pyropus*
*Tegmine, gramineum perditus inter agrum.*
*Iamq. diu tacitam quæsitus nocte per vmbram*
*Sollicitum tecto lumine fugit herum.*
*At manus impostum si quà leuet anxia gramen,*
*Sponte micans radijs proditur ille suis.*
*Non secus amoto nitidum velamine munus*
*Emicat, atq. vnà muneris auctor amor.*
*Detegitur sacri species venerabilis Agni,*
*Et trahit ad vultus oscula nostra suos.*
*Promicat æternæ vexillum insigne salutis,*
*Dum vocat ætherias signifer Agnus oues.*
*Cernitur expressa clemens in imagine Numen,*
*Et spirant ficto cerea signa Deo.*
*Signa quidem aut nudæ faciem referentia ceræ,*
*Aut quæ fulgenti serica veste latent.*
*Serica, queis argentum, aurumq; & textile cocco*
*Fulget, & in paruo nectitur orbe decus.*

Palla-

*Palladiæ monumenta manus. micat æmula cælo*
*Plena quaterdenis arcula ſyderibus.*
*Irradiant varijs picti fulgoribus orbes,*
*Quos manus Idæa dædala pinxit acu.*
*His auro murex, his murice cingitur aurum;*
*Et variat gratas mutua flamma vices.*
*Cingitur hic oſtro, & ferrugine fuſcus Ibera:*
*Circuit hunc rutilo fimbria picta croco.*
*Hic minio fibras, & vermiculis argenteis*
*Diſtinctus vario diſcolor igne micat.*
*His riget, & nodis criſpatur molliter aureis*
*Nexa per intortos flexilis ora ſinus.*
*Qualis agit ſeſe, & ſinuoſis flexibus anguis*
*Torquet in vndiuagam lubrica terga fugam.*
*His varium triplex diſcriminat ora volumen,*
*Et triplici ſerpit ſericus angue labor;*
*Omnibus intexto micat aſtrum ſutile in auro.*
*Ambigeres, eſſet pyxis, an illa polus?*
*Tale decus non Inda manus, non Lydius vnquam*
*Edidit Idalia nobilis arte labor.*
*Non Sidon operoſa, ſuo dum ludicra Marti*
*Alipedes Tyrio vellere pingit equos.*
*Aut ſibi quæ radijs ordita eſt funus Arachne,*
*Spernere diuinam Palladis auſa manum.*

*Aut quæ dædaleis operum miracula pensis*
*Munere texebat Cypridos Ida suæ.*
*Aut Babylon, pictas animat quæ pectine telas,*
*Aut animas pluma texere docta Pharos:*
*Seu doceat pulchro pictos heroas in ostro*
*Viuida mentito ludere bella metu.*
*Seu studeat rerum mutos effingere vultus,*
*Gaudeat vt verum spernere fictus ager.*
*Nimirum Charites habuit labor ille magistras,*
*An, cùm Diua dedit munera, verba dedit?*
*Nam simul in mensam exposita est formosa supellex,*
*Pauit & optatus lumina nostra nitor:*
*Hæc, inquit mihi Diua, tuus, mea cura, sodalis*
*Munera dat, nostræ pignora sancta manus.*
*His meus orbiculis teritur labor impiger: hæc est*
*Orbita, quam Charitum sedula vertit acus.*
*Accipe, & acceptum à Diua Rinaldide munus*
*Sola, precor, seruet pectoris arca tui.*
*Iamq. vale, longumq. vale: felicia multos,*
*Et memores nostri dent tibi fata dies.*
*Sæpe aliàs te, si qua volet fortuna, reuisam,*
*Et pedibus notis limina nota teram.*
*Hæc ait, & refugo se proripit alta volatu,*
*Et timuit grates Diua benigna meas.*

Sic

*Sic auis, inspecto per iniquos aucupe lucos,*
*Auolat, occultum fallere cauta dolum.*
*Dumq. sequor vana fugientem voce; proteruam*
*Acrius irritant irrita verba fugam.*
*An, nisi Diua dato fugiat pro munere grates,*
*Gratia nec dici vera, nec esse potest?*
*Nec tamen aufugiens mihi me Dea linquit; & illa*
*Vt veniente ligor, sic fugiente trahor.*
*O Dea, quæ meritis inopem me ingentibus ornas,*
*Te ne dies animo deleat vlla meo?*
*Ante suum casura dies labetur in ortum,*
*Surget ab occasu Cynthius ante suo;*
*Ante reget cælo, versis in deuia fatis,*
*Noctis equos Phæbus, Cynthia lucis equos;*
*Aut oblita suum labentia flumina pondus,*
*In proprium vertent se resupina caput;*
*Aut eiecta tuum fugiet clementia pectus:*
*Quàm Dea tu nostro pectore lapsa cadas.*



# Ad Horatium Giãninum è Societate Iesu.

ELEGIA VI.

*MVsa (laceßitum iam te sua carmina mittet)*
*Carmine Ianinum prima lacesse meo.*
*I, decet officium calami præuertere. cantum*
*Præripe, Pieriam dum parat ille tubam.*
*Quin age, consilio ne me præuertat eodem,*
*Per iuga difficilem corripe nota viam.*
*Nota: nisi oblita es, quis te mecum egerit error,*
*Cùm tulit huc vnum nos iter, vnus amor.*
*Sæpe alacres gladijs concurrere vidimus hostes,*
*Et prius, hic ictum quàm paret, ille ferit.*
*Hac etiam veri pugna luctantur amores;*
*Et prius, hic munus quàm paret, ille dedit.*
*Hanc odijs ne cede, precor, nec amoribus artem.*
*Conuenit in mores astus vterq. tuos.*
*Quippe dolos amor hostiles (dum vincat amorem)*
*Nititur, ingenij vincat vt arte sui.*
*Acrior ad pugnam est odio, minus aptus ad enses,*
*Non minus ad palmas ingeniosus amor.*
*Ergo alacrem non ante pedem fas sistere, notas*
*Quàm fueris tuto tramite nacta manus.*

Quas

*Quas vbi vix medias inter defeſſa quieris,*
*Te culpam inſpecta ſentiet ille ſuam.*
*Ac velut obiectu ſpeculi ſordentia ſi quis*
*Viderit, admota corrigit ora manu.*
*Aſpectu ſic ille tuo damnatus, iniquas*
*Corriget officij ſedulitate moras.*
*Tum iubeo Torquatum adeas feſtina Lobellum.*
*Iam breue, ſed magni reſtat amoris iter.*
*Hanc illi, tibi quam mando, cane læta ſalutem,*
*Annuat vt grata vocibus aure tuis.*
*Tum memor hæc addas, ſtudio me expleſſe fideli*
*Iuſſa, quibus noſtram vinxerat ille fidem.*
*Illa mihi caras inter non vltima curas*
*Cura fuit memori, quantulacunq. fuit.*
*Quæ mihi dicendæ dederat mandata ſalutis,*
*Omnia (ſic fidei ius fuit) acta refer.*
*Præterea mihi de geminis mandauit amicis,*
*Quò paret hic abitum, quò paret ille, rogem;*
*Scilicet, hinc Rufum quò proximus euocet annus,*
*Quæue virum maneant munera, quiue labor,*
*Si ſciat, vt nolit carum neſcire ſodalem!*
*Pagina ſed veræ nuncia vocis eat.*
*Dic, illi iam penè pedes geſtire, ſuumq.*
*Diſceſſum aduentu prædidiciſſe meo.*

*Cetera nequicquam cupidi ſcitamur; & aures*
*Turpius ad cupidas murmur inane crepat.*
*Nec, Maſſum quæ fata vocent, quiue exitus, illi*
*Spem datus hanc certo nuncius ore tulit.*
*Omnia parendi ſtudium ſuſpendit; & illa*
*Ire monet, celerem quæ rapit hora pedem.*
*Iam, quod amicitiæ pepigit mea cura, peregi.*
*Te fidei teſtem nouerit eſſe meæ.*
*Quæq. erat acceptis monitrix data pagina iuſſis,*
*Excubias vigili præſtitit illa mihi.*
*Quicquid habet demum, noſtro quod mandet amori,*
*Dulce erit officij, dulce laboris onus.*
*Hæc refer; & pleno quantum ære, vel ore valebit,*
*Intonet extremum tibia pulſa Vale.*

## Ad eundem.

### ELEGIA VII.

*AT tibi quid Phœbus tãdudũ indormit Horati?*
*Scilicet vt præeat tibia noſtra tuam.*
*En præit, & cantu iam te, velut ante, laceſſit.*
*Fac tua ſit meritas reddere prompta vices.*
*Excubitor, Ianiræ, tuo ſum factus amori*
*Qui negat officijs inuigilare ſuis.*

Heu

*Heu dormitat amans. vbi nunc amor exulat ille,*
*Cui dormire labor, cui vigilare quies?*
*Vis ne meam signare tibi vestigia Musam,*
*Tutus vt ingressum, quà ferat illa, feras?*
*Quid tua, sollicito quà se via pandit amanti,*
*Me sibi Calliope postulat ire ducem?*
*Tu mihi dux, inquit, mihi fax, mihi præuius ignis:*
*Labor, inexpertum ni moderere pedem.*
*Quisq. solet comiti primas deferre pericli,*
*Tentandi dubium fluminis ante vadum.*
*Siccine tu mecum? scelus est in amore secundas*
*Quærere, nam primas cedere nescit amor.*
*Ergo iter officij nisi me præeunte sequaris,*
*Ire neges potius, quàm prior ire velis?*
*An rudis, an nouus es tam noto in calle viator?*
*Hic ductoris eget, quisquis amoris eget.*
*Nil equidem rebar de te mihi tale verendum,*
*Vltima cùm nostrum solueret hora pedem.*
*Nam fore iactabas, nobis vt missa præiret*
*Huc tua Pierijs picta tabella notis.*
*Cùm tamen huc veni, nec me præuenerat illa,*
*Nec subijt gressus ponè secuta meos.*
*Ire licet tarda citius testudine saltem*
*Debuit, aut paulò serius, ire tamen.*

*Denique iam venit nostris excita querelis.*
*Non amor euicit, non pudor ipse moras.*
*Sic ratis, ad cursum cui se laxare recusat*
*Anchora, vi rapidi soluit abacta Noti.*
*Sat mihi (quid refugis?) tua te promissa ligarunt.*
*Nempe reum fidei te pudet esse tuæ.*
*Officij captiua sui tua dextera collo*
*Cùm dedit amplexus vincula cara meo,*
*Sponte sui nauos mihi pollicis obtulit vsus,*
*Et quicquid calami pangeret arte sui.*
*Quid tua Calliope? munus congessit in vnum*
*Plectra, lyram, calamum, barbiton, ora, tubam.*
*Dic, vbi verborum tot millia? distulit Eurus,*
*Cui grauius frondem tollere pondus erat.*
*Cælifer ille olim. quin tu promissifer Atlas?*
*Promissum est toto grandius Orbe tuum.*
*Pollicitis onerata fides cadit inter eundum,*
*Aut labat, ad metam currere tarda suam.*
*Re tamen in parua lucrum est optabile falli:*
*Qui leuiter pungit; ne feriare, monet.*
*Fraus leuis est magnæ monitrix fidissima fraudis:*
*Nuntiat obtectum visa fauilla rogum.*
*Desine promissis iam nos onerare caducis.*
*En tibi quo noster more reponit amor.*

*Iam*

*Iam meus hoc iterum te carmine visit Apollo.*
*An tuus ad cantum mutuus esse neget?*

# De mure capto.

## ELEGIA VIII.

*CLaudite felices, mea lumina, claudite noctes:*
*Ducite per tacitas otia longa moras.*
*Somne redi: tuus hostis abest: fragor ille resedit,*
*Qui te luminibus depulit ante meis.*
*Ille tuus, tuus ille meis è sedibus hostis*
*Pulsus abest: reueni somnule, cæsus abest.*
*Iam murem, iam furem illum mea dextra cecidit,*
*Qui tibi latrator, qui mihi tortor erat.*
*Nocte caput tota versabam in stramine paruo.*
*Nulla meum poterat lumen inire quies.*
*Cùm sopor interdum fessis illapsus ocellis,*
*Laxaret placido languida membra toro;*
*Ecce leues simul excitus fragor occupat aures,*
*Et subito ceruix impete quassa tremit.*
*Perpetuò latus huc, illuc reuolutus agebam,*
*Nescius ingratæ ferre quietis onus.*
*Mæstaq. dum curis languent agitata diurnis*
*Pectora: penè oculis lux sine luce redit.*

*Talia per longas ducebam tædia noctes.*
*Paruus erat tanti mus mihi causa mali,*
*Qui mihi restincto cùm vix nutantia lychno*
*Clausa soporifera lumina nocte forent:*
*Protinus excito tectum stridore pererrat,*
*Et fugit attonita territus aure sopor.*
*Illum ego dum certa venari fraude laboro;*
*Armor, & hunc facili molior arte dolum.*
*Composui curuam leui super assere testam,*
*Altius vt paruo vimine fulta cubet.*
*Sic tamen, vt lento vimen decumbere tactu*
*Possit, & hoc itidem, testa cadente, cadat;*
*Quæ sublata suum dum prona recumbit in alueum,*
*Ingressum taciti muris aperta manet.*
*Casura struitur fallax testudine tectum,*
*Nec patitur longas prompta ruina moras.*
*Esca subest aut nux, aut fumidus igne recenti*
*Caseus: hunc vinctum vimine vimen habet.*
*Vimen vt à tactu simul hoc, simul illud eodem*
*Corruat, & testæ casus vtrumq. premat.*
*Musculus olfactam noctu succedit ad escam,*
*Lentaq. securo vimina dente petit.*
*Illa ruunt: simul ipsa sequi non tarda ruinam*
*Incumbit prædæ conscia testa suæ.*

Mus,

*Mus, vbi ſe paruo concluſum carceris alueo*
*Sentit, & effugio ianua nulla patet:*
*Preſſus agit ſeſe, & luctamine verſat inani:*
*Non fuga tentatis ſaltibus vlla datur*
*Teſta vagans circum, atq. aſſultibus acta ſubactis*
*Vndiq. ſuccuſſo fornicis orbe ſonat,*
*Luctantemq. feram non eluctabilis arcet,*
*Et premit exiliens pulſa, repulſa caput.*
*Præda latens vanos cæco rotat impete ſaltus,*
*Et furijs rabidos implicat acta pedes.*
*Dumq. petit, repetitq. inſano vertice tectum,*
*Nititur in vanam preſſa, repreſſa fugam.*
*Fit fragor. excutitur trepido de lumine ſomnus:*
*Meq. monet captæ ſtridula lucta feræ.*
*Lætor. At, at noſtras, inquam, latruncule fraudes*
*Non erat ingenij fallere poſſe tui.*
*Nonne tibi toties prædixi muſcule? nonne hoc*
*Illud erat, noſtræ quod cecinere minæ?*
*Omnia nunc repetas vitæ commiſſa prioris;*
*Et tibi ſupplicij præcine fata tui.*
*Tene meam, tu ne ille ſoles, inſane, papyrum,*
*Et teneros auido rodere dente libros?*
*Non morſu, non ore liber, ſed mente vorandus:*
*Littera non editur dente, ſed ingenio.*

*Dic quoties turbata mei per culmina tecti*
*Puluereo nostrum sparseris imbre torum?*
*Quisquiliæ rimosa mihi per tecta pluebant,*
*Quas tuus excuteret nocte silente fragor.*
*Sic ego te posthac sordes cribrare docebo,*
*Vt tua sub cribro sordeat aula tuo.*
*Tu mihi gestibas placidam turbare quietem,*
*Ludens terriculis lumina nostra tuis.*
*Sæpe tuo sensi limen strepere omne recursu,*
*Et velut errantes verrere tecta rotas.*
*Tene feram insidijs mihi somnum abrumpere* **tantis?**
*Tu ne meum vexes stridula larua caput?*
*Qui sæpe ad vigiles rapias mea lumina curas,*
*Sæpe etiam vano luseris ipse metu.*
*Iam repeto quoties nostri de sanguine lychni*
*Explerit fauces vncta rapina tuas.*
*Improbe fur, plenas populari nate lucernas,*
*Siccine Palladiæ pabula lucis amas?*
*Ipsa etiam explorans per cæcam ellychnia noctem,*
*Ausus es in medijs linquere rapta libris.*
*Omnia iam sordent olidis obducta lituris:*
*Penè caret maculis pagina nulla tuis.*
*Si mihi quid pollex, calamiue industriæ peccet;*
*Quid iuuat errores ista litura meos?*

*Semine*

*Seminè quin etiam, tua quod malè seminat aluus,*
*Non puduit mensam spargere sæpe meam.*
*Improbe, quem sperem tali de semine fructum?*
*Hoc nequit in nostro crescere semen agro.*
*Mox ego te serere, & longè petere arua docebo,*
*Aptaq. seminibus quærere rura tuis.*
*Tu mihi flectendi sedem quoq. poplitis, in qua*
*Nitor ad orandum, cernuus ante Deum,*
*Audebas, infande, olidis respergere baccis,*
*Sordida quas alui coxerat olla tui?*
*Nil mihi te puduit, pecus ò fœdissima, tantùm*
*Hac turbare pias impietate preces?*
*An locus, an latebræ deerant; vbi, luride, posses*
*Eiectum saturi spargere ventris onus?*
*Nunc tua furandi prodit te insana cupido:*
*Detegit auctorem fraus iterata suum.*
*O scelus, ò nostræ fur importune quietis,*
*Quo mihi supplicio crimina tanta lues?*
*An potes, vt debes, talem mihi perfide pœnam*
*Pendere, quæ capiti sit medicina meo?*
*Talia dum minitans iacto; non segnius ille*
*Sese agit, & paruo clausus in orbe gemit.*
*Excitor è stratis, hiemiq. obluctor, & auræ:*
*Frigidaq. inuito tegmine membra tego.*

Vestigo pedibus crepidas celer. altera deerat:
Obuia sic geminos prouocat vna pedes.
Altera quo sublata dolo, quibus erret in oris
Miror, & hinc mentem distrahor, inde pedem.
Tandem animo subiit, magno me vrgente tumultu,
Lumina cùm primus clauserat ante sopor,
Abreptam subito crepidam iactasse furore,
Quo simul horrerent limina, tecta, solum.
Scilicet vt vano terrerem verbere murem,
Cuius erat strepitu pulsa fremente quies.
Pes vbi desperat crepidam; subit ima cubilis
Fulcra manus, notam quærere docta viam.
Hic mihi calceoli externum seruantur ad vsum,
Quos terit vrbani nobile callis iter.
Horum alter, quemcunque manus sortitur, ad vnum
Aptatur, crepida deficiente, pedem.
Non procul hinc studiorum intus male sana meorum
Mensa reuoluendis distat onusta libris.
Quam super incurua structus testudine carcer
Luctantem angusto clauserat orbe feram.
Huc feror attento numerans vestigia gressu,
Ne mihi nox celerem fallat opaca pedem.
At manus explorat cæcas prætenta tenebras,
Et regit obscurum præuia noctis iter.

Iam

*Iam testam illæsus teneo: prædamq. subactam*
*Dextera, correpto fornicis orbe, premit.*
*Quid facerem? si testa manu submota leuatur,*
*Lubricus obiectam falleret ille manum.*
*Quis scit, an & digitum morsu perstringat acuto,*
*Et victore necem victor ab hoste ferat?*
*Subiectam incœpit testudo vertere mensam*
*Huc, illuc tremula sæpius acta manu.*
*Nec se, mota licet, resupinam inuertit in aluum.*
*Sed terit inculti fornicis ore solum:*
*Vt flictum sic trusa inter se cauda frequentem*
*Exerat instanti tortilis ansa neci.*
*Irrita sedulitas. Aliam tamen ordior artem,*
*Primaq. commentum corrigit orsa nouum.*
*Longa humeros multo mihi tegmine vestis obibat,*
*Cui patulum cogit plurima ruga sinum.*
*Hanc manibus summa collectam amplector ab ora:*
*Plenaq. crispanti dextera fasce tumet.*
*Tum super obtento testam velamine condo,*
*Quam circum amplexu brachia nexa cubant.*
*Vt cùm subiecto releuetur ab assere fornix,*
*Et data iam profugum ianua cesset iter;*
*Præda per offusum sese fugitiua volumen*
*Induat in varios illaqueata sinus.*

Quam manus attento cùm senserit obuia tactu,
Occupet, & valido proterat vngue caput.
Dextera se circum digitis obeuntibus obdit,
Ne fera tentatam vincat inire fugam.
Testaq; subiectæ quæ strictim oppressa tabellæ
Tecta subest posito tegmine, tecta manu,
Prenditur, & læua parcè suspensa tenetur,
Vt leuet è tacto dedita labra solo.
Hinc tamen in faciem pressi cubat asseris: inde
Submouet erectum semisopita latus.
Præda fugam testæ submotam secta per oram
Exerto profugum vertice tentat iter:
Cùm simul oppressi caput intercepta labello
Fornicis, & subito pondere pressa gemit.
Cui manus impositam validè simul vtraq. molem
Læua suo subigit robore, dextra suo.
Nec mora: disiecto ceruix elisa cerebro
Otia ceruici vidit adepta meæ.



# De tussi, ac phthisi,

## Qua Poëta perdiu vexatus, occubuit tandem.

### ELEGIA IX.

*QVid tantū hanc pulsas animā mala pectoris hospes?*
*Et fragiles vitæ succutis alta fores?*
*Quid me adeo spirare vetas, atq. ima profundo*
*Pectora singultu pulsa, repulsa premis?*
*Mitius incudem gemino cum fratre Pyracmon*
*Tundit, vbi Ætnæus polluit astra vapor.*
*Æmula fraterno rupes Scyllæa barathro,*
*Mitius alliso personat icta freto.*
*Vincula si nostrum fuerent adamantina pectus,*
*Impete sat poterant dissiluisse tuo.*
*Cede loco vesana. quid ò tam sæua recurris,*
*Et toties pulso gutture rauca sonas?*
*Nil nostri miserere? quid hæc præcordia tanto*
*Verbere, quid tanto vulnere corda petis?*
*Quid follem hoc gestis vitalem inflare veneno?*
*I fera, sic fauces infice Gorgoneas.*
*Angor, & heu totos penitus traiecta per artus*
*Figere me tentat sæua doloris acus.*

*Saucia iam reddunt roseum præcordia rorem,*
*Vitaq. per vetitas liquitur hausta vias.*
*Insidiosa animæ clausum penetrale pererras,*
*Et vitam è propria cominus arce petis.*
*Spumantem ex imo vix pectore vellimus æstum,*
*Quo tenues animæ supprimis arcta sinus.*
*Faucibus insultas, & ineluctabilis obstas,*
*Ne faciles vitæ transigat aura vices.*
*Inq. fatigatum repetitis pulsibus haustum*
*Nequicquam occlusas nititur ante fores.*
*Dumq. animæ tenues intercipis aspera ductus;*
*Spiritus impulsu subsilit vsq. tuo.*
*Frangitur, & victis nequicquam assultibus hæret*
*Nescius obstructum rumpere vocis iter.*
*Nixibus immoritur pressis, & creber anhelo*
*Obdita succussu pellere claustra fremit.*
*Ah latus, ah pectus laxa compage resoluor.*
*Ilia quis tantus dissuit ima labor?*
*Nulla ne depulsam reuocent momenta quietem?*
*Nulla ne singultus sopiat hora meos?*
*Semper hic ex imis animam trahet ossibus angor,*
*Spumeus & pleno gliscet in ore tumor?*
*Plurima curarum per noctem occursat imago,*
*Et queror insomnes peruigil ire moras.*

*Ah*

*Ah quoties fessis, quoties sopor instat ocellis,*
*Et fugit assultu territus ille tuo.*
*Siccine te nullæ vicere Machaonis artes,*
*Sæuaq. Pæonia pharmaca tunsa manu?*
*Ah nequeo curas vltra perferre medentum.*
*Iam medicæ cunctas hausimus artis opes.*
*Et violam, & rosea pressum de fronde liquorem,*
*Quem glaciat dulci saccharis vnda gelu.*
*Atq. Arabum pingui partos ab arundine rores,*
*Et quos arboreo cogit ab imbre Syrus.*
*Balsamaq; & casiam, & liquefacti pocula farris,*
*Indica puniceo cinnama mista croco.*
*Et lac triticeum, & gallis expressa recoctis*
*Iuscula, supremis debita dona malis.*
*Præterea varias, heu barbara nomina, fruges,*
*Sacra Podalirij quas tegit vrna senis.*
*Vbere me pingui multùm pauere capillæ:*
*Me quoq. ridiculum pauit asella nothum.*
*Fusa gracillantum est acies cristata volucrum:*
*Tota vacat dapibus cors populata meis.*
*At noua tu medicam capis incrementa per artem,*
*Sæuius ingenio gliscere docta meo.*
*Quæq. ego supposui vitæ modò fulcra labanti,*
*Addita sæuitiæ tela fuere tuæ.*

*O succis lactata meis, dum subdita malis*
*Mellea per dulces manditur offa moras.*
*Pectoris hospitio dudum grauis hospita nostri*
*Vteris, externum quærere tarda larem.*
*At tua durities ortus cum sidere nostri*
*Sanxit in interitum fœdera certa meum:*
*Sic tibi depactam nostri iam funeris horam*
*Exigis, indignam poscere docta fidem.*
*Parce, quaterdenos nondum superauimus annos,*
*Ne medium caræ præstrue lucis iter.*
*Parce, parant en quanta mei monumenta labores,*
*Queis vouere suos secula longa typos.*

# De Amici iurgio.

## ELEGIA X.

*QVis furor hic mentem curis vltricibus armat?*
*Qua tantũ hoc animo vulnus ab aure venit?*
*Lenta quid aura mali, quid habet vox vna pericli,*
*Qua me suspecti pectoris ira petit?*
*Quis mihi per tacitas Mauors immurmurat aures?*
*Prouocor, & tota classica mente sonant.*
*Me ne leui tantum impulsu nutare, nec vllo*
*Præcipitem nisu sistere posse pedem?*

*Ah*

*Ah mea quàm nullo pietas me robore vallas,*
*Cùm fugiat lento murmure pulsa quies!*
*Rumpitur imbelles fragilis lorica per ictus,*
*Dura nec Herculeus vulnerat æra labor.*
*Nullus agit Boreas altam Babylona colossis:*
*Quælibet arboreas decutit aura comas.*
*Non scopulos irata mouet maris vnda, sed algas:*
*Æra liquant, validæ non adamanta faces.*
*Lusimus; & subitò lusus ad iniqua coegit*
*Iurgia, vocali cuspide tactus honor.*
*Væ mihi, si tanto concussum vulnere pectus*
*Traijcit insani mißilis aura ioci:*
*Quid tum cladis erit, cùm Mars sua fulmina linguis*
*Miscet, & igniuomas sæua per ora minas?*
*Tanta ne pacatæ veniunt ad prælia mentes,*
*Si data ridendi teßera, risus eat?*
*Tu seris hæc animis cultrix natura malorum*
*Semina, quæ stygium germen adulta ferant.*
*Quæ tanto medicina malò, quæ cura medentum*
*Occurrat, stygiam pellere docta luem?*
*Quæ veniunt animis faciles aconita per aures,*
*Nulla Podalirij sustulit arca senis.*
*An penitus defuncta salus, nec scire licebit*
*Vnde petam linguæ debita septa meæ?*

*Vincitur aduerso præceps à remige flumen:*
*Ingenium certo viceris ingenio.*
*Nauita pugnaces fallit luctamine ventos:*
*Tu naturam Euros fallere coge tuos.*
*Quantum animæ, tantum reddunt præcordia flammæ,*
*Et flammam ignimoui flaminis aura fouet.*
*Ergo animo tantum exitij, tantum vna malorum*
*Ingerit optatæ vocula laudis inops!*
*Verus amor verum nunquam deludit amorem:*
*Alterno laudum munere crescit amor.*
*Nec tamen alternum debet dare vulnus amicus,*
*Cùm sua verbosus fœdera læsit amor.*
*Discite, qui lusu tenerum tentatis amorem,*
*Ne sapiant acres ludicra verba sales.*
*Lusus amicitiæ est ludenti parcere amico,*
*Parcendi nullam reddere materiem.*
*Mollis amor velli metuit: nam sæpius illi*
*Exprimitur lento multus ab vngue cruor.*
*Contemptu contemptus honos redimendus honore est:*
*Et pretium diræ vox male iacta necis.*
*Si tamen ingenium natiuo polleat oestro,*
*Hæc hebetet virtus spicula cote sua.*
*Illa aciem genij meliores format in vsus,*
*Vnde datum linguæ nobile virus eat.*

*Si tua quis læto sensit conuicia risu,*
*Cui pudor aspectu fascinat ora tuo:*
*Tu ne perge ioco cedentem vrgere proteruo,*
*Nec mollem rigido pollice carpe cutem.*

# Ad Amicum Massæ rusticantem.

## ELEGIA XI.

*QVi tibi Lubrensi sine me cum Pallade lusus*
*Inter odoratos, dulcis amice, sinus?*
*Scilicet Hesperidum lucos, & flumina curas*
*Quærere, tam lætos abditus inter agros.*
*An Musis certare tuis dum Massica Siren*
*Nititur, indigna prælia voce moues?*
*Qualis ab aspectu ridet piscosa propinquo*
*Crateris, clausi nobilis orbe freti?*
*Hæc tibi magnorum domitrix Regina natantum*
*Destinat ad lautas squamea regna dapes:*
*Delicijs operata tuis, gratoq. labori*
*Prompta suum celeri Nerea lintre natat.*
*Et varias tentat pelagi studiosa per artes*
*Squamigerum tota fallere nocte pecus:*
*Vt paret æquorea munus tibi nobile præda,*
*Atque suo mensas ditet honore tuas.*

*Seu teneros certa venatur arundine sargos:*
*Seu vocat vndiuagos ad sua lina greges:*
*Seu iacit illecebris vescos fallacibus hamos,*
*Seu labyrinthæo vimina texta dolo.*
*Seu quid agit nocturna suum populata profundum,*
*Ad tua littoreas munera cogit opes.*
*Quid pater Autumnus, viridem qui valle recessum*
*Incolit, & * Villæ pinguia culta Nouæ,*
*Vt viret, vt flauo vultum benè concolor auro*
*Porrigit ad promptas pendula poma manus!*
*Qualis adest plenis montanos inter agrestes*
*Corbibus, & saturi munera portat agri!*
*Vt tibi pampinea furtim subridet ab vmbra,*
*Baccatam æstiuo torridus igne comam!*
*Carpe manu: quid furta times? age, carpe labellis.*
*Talia flagitium est condere furta sinu.*
*An potius ficu lacrymosum nectar ab alta*
*Te vocat, & toto quæritur vncus agro?*
*Tende manum, & ramosa leui pete culmina saltu.*
*O mihi si talem deneget vncus opem.*
*Harpago mihi longus eram, mihi furca triformis;*
*Cùm foret ista oculis obuia præda meis.*
*Tam breuior saltu, quàm corpore longior illa*
*Arbor erat, cuius mitia poma forent.*

* Villa Noua vulgo vocatur locus, vbi conditū Massense Collegium Societatis Iesu, ædificio satis amplo, hortisq. laxissimis.

*Cùm*

*Cùm benè ſuccidérem, calcem collectus in imum,*
*Subſiliens iacto corpore fulmen eram.*
*Vna oculis tutamen erat manus, altera forceps,*
*Læuaq. dexterior, quàm mihi dextra fuit.*
*Brachia nectebant ramos me curua per altos;*
*Penſilis è viridi culmine cancer eram.*
*Nulla ſuam vitis complectitur arctius vlmum,*
*Non ita populeas implicat vlla comas.*
*Non hederæ tectis hæſere tenacius altis,*
*Culmine dum toto reptile germen agunt.*
*Tu melius ſacras Phœbi populabere lauros,*
*Lectaq. de ſummo vertice ſerta geres.*
*Aſt ego Pomonæ melior populator opimæ,*
*Ardua natiuo forcipe poma legam.*
*Nunc age, vicinum facili pete tramite fontem,*
*Vinea quà longo tramite radit iter.*
*Hic nemus aucupio felix. viden, inuolat vmbris*
*Ales, & Autumni pabula nota petit.*
*En ſyluoſa fremit per opaca volatile vulgus:*
*Pande per aërias retia rara vias.*
*Vt, cùm pennigeri venient ad pocula cœtus,*
*Aut repetet ſedes garrula turba ſuas:*
*Irruat vmbroſum in tricas per inane patentes,*
*Et cadat in medias capta caterua plagas.*

*Tende dolos: lucum tibi serica cingat Arachne,*
*Cæcaq. prætento flumina casse tegat.*
*Et mediam defendat inobseruabilis auram,*
*Quà parat aligeris hospita tecta nemus.*
*Parte alia, quà culta nouos dant germina fœtus,*
*Et bibit irriguas pomifer hortus aquas,*
*Stet pedicis armata tuis ficulnea malus,*
*Ad sua quæ pingues prandia poscit aues.*
*Si qua mel illibata liquat lacrymabile ficus,*
*Quæ benè iam lacera palleat in tunica;*
*Hic propius, quocunq. venit sessura volucris,*
*Nectaream cupido vellat vt ore dapem;*
*Obsideat ramum laqueo fraus apta soluto,*
*Quæ sciat in nodum tacta redire suum:*
*Vt, cùm insidentes iam senserit alitis vngues,*
*Illaqueet subita nexilis arte pedem.*
*Si quis abit tota nemorum * feriatus ab vmbra*
*Aliger, & fraudes horret adire tuas:*
*Hunc procul accersens pellaci noctua cantu,*
*Conciliet visco commoda lena tuo.*
*Illa capit captiua suos simul ales, & auceps,*
*Et consanguineum prodere nata genus.*
*Illam omnis pennata cohors illudere certant;*
*Cùm venit in medium noctis alumna diem.*

* Feriatus, i consonanti trisyllabum facit.

Ipsa

Ipsa caput quassat gestu nugata loquaci,
Quale ciet choreas Copa Syrisca suas;
Mille salit, resilitq. modis. nunc vertice nutat:
Guttura nunc rauco laxat hiulcà sono.
Nunc subitis actas furijs cita subrigit alas,
Et iacit imbelles irrequieta minas.
Nunc plumas arrecta leues tumet hispida toto
Corpore, senticomus cespes, an hirtus Herix?
Nunc geminas pluma cristas attollit; an aures?
Ni fuerat pennis obsita, felis erat.
Visa suos, audita suos irritat amantes,
Aligeros lusu fallere docta procos.
Seu leuis insurgens iacto micat ardua collo,
Seu collecta suos incubat ante pedes.
Seu retro, prorsumq; vltra, circumq; supraq.
Acta, breuem vario circinat orbe locum.
Hanc sibi libertam docuit sic ludere Pallas,
Tristia dum lætis temperat arma iocis.
Hanc auibus spectandam alta super arbore siste,
Quæ canat insidum stamine vincta pedem.
Tum quæ fæce sua sibi leuit, & vnguine turdus
Vimina, per totum consere crebra nemus.
Crebra super fruticum sata virgea, crebra sub vmbrā,
Quo se cumq; virens brachia lucus agit;

Tota tibi circum lita glutine ſylua rapaci
Aërijs cladem præparet hoſpitibus.
Hic tibi frondoſam tacitus compone latebram,
Teq. ſub arboreum collige tecte larem.
O quantam aſpicies volucrum concurrere turbam,
Et tibi cum lenæ ludere fraude tuæ.
Tum medio in luco, piceis impingere ramis,
Et gemere, & patrio mittere vota Ioui.
Hanc videas ad gulten, & ineluctabile nexum
Hærentem in media quærere morte fugam.
Hanc mordente litu deprenſam, & peſte tenaci,
Aërio claudam ſerpere remigio.
Tu cape viſcata labentem ex arbore prædam,
Et caue, ne in medias incidat illa rubos,
Sæpe aliquam videas pennis errare picatis,
Dumeaq. amiſſo quærere ſepta Polo.
Quid timidam ſequeris curſu ruiture fragoſo?
Sylua tibi volucres non niſi muta vocat.
Sta piger: vnius parua eſt iactura volucris.
Dum nemus inſidijs pareat omne tuis.
Aut illam immiſſa profugam venare Lyciſca,
Quæ ſit nare ſagax, non tamen ore loquax.
Noctua ſi nulla eſt auium tibi nata ſatelles,
Hoc mea ſufficiet Muſa miniſterium.

Pieris

*Pieris illa quidem vana est, & mima volucrum.*
*Maius an indecori quæris in ore decus?*
*Ipsa tibi in summo stabit sine compede ramo,*
*Accito volucrum ludificanda choro.*
*Nullus erit, patrijs qui non ruat ales ab astris,*
*Cùm ludicra vlulæ viderit ora meæ.*
*Ne linat aspersu lucum tibi viscus auaro.*
*Illa fidem aucupio fallit auarities.*
*Hic labor Auroræ sacer est. at sacra sopori,*
*Cùm redit æstiuas quæ tulit hora dapes;*
*Siue sub arboreo fuerint conuiuia tecto,*
*Quà fremit vmbrosum per nemus aura fugax;*
*Siue vbi vicino generosum ex amne lyæum*
*Sponte propinato temperat vnda gelu:*
*Altera sublatis venaberis otia mensis:*
*Fabula cum fessis iussa valere iocis.*
*Ergo age, vicino quà murmurat vnda sub antro,*
*Floreus, atq. vdo fornice serpit ager;*
*Hîc, vbi sollicitis indicta silentia curis,*
*Ne fuge muscoso sternere membra toro.*
*Hîc & odorati frutices, & Massica tempe:*
*Naïas hîc studijs hospita, Phœbe, tuis.*
*Et nemus vndoso semper vocale susurro,*
*Et volucrum dulci carmine sylua loquax.*

*Et corylos inter, grato suauè aspera succo*
*Mala nitent passim semicolore croco.*
*Exulet hinc Lethæa ferens obliuia somnus,*
*Qui sopita graui pectora nocte premit.*
*Hic habitas nostri felix tu luminis hospes,*
*Semiquiete sopor, semisopora quies.*
*Tu leuiter lucem fessis obnubis ocellis,*
*Immemor vt non sim, nec memor ipse mei.*
*Tu mihi nec placido pactos à vespere somnos,*
*Nec partem è solida demere nocte soles.*
*At satis indultum nemori, & syluestribus vmbris.*
*I, noua delicias quære per orsa nouas.*
*Falle moras: iam sera dies. ad littora Nereus*
*Te vocat, & festa lubrica puppe Thetis.*
*Stat tibi quadriiugis Neptunia rheda lupatis:*
*Ibis cæruleis mite per æquor aquis.*
*Littoreumq. iugum, & musco lita saxa marino,*
*Plausaq. blandisonis fluctibus antra leges.*
*Æquoreus puppi stabit iaculator ab alta,*
*Vndiuagas certa qui petat arte feras.*
*Hic tibi vimineo saliet captiua sub alueo,*
*Eruta muscoso squamea turba salo.*
*Nullus erit calamo, nullus labor irritus hamo:*
*Sæpe grauem iacto Protea casse trahes.*

Et

*Et Xiphiam nantum Regem, sargumq. trilibrem,*
*Vndigenam fuluo cum synodonte lupum,*
*Familiamq. omnem Phorci, Glauciq. nepotes,*
*Ipsum cum tota Nerea progenie.*
*Tu benè promissa mullum tibi selige barba:*
*Cetera sint mensis dona secunda tuis.*
*Et repetes sub mane nemus, sub vespere littus,*
*Seu iuga despecto suspicienda mari.*
*Ne mihi littoreos Maurorum horresce tumultus,*
*Neu reuocet cursus territa cymba suos.*
*Massica * turrita Pallas defenditur ora,*
*Et sua de summo fulmina colle iacit.*
*Hanc Dea natalem agnoscit Tritonia sedem,*
*Et genus hoc genio destinat omne suo.*
*Hic lucem visura, Iouis genitale cerebrum*
*Exuit, & patrium diffidit orta caput.*
*Huc etiam Sicula properans Vulcanus ab Ætna*
*Appetijt fœdus connubiale Deæ.*
*Hæc negat. insano furit ille cupidinis æstu.*
*Hinc amor arma mouet flammifer, inde pudor.*
*Diua proci furias, & amorem exosa proteruum,*
*Proxima Sicanium trudit in arua Deum.*
*Hic illum ardentes reuomentem è pectore flammas*
*Vertit in igniuomi culmina celsa iugi.*

* Turritam vocat ob frequentes in ora maritima exædificatas turres ad Mauros, seu Turcas piratas arcendos.

De Vesuuio monte, de Aenaria insula, ac de Vernece scopulo, locis Massæ finitimis tabulas festiue cōminiscimur.

*Dumq. iterat, Væ sæuè tibi, væ sæue Deorum,*
*Iam Deus ex Diuæ voce Vesæuus erat.*
*Hinc longum exercens Pallas cum Cypride bellum,*
*Cypria Lubrenses armat in arma choros.*
*Nec mage virgineo genus vllum indulget amori;*
*Rara, sed insanis innuba forma procis.*
*Quos Dea cæruleo quatiens procul ægida nimbo*
*Arcet, & ardentes promicat ore minas.*
*Aspice montanis surgentem è rupibus arcem,*
*Et procul abrupto mœnia cincta chao.*
*Hinc Dea suppetias quondam latura Tonanti,*
*Dum fera terrigenûm sæuit in astra manus;*
*Tres simul immenso constructos aggere montes*
*Diruit, ætherias eiaculata faces.*
*Extructosq. super castris, cæloq. minantes*
*Attonuit patrio fulminis igne Duces.*
*En vbi pressus adhuc, & hians immane Typhoeus*
*Impositam gemitu decutit Ænariam.*
*Tuq. Gigantei generis pars altera *Veruex,*
*Alte Gigas quondam, nunc maris alta silex,*
*Dum furis auricomo galeam veruece decorus,*
*Impie fulmineum ductor adorte Iouem:*
*Te Dea nata Iouis fugientem, & tela cauentem*
*Fixit in æquoreis nobile marmor aquis.*

*Is est scopulus ita patrio vocabulo à veruecis figura dictus, ceteris grādior, nec longe à Massæ littore dissitus.

Signat

*Signat adhuc scopulosa caput veruecis imago,*
*Formaq. te galeæ nomine prisca notat.*
*At pater ætherius victricem ad præmia natam*
*Dum vocat; O vindex nata parentis, ait.*
*Posce tuum secura Iouem quæcumq. lubebit.*
*Posce: lubet nobis, quod tibi, nata, lubet.*
*Dumq. iterat pete nata lubens: hinc prisca lubentem*
*Palladă, Lubrensem secula nostra vocant.*
*At placitum Diuæ summo de culmine Lubra*
*Et dare iura togis, & dare iura sagis.*
*Glauca loci facies; & oliuiferæ conualles*
*Symbola Palladiæ nuncia pacis habent.*
*At iuga palmifera, & luco sata culmina querno*
*Bellipotens Diuæ numen, & arma notant.*
*Hinc gemina virtute potens Lubrensis origo*
*Testatur Diuæ numen vtrumque suæ.*
*Arma vocant hostes? armis imperuia virtus.*
*Tempora si fuerint mitia; mite genus.*
*Omnibus immulget primos natura per haustus*
*Numina, maternæ lactea facta Deæ.*
*Sic fauet ingenijs tellus natiua creandis:*
*Et sunt certa bonis semina, certa malis.*
*Montibus in Geticis Geticas horrescere mentes*
*Cernis, & Arctoo pectora vincta gelu.*

**Cur Lubrēsis dicta sit Pallas, poeticum commentum.**

*Obuia quæ gelidam cæli plaga respicit Arctos,*
*Temperat ad vires subdita regna suas.*
*Et iubet è tepido terras ignescere Cauro*
*Quo suus ingenijs ignis ab igne venit.*
*Memnonios vultus Sol vrit, & vrit Iberos,*
*Et, reor, est animis conscius ille color.*
*Ingenuos animos Siren creat: imperiosos*
*Albula: versutos aureus amne Tagus.*
*Sic hominum dant quæq. suos cunabula mores,*
*Et patrium virtus non fugit vlla solum.*
*Gallus amans, viuax Calaber, generosus Iapyx,*
*Afer inops, durus Sarmata, mollis Arabs.*
*Par etiam natura feris. Alit India tygres,*
*Afra leas, tellus Thracia Martis equos.*
*Quid legio pennata Iouis? iuga saxea Nisos,*
*Arua ferunt Meropes, Strymonis vnda grues.*
*Luscinias nemorosa parit, scopulosa columbas*
*Ora, dat exiguos littus, an arua paros?*
*Cærula quid Protei pubes? dat Massica rhombos*
*Nereis, octipedes Nesis odora pagros.*
*At melanurus amat Capreas, acipenser Amalphin:*
*Auratas Veruex, ostrea Gaurus alit.*
*Et quis opum genius? num murice sylua, vel auro*
*Floret? an electro diues, an ære Thetis?*

*Terra*

*Terra parens auro: gemmis pater æquor, & ostro:*
*Thura vel Heliadum munera lucus habet.*
*Lex eadem, Syluane, tuis. Dant robora montes,*
*Arua siler, salicem flumina, septa rubos.*
*Mollibus in stagnis mollescere discit arundo:*
*Cornea prædurus germina durat ager.*
*Populeas forsan docuit canescere frondes,*
*Dum vaga vicino candicat vnda vado.*
*Forsitan & cæcas nemorum nisi quæreret vmbras,*
*Non aleret fuscas laurus odora comas.*
*Quàm genij natura tenax, quàm gnara suorum*
*Semina natiuis concialiare locis!*
*Et mirum, si nata togæ, si nobilis armis*
*Progenies sacro Palladis orta solo?*



# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV CARMINVM

## LIBER QVARTVS.

### EPIGRAMMATA.

### Ad S. Andream Apostolum.

I.


*Ancte senex, superi thalamos imitate parentis,*
*Quis te diuinæ coniugis vrit amor?*
*Qualia connubia, & quales celebras hymenæos!*
*Mors, tibi quæ nubit, nupserat ante Deo.*
*Quàm benè coniugium Christi riualis adæquas!*
*Quadrifido recubas fixus, vt ille, toro.*
*Olli picta chlamys natiuo intermicat ostro;*
*Et tibi natiuo murice picta nitet.*
*Pandis ad amplexum caræ tu brachia mortis,*
*Quam tibi porrecto præripit ille sinu.*

Perge

*Perge, age; diuinæ ingemina præconia legis.*
*Hoc parere est prolem, quam parit ille, Polo.*

## S. Sebastianus Martyr.

### II.

*QVæ mibi telorum stipat seges horrida pectus,*
*Et geminum duro traijcit ære latus,*
*Remigium alarum est: densæ sunt spicula plumæ.*
*His licet ad truncum vinctus, ad astra feror.*
*Adde ictus iam dire nouos, noua tela satelles,*
*Et pennas, citius quò ferar, adde nouas.*

## In illud Christi è cruce pendentis,

Sitio.

### III.

*DVM tibi languentes angit sitis arida fauces,*
*Lentaq. labentem deficit aura animam:*
*Nulla laboranti succurrunt pocula vitæ*
*Christe, nec optati munera fontis habes:*
*Si tibi numen idem est, olim cui flumina saxum*
*Fatidico tactum verbere larga dedit;*
*Elice de nostri fontem tibi viscere cordis.*
*An potes è saxis, ex adamante nequis?*

## In illud, Ecce filius tuus.

### Ad S. Ioannem Apoſt.

### IV.

*QVæ te, ſăcte puer, credas hominemne, Deumne,*
*Qui te huius natum Virginis eſſe putas?*
*Non hominem, non eſſe Deum pro munere tali*
*Eſt ſatis. ille prior natus vtrumque fuit.*
*Si te hominem virtus, Diuum natura negauit*
*Eſſe; hominem nec te crede, nec eſſe Deum.*
*Sin optas vtrumque; iſti te crede parenti,*
*Quæ genus in nato iunxit vtrumque ſuo.*

## In illud, Petræ ſciſſæ ſunt.

### Ad Chriſtum Dominum.

### V.

*TEne ego ſanguineo manantem flumine cerno*
*Quadrifidam ſæua ſpargere cæde trabem?*
*Nec liquor in lacrymas? quid me truculentius? eheu*
*Quid mihi tam valido cor adamante riges?*
*Et tamen ingentis tonitru velut icta doloris*
*Terra laboranti concita mole tremit.*
*Quin etiam, ò pietas, vel ſenſibus orba dolenti*
*Diſſiliunt Domino ſaxa miſerta ſuo.*
*Nec vos exemplum iuſti mea lumina fletus*
*Sumi-*

*Sumitis! heu quali sum pietate minor.*
*Proh, minus est durum nostro vel pectore saxum!*
*Vel mea sunt saxo saxea corda magis!*
*Frangere, vel saltem, vt pietas te saxea frangat,*
*O adamas, ò cor iam lapidesce meum.*

## In illud, Vnus militum lancea latus eius aperuit.

### Ad Christum Dominum.

### VI.

*DVm nece distentum trunco tibi corpus ab alto*
*Pendet, vt in pretium te mihi libret amor:*
*Ius læuam pro lance tenet, clementia dextram;*
*Postulat hoc vitam, postulat illa meam.*
*Hoc agit, vt merito me crimine damnet; at illa*
*Vt mea ne merita crimina morte luam.*
*Certatimq. tuum trahit hoc, trahit illa cruorem:*
*Nempe suam hoc lancem degrauat, illa suam.*
*Æquus amor partes examine diuidit ambas,*
*Pensat & æquanimi pondus vtrumque manu.*
*Ast vbi discrimen par vtraq. pendet in æquum,*
*Nec fluit hinc maior, quàm fluit inde cruor:*
*Tu caput in dextrum moriens das vergere nutum,*
*Quo dextrum est monitus figere pectus amor.*

*Hic nutum obſeruat, ceu tutam ad vulnera metam:*
*Tum facili dextrum confodit enſe latus.*
*Sic duplici de fonte ſuam clementia lancem*
*Implet, & in vitam pondus it omnè meam.*

## S. Catharina Senenſis.

VII.

*QVi mihi cor rapuit furto lætatus amico,*
*Ille ſuum abdiderat corde cor ante meo.*
*Inde cor vt rapuit, vitam ſine corde reliquit,*
*At ſine corde meo, non ſine corde ſuo.*

## Eadem

**Ad Chriſtum Dominum cruci affixum.**

VIII.

*FElix aſpectu ſimulacrum inſigne vecendo,*
*Cui ſua commiſit fictilis ora Deus.*
*Eſt aliquid, viuos ſpectare in imagine vultus:*
*Sed quid erit, viuo Numine poſſe frui?*

## Eadem

Præſentem Dominum alloquitur.

IX.

*VEra ne te facies, verus mihi nuncius affers?*
*An magis optanti lumina fallit amor?*
*Ergò aures & voce beas, & lumine vultum:*

*Fas*

*Fas & in amplexus indere colla tuos.*
*Tene ego iam teneo? Cæli iam regna valete:*
*Hæc mihi sat vitæ gaudia: vita vale.*

## Ad Amicum Sacerdotio initiatum.

X.

*QVicquid es, augustũ, ætheriũ, venerabile, sanctũ*
*Quò trahis humanæ conditionis opus? (es.*
*Numen habes: Numen geris alto in pectore: Numen*
*Voce sonas, animo concipis, ore paris.*
*Gaudia quæ tanto celebres natalia nato?*
*Ore paris, partum suscipis ore Deum.*

## Ad eundem.

X I.

*PAnde cor ad gremiũ, mentẽ ad cunabula pande.*
*Qualia mox edes pignora, quale decus!*
*Es pater: ætherij nomen molire Parentis,*
*Qui tibi dat prolis iura paterna suæ.*
*Diuino satus eloquio Deus, ecce secundo*
*Eligit affatum pro genitore tuum.*

## Ad eundem.

X I I.

*AT tua quid tantum spirant præcordia Numen?*
*Quis nouus in sacro spiritus ore sonat?*

*Tu manibus, tu mente Deum, tu pectore versas:*
*Vox tua triticeo condit in orbe Deum.*
*Pande sinum: Deus ecce tuo venit hospes amori,*
*Et subit amplexus, vincula cara, tuos.*
*Os tibi diuinæ fœtum gestamine prolis*
*Parturit ætherij pignora cara patris.*
*Quòd paris ore Deum, quem te dicam esse parentem?*
*Corde quòd excipias, quem rear esse Polum?*

## Ad eundem.

### XIII.

*TOnsa tibi sacros inter nitet area crines,*
*Augustum exiguo quæ notat orbe caput.*
*Scilicet hoc apicem signo tibi Christus iussit,*
*Qui sibi te primas destinat inter oues.*
*Cynthia linque Polum, & capiti te impone verendo,*
*Vt meritam decores digna corolla comam.*
*Sic tua Phœbæum superabunt lumina lumen,*
*Et tua nox nitidum vincet honore diem.*

## Adolescentulus

De subeunda Religione deliberans.

### XIV.

*QVò vocor? ah, durũ est lacrymãtẽ linquere ma- (tre.*
*Quò tamen, & quis me Numinis ignis ag[illegible]?*
*Hinc*

*Hinc pia Relligio, pietas hinc impia matris*
*Clamat: & hic animam clamor, & ille rapit.*
*Vtraq. me natum vocat: vtraq. mater amoris.*
*Postulat hæc primas, postulat illa mei.*
*Hæc vocat, Ah fili. vocat illa, Ah lux mea fili.*
*Me ne, ait hæc, linquis? men, subit illa, fugis?*
*Hinc trahor, hinc retrahor: feror huc, simul auferor il-*
*Sic agitat geminæ me genitricis amor. (luc.*
*Fallor, an ipse magis mihi tantùm obluctor, & obsto?*
*Si me ego, si matrem desero; tutus ero.*

## Ad Robertum Bellarminum Card.

Cum in Neapolitana Prouincia Societatis Iesu Prouincialis Catacense Collegium inuiseret.

X V.

*HOspitium, Roberte, suum cùm nostra pararet*
*Vrbs tibi, quæ tandem tecta paremus? ait.*
*Iam cælum esse velim, aut saltem tota aurea. sed quid*
*Aurea sint tanto limina digna viro?*
*At ciues, genus inuictum ad certamen amoris,*
*En tibi quam sedem, quod penetrale parant.*
*Hospitibus magnis gemmata parabimus, aiunt,*
*Atria. tu nostri pectoris hospes eris.*
*An maiora igitur quæras penetralia? maius*
*Hospitium in terris non habet ipse Deus.*

## Ad eundem,

**Cum Nolanum Collegium repentinus accederet, postridie discessurus.**

XVI.

*QVanquā optatus ades, tñ improuisus: & vna est*
*Quæ dedit aspectum, quæ rapit hora tuum.*
*Lætitiam subito subitam mœrore coërces.*
*Qui data mox adimit gaudia, nulla dedit.*
*O vtinam nobis te serior hora tulißet,*
*Maturam aduentu non præeunte moram:*
*Lætius exceptus, Musis plaudentibus, esses:*
*Quæq. parabantur dona, parata forent.*
*Nunc ades en subitò. subitò quid Musa parasset?*
*Salue, ait; & vox est prima: secunda, Vale.*

## Francisco Eugenio è Societate Iesu.

**A quo laudatus carminibus fuerat, mutuas reddit laudes.**

XVII.

*AT quæ Diua tuo nobis cum carmine venit?*
*An Charis, an potius Pieris illa fuit?*
*Pieridum numeros, Charitum referebat amorem,*
*Et gemini speciem Numinis ore dabat.*
*Vt stetit; insuetum Diuæ mirantur honorem*
*Lumina, cur Diuas præferat vna duas?*

*Visa*

*Visa mihi ætherium iubar ingerit admiranti,*
*Et decus obtutum terret, idemq. tenet.*
*Siue oculos mihi luce beat, seu cantibus aurem;*
*Lux animam ex oculis, cantus ab aure trahit.*
*Quæ sit, & vnde, rogo. Dea sum lætissima, tales*
*Eugenias nondum scis, ait, esse Deas?*

## Responsio ad amicum,

Qui à poeta, vt aliquid carminis extorqueret, per epistolam quæsiuerat, Cur cæcus potius, quam mutus Amor expingeretur?

XVIII.

*CVr, inquis, non voce magis, quàm lumine cassus*
*Est Amor? hæc illi debita pœna fuit.*
*Scilicet insanis miscet mendacia dictis;*
*Et nihil adspiciens, omnia voce refert.*
*Dic, age, qui versus optas, quæ mutus amico*
*Promeret optanti munera vocis Amor?*
*At caret ille oculis, caret ore, & munere linguæ.*
*Non eget ille oculis, non eget ore puer.*
*Nam loquitur sine voce, videt sine lumine, viuos*
*Vel sine vita animat, vel sine morte necat.*

## Ad eundem.

XIX.

*HOspes ad hunc cæli velles accedere tractum,*
*Vt feriant oculos sydera nostra tuos.*

*Et corylos inter, grato suauè aspera succo*
*Mala nitent passim semicolore croco.*
*Exulet hinc Lethæa ferens obliuia somnus,*
*Qui sopita graui pectora nocte premit.*
*Hic habitas nostri felix tu luminis hospes,*
*Semiquiete sopor, semisopora quies.*
*Tu leuiter lucem fessis obnubis ocellis,*
*Immemor vt non sim, nec memor ipse mei.*
*Tu mihi nec placido pactos à vespere somnos,*
*Nec partem è solida demere nocte soles.*
*At satis indultum nemori, & syluestribus vmbris:*
*I, noua delicias quære per orsa nouas.*
*Falle moras: iam sera dies. ad littora Nereus*
*Te vocat, & festa lubrica puppe Thetis.*
*Stat tibi quadriiugis Neptunia rheda lupatis:*
*Ibis cæruleis mite per æquor aquis.*
*Littoreumq. iugum, & musco lita saxa marino,*
*Plausaq. blandisonis fluctibus antra leges.*
*Æquoreus puppi stabit iaculator ab alta,*
*Vndiuagas certa qui petat arte feras.*
*Hic tibi vimineo saliet captiua sub alueo,*
*Eruta muscoso squamea turba salo.*
*Nullus erit calamo, nullus labor irritus hamo:*
*Sæpe grauem iacto Protea casse trahes.*

*Et Xiphiam nantum Regem, sargumq. trilibrem,*
*Vndigenam fuluo cum synodonte lupum,*
*Familiamq. omnem Phorci, Glauciq. nepotes,*
*Ipsum cum tota Nerea progenie.*
*Tu benè promissa mullum tibi selige barba:*
*Cetera sint mensis dona secunda tuis.*
*Et repetes sub mane nemus, sub vespere littus,*
*Seu iuga despecto suspicienda mari.*
*Ne mihi littoreos Maurorum horresce tumultus,*
*Neu reuocet cursus territa cymba suos.*
*Massica * turrita Pallas defenditur ora,*
*Et sua de summo fulmina colle iacit.*
*Hanc Dea natalem agnoscit Tritonia sedem,*
*Et genus hoc genio destinat omne suo.*
*Hic lucem visura, Iouis genitale cerebrum*
*Exuit, & patrium diffidit orta caput.*
*Huc etiam Sicula properans Vulcanus ab Ætna*
*Appetijt fœdus connubiale Deæ.*
*Hæc negat. insano furit ille cupidinis æstu.*
*Hinc amor arma mouet flammifer, inde pudor.*
*Diua proci furias, & amorem exosa proteruum,*
*Proxima Sicanium trudit in arua Deum.*
*Hic illum ardentes reuomentem è pectore flammas*
*Vertit in igniuomi culmina celsa iugi.*

* Turritam vocat ob frequentes in ora maritima exædificatas turres ad Mauros, seu Turcas piratas arcendos.

De Vesuuo monte, de Aenaria insula, ac de Verueце scopulo, locis Massæ finitimis tabulas festiue cōminiscitur.

*Dumq. iterat, Væ sæue tibi, væ sæue Deorum,*
*Iam Deus ex Diuo voce Vesuuus erat.*
*Hinc longum exercens Pallas cum Cypride bellum,*
*Cypria Lubrenses armat in arma choros.*
*Nec mage virgineo genus vllum indulget amori;*
*Rara, sed insanis innuba forma procis.*
*Quos Dea cæruleo quatiens procul ægida nimbo*
*Arcet, & ardentes promicat ore minas.*
*Aspice montanis surgentem è rupibus arcem,*
*Et procul abrupto mœnia cincta chao.*
*Hinc Dea suppetias quondam latura Tonanti,*
*Dum fera terrigenûm sæuit in astra manus;*
*Tres simul immenso constructos aggere montes*
*Diruit, ætherias eiaculata faces.*
*Extructosq. super castris, cæloq. minantes*
*Attonuit patrio fulminis igne Duces.*
*En vbi pressus adhuc, & hians immane Typhoeus*
*Impositam gemitu decutit Ænariam.*
*Tuq. Gigantei generis pars altera *Veruex,*
*Alte Gigas quondam, nunc maris alta silex,*
*Dum furis auricomo galeam veruece decorus,*
*Impie fulmineum ductor adorte Iouem:*
*Te Dea nata Iouis fugientem, & tela cauentem*
*Fixit in æquoreis nobile marmor aquis.*

*Is est scopulus ita patrio vocabulo à veruecis figura dictus, ceteris grãdior, nec longe à Massæ littore dissitus.

*Signat*

*Signat adhuc scopulosa caput veruecis imago,*
*Formaq. te galeæ nomine prisca notat.*
*At pater ætherius victricem ad præmia natam*
*Dum vocat; O vindex nata parentis, ait.*
*Posce tuum secura Iouem quæcumq. lubebit.*
*Posce: lubet nobis, quod tibi, nata, lubet.*
*Dumq. iterat pete nata lubens: hinc prisca lubentem*
*Palladâ, Lubrensem secula nostra vocant.*
*At placitum Diuæ summo de culmine Lubra*
*Et dare iura togis, & dare iura sagis.*
*Glauca loci facies, & oliuiferæ conualles*
*Symbola Palladiæ nuncia pacis habent.*
*At iuga palmifera, & luco sata culmina querno*
*Bellipotens Diuæ numen, & arma notant.*
*Hinc gemina virtute potens Lubrensis origo*
*Testatur Diuæ numen vtrumque suæ.*
*Arma vocant hostes? armis imperuia virtus.*
*Tempora si fuerint mitia; mite genus.*
*Omnibus immulget primos natura per haustus*
*Numina, maternæ lactea facta Deæ.*
*Sic fauet ingenijs tellus natiua creandis:*
*Et sunt certa bonis semina, certa malis.*
*Montibus in Geticis Geticas horrescere mentes*
*Cernis, & Arctoo pectora vincta gelu.*

**Cur Lubrēsia dicta sit Pallas, poeticum commentum.**

*Obuia quæ gelidam cæli plaga respicit Arctos ,*
*Temperat ad vires subdita regna suas .*
*Et iubet è tepido terras ignescere Cauro*
*Quo suus ingenijs ignis ab igne venit .*
*Memnonios vultus Sol vrit , & vrit Iberos ,*
*Et , reor , est animis conscius ille color .*
*Ingenuos animos Siren creat : imperiosos*
*Albula : versutos aureus amne Tagus .*
*Sic hominum dant quæq. suos cunabula mores ,*
*Et patrium virtus non fugit vlla solum .*
*Gallus amans , viuax Calaber , generosus Iapyx ,*
*Afer inops , durus Sarmata , mollis Arabs .*
*Par etiam natura feris . Alit India tygres ,*
*Afra leas , tellus Thracia Martis equos .*
*Quid legio pennata Iouis ? iuga saxea Nisos ,*
*Arua ferunt Meropes , Strymonis vnda grues .*
*Luscinias nemorosa parit , scopulosa columbas*
*Ora , dat exiguos littus , an arua paros ?*
*Cærula quid Protei pubes ? dat Massica rhombos*
*Nereis , octipedes Nesis olora pagros .*
*At melanurus amat Capreas , acipenser Amalphin :*
*Auratas Veruex , ostrea Gaurus alit .*
*Ecquis opum genius ? num murice sylua , vel auro*
*Floret ? an electro diues , an ære Thetis ?*

Terra

*Terra parens auro: gemmis pater æquor, & ostro:*
*Thura vel Heliadum munera lucus habet.*
*Lex eadem, Syluane, tuis. Dant robora montes,*
*Arua siler, salicem flumina, septa rubos.*
*Mollibus in stagnis mollescere discit arundo:*
*Cornea prædurus germina durat ager.*
*Populeas forsan docuit canescere frondes,*
*Dum vaga vicino candicat vnda vado.*
*Forsitan & cæcas nemorum nisi quæreret vmbras,*
*Non aleret fuscas laurus odora comas.*
*Quàm genij natura tenax, quàm gnara suorum*
*Semina natiuis concialiare locis!*
*Et mirum, si nata togæ, si nobilis armis*
*Progenies sacrò Palladis orta solo?*



# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV CARMINVM

## *LIBER QVARTVS.*

### *EPIGRAMMATA.*

### Ad S. Andream Apoſtolum.

I.



*Ancte ſenex, ſuperi thalamos imitate parentis,*
*Quis te diuinæ coniugis vrit amor?*
*Qualia connubia, & quales celebras hymenæos!*
*Mors, tibi quæ nubit, nupſerat ante Deo.*
*Quàm benè coniugium Chriſti riualis adæquas!*
*Quadrifido recubas fixus, vt ille, toro.*
*Olli picta chlamys natiuo intermicat oſtro;*
*Et tibi natiuo murice picta nitet.*
*Pandis ad amplexum caræ tu brachia mortis,*
*Quam tibi porrecto præripit ille ſinu.*

Perge

*Perge, age; diuinæ ingemina præconia legis.*
*Hoc parere est prolem, quam parit ille, Polo.*

## S. Sebastianus Martyr.

### II.

*QVæ mihi telorum stipat seges horrida pectus,*
*Et geminum duro traijcit ære latus,*
*Remigium alarum est: densæ sunt spicula plumæ.*
*His licet ad truncum vinctus, ad astra feror.*
*Adde ictus iam dire nouos, noua tela satelles,*
*Et pennas, citius quò ferar, adde nouas.*

## In illud Christi è cruce pendentis; Sitio.

### III.

*DVM tibi languentes angit sitis arida fauces,*
*Lentaq. labentem deficit aura animam:*
*Nulla laboranti succurrunt pocula vitæ*
*Christe, nec optati munera fontis habes.*
*Si tibi numen idem est, olim cui flumina saxum*
*Fatidico tactum verbere larga dedit;*
*Elice de nostri fontem tibi viscere cordis.*
*An potes è saxis, ex adamante nequis?*

## In illud, Ecce filius tuus.

### Ad S. Ioannem Apost.

### IV.

*QVē te, sāncte puer, credas hominemne, Deumne,*
*Qui te huius natum Virginis esse putas?*
*Non hominem, non esse Deum pro munere tali*
*Est satis. ille prior natus vtrumque fuit.*
*Si te hominem virtus, Diuum natura negauit*
*Esse; hominem nec te crede, nec esse Deum.*
*Sin optas vtrumque; isti te crede parenti,*
*Quæ genus in nato iunxit vtrumque suo.*

## In illud, Petræ scissæ sunt.

### Ad Christum Dominum.

### V.

*TEne ego sanguineo manantem flumine cerno*
*Quadrifidam sæua spargere cæde trabem?*
*Nec liquor in lacrymas? quid me truculentius? eheu*
*Quid mihi tam valido cor adamante riges?*
*Et tamen ingentis tonitru velut icta doloris*
*Terra laboranti concita mole tremit.*
*Quin etiam, ò pietas, vel sensibus orba dolenti*
*Dissiliunt Domino saxa misertà suo.*
*Nec vos exemplum iusti mea lumina fletus*
*Sumi-*

*Sumitis! heu quali ſum pietate minor.*
*Proh, minus eſt durum noſtro vel pectore ſaxum!*
*Vel mea ſunt ſaxo ſaxea corda magis!*
*Frangere, vel ſaltem, vt pietas te ſaxea frangat,*
*O adamas, ô cor iam lapideſce meum.*

## In illud, Vnus militum lancea latus eius aperuit.

### Ad Chriſtum Dominum.

VI.

*DVm nece diſtentum trunco tibi corpus ab alto*
*Pendet, vt in pretium te mihi libret amor:*
*Ius læuam pro lance tenet, clementia dextram;*
*Poſtulat hoc vitam, poſtulat illa meam.*
*Hoc agit, vt merito me crimine damnet; at illa*
*Vt mea ne merita crimina morte luam.*
*Certatimq. tuum trahit hoc, trahit illa cruorem:*
*Nempe ſuam hoc lancem degrauat, illa ſuam.*
*Æquus amor partes examine diuidit ambas,*
*Penſat & æquanimi pondus vtrumque manu.*
*Aſt vbi diſcrimen par vtraq. pendet in æquum,*
*Nec fluit hinc maior, quàm fluit inde cruor:*
*Tu caput in dextrum moriens das vergere nutum,*
*Quo dextrum eſt monitus figere pectus amor.*

*Tota tibi circum lita glutine sylua rapaci*
*Aërijs cladem præparet hospitibus.*
*Hic tibi frondosam tacitus compone latebram,*
*Teq. sub arboreum collige tecte larem.*
*O quantam aspicies volucrum concurrere turbam,*
*Et tibi cum lenæ ludere fraude tuæ.*
*Tum medio in luco, piceis impingere ramis,*
*Et gemere, & patrio mittere vota Ioui.*
*Hanc videas ad gulten, & ineluctabile nexum*
*Hærentem in media quærere morte fugam.*
*Hanc mordente litu deprensam, & peste tenaci,*
*Aërio claudam serpere remigio.*
*Tu cape viscata labentem ex arbore prædam,*
*Et caue, ne in medias incidat illa rubos,*
*Sæpe aliquam videas pennis errare picatis,*
*Dumeaq. amisso quærere septa Polo.*
*Quid timidam sequeris cursu ruiture fragoso?*
*Sylua tibi volucres non nisi muta vocat.*
*Sta piger: vnius parua est iactura volucris.*
*Dum nemus insidijs pareat omne tuis.*
*Aut illam immissa profugam venare Lycisca,*
*Quæ sit nare sagax, non tamen ore loquax.*
*Noctua si nulla est auium tibi nata satelles,*
*Hoc mea sufficiet Musa ministerium.*

*Pieris illa quidem vana est, & mima volucrum.*
*Maius an indecori quæris in ore decus?*
*Ipsa tibi in summo stabit sine compede ramo,*
*Accito volucrum ludificanda choro.*
*Nullus erit, patrijs qui non ruat ales ab astris,*
*Cùm ludicra vlulæ viderit ora meæ.*
*Ne linat aspersu lucum tibi viscus auaro.*
*Illa fidem aucupio fallit auarities.*
*Hic labor Auroræ sacer est. at sacra sopori,*
*Cùm redit æstiuas quæ tulit hora dapes;*
*Siue sub arboreo fuerint conuiuia tecto,*
*Quà fremit vmbrosum per nemus aura fugax;*
*Siue vbi vicino generosum ex amne lyæum*
*Sponte propinato temperat vnda gelu:*
*Altera sublatis venaberis otia mensis:*
*Fabula cum fessis iussa valere iocis.*
*Ergo age, vicino quà murmurat vnda sub antro,*
*Floreus, atq. vdo fornice serpit ager;*
*Hîc, vbi sollicitis indicta silentia curis,*
*Ne fuge muscoso sternere membra toro.*
*Hîc & odorati frutices, & Massica tempe:*
*Naïas hîc studijs hospita, Phœbe, tuis.*
*Et nemus vndoso semper vocale susurro,*
*Et volucrum dulci carmine sylua loquax,*

*Et corylos inter, grato suauè aspera succo*
*Mala nitent passim semicolore croco.*
*Exulet hinc Lethæa ferens obliuia somnus,*
*Qui sopita graui pectora nocte premit.*
*Hic habitas nostri felix tu luminis hospes,*
*Semiquiete sopor, semisopora quies.*
*Tu leuiter lucem fessis obnubis ocellis,*
*Immemor vt non sim, nec memor ipse mei.*
*Tu mihi nec placido pactos à vespere somnos,*
*Nec partem è solida demere nocte soles.*
*At satis indultum nemori, & syluestribus vmbris.*
*I, noua delicias quære per orsa nouas.*
*Falle moras: iam sera dies. ad littora Nereus*
*Te vocat, & festa lubrica puppe Thetis.*
*Stat tibi quadriiugis Neptunia rheda lupatis:*
*Ibis cæruleis mite per æquor aquis.*
*Littoreumq. iugum, & musco lita saxa marino,*
*Plausaq. blandisonis fluctibus antra leges.*
*Æquoreus puppi stabit iaculator ab alta,*
*Vndiuagas certa qui petat arte feras.*
*Hic tibi vimineo saliet captiua sub alueo,*
*Eruta muscoso squamea turba salo.*
*Nullus erit calamo, nullus labor irritus hamo:*
*Sæpe grauem iacto Protea casse trahes.*

Et

*Et Xiphiam nantum Regem, ſargumq. trilibrem,*
*Vndigenam fuluo cum ſynodonte lupum,*
*Familiamq. omnem Phorci, Glauciq. nepotes,*
*Ipſum cum tota Nerea progenie.*
*Tu benè promiſſa mullum tibi ſelige barba:*
*Cetera ſint menſis dona ſecunda tuis.*
*Et repetes ſub mane nemus, ſub veſpere littus,*
*Seu iuga deſpecto ſuſpicienda mari.*
*Ne mihi littoreos Maurorum horreſce tumultus,*
*Neu reuocet curſus territa cymba ſuos.*
*Maſſica * turrita Pallas defenditur ora,*
*Et ſua de ſummo fulmina colle iacit.*
*Hanc Dea natalem agnoſcit Tritonia ſedem,*
*Et genus hoc genio deſtinat omne ſuo.*
*Hic lucem viſura, Iouis genitale cerebrum*
*Exuit, & patrium diffidit orta caput.*
*Huc etiam Sicula properans Vulcanus ab Ætna*
*Appetijt fœdus connubiale Deæ.*
*Hæc negat. inſano furit ille cupidinis æſtu.*
*Hinc amor arma mouet flammifer, inde pudor.*
*Diua proci furias, & amorem exoſa proteruum,*
*Proxima Sicanium trudit in arua Deum.*
*Hic illum ardentes reuomentem è pectore flammas*
*Vertit in igniuomi culmina celſa iugi.*

* Turritam vocat ob frequentes in ora maritima exædificatas turres ad Mauros, ſeu Turcas piratas arcendos.

De Veſeuo monte, de Aenaria inſula, ac de Verucce ſcopulo, locis Maſſæ finitimis tabulas feſtiue cōminiſcitur.

*Dumq. iterat, Væ ſæue tibi, væ ſæue Deorum,*
*Iam Deus ex Diuæ voce Veſeuus erat.*
*Hinc longum exercens Pallas cum Cypride bellum,*
*Cypria Lubrenſes armat in arma choros.*
*Nec mage virgineo genus vllum indulget amori;*
*Rara, ſed inſanis innuba forma procis.*
*Quos Dea cæruleo quatiens procul ægida nimbo*
*Arcet, & ardentes promicat ore minas.*
*Aſpice montanis ſurgentem è rupibus arcem,*
*Et procul abrupto mœnia cincta chao.*
*Hinc Dea ſuppetias quondam latura Tonanti,*
*Dum fera terrigenûm ſæuit in aſtra manus;*
*Tres ſimul immenſo conſtructos aggere montes*
*Diruit, ætherias eiaculata faces.*
*Extructosq. ſuper caſtris, cæloq. minantes*
*Attonuit patrio fulminis igne Duces.*
*En vbi preſſus adhuc, & hians immane Typhoeus*
*Impoſitam gemitu decutit Ænariam.*
*Tuq. Gigantei generis pars altera *Veruex,*
*Alte Gigas quondam, nunc maris alta ſilex,*
*Dum furis auricomo galeam veruece decorus,*
*Impie fulmineum ductor adorte Iouem:*
*Te Dea nata Iouis fugientem, & tela cauentem*
*Fixit in æquoreis nobile marmor aquis.*

*Is eſt ſcopulus ita patrio vocabulo à veruecis figura dictus, ceteris grādior, nec longe à Maſſæ littore diſſitus.

Signat

*Signat adbuc ſcopuloſa caput veruecis imago.*
*Formaq. te galeæ nomine priſca notat.*
*At pater æther ius victricem ad præmia natam*
*Dum vocat; O vindex nata parentis, ait.*
*Poſce tuum ſecura Iouem quæcumq. lubebit.*
*Poſce: lubet nobis, quod tibi, nata, lubet.*
*Dumq. iterat pete nata lubens: hinc priſca lubentem*
*Palladà, Lubrenſem ſecula noſtra vocant.*
*At placitum Diuæ ſummo de culmine Lubræ*
*Et dare iura togis, & dare iura ſagis.*
*Glauca loci facies, & oliuiferæ conualles*
*Symbola Palladiæ nuncia pacis habent.*
*At iuga palmifera, & luco ſata culmina querno*
*Bellipotens Diuæ numen, & arma notant.*
*Hinc gemina virtute potens Lubrenſis origo*
*Teſtatur Diuæ numen vtrumque ſuæ.*
*Arma vocant hoſtes? armis imperuia virtus.*
*Tempora ſi fuerint mitia; mite genus.*
*Omnibus immulget primos natura per hauſtus*
*Numina, maternæ lactea facta Deæ.*
*Sic fauet ingenijs tellus natiua creandis:*
*Et ſunt certa bonis ſemina, certa malis.*
*Montibus in Geticis Geticas horreſcere mentes*
*Cernis, & Arctoo pectora vincta gelu.*

**Cur Lubrenſia dicta ſit Pallas, poeticum commentum.**

*Obuia quæ gelidam cæli plaga respicit Arctos,*
*Temperat ad vires subdita regna suas.*
*Et iubet è tepido terras ignescere Cauro*
*Quo suus ingenijs ignis ab igne venit.*
*Memnonios vultus Sol vrit, & vrit Iberos,*
*Et, reor, est animis conscius ille color.*
*Ingenuos animos Siren creat: imperiosos*
*Albula: versutos aureus amne Tagus.*
*Sic hominum dant quæq. suos cunabula mores,*
*Et patrium virtus non fugit vlla solum.*
*Gallus amans, viuax Calaber, generosus Iapyx,*
*Afer inops, durus Sarmata, mollis Arabs.*
*Par etiam natura feris. Alit India tygres,*
*Afra leas, tellus Thracia Martis equos.*
*Quid legio pennata Iouis? iuga saxea Nisos,*
*Arua ferunt Meropes, Strymonis vnda grues.*
*Luscinias nemorosa parit, scopulosa columbas*
*Ora, dat exiguos littus, an arua paros?*
*Cærula quid Protei pubes? dat Massica rhombos*
*Nereis, octipedes Nesis odora pagros.*
*At melanurus amat Capreas, acipenser Amalphin:*
*Auratas Veruex, ostrea Gaurus alit.*
*Ecquis opum genius? num murice sylua, vel auro*
*Floret? an electro diues, an ære Thetis?*

*Terra*

*Terra parens auro: gemmis pater æquor, & ostro:*
*Thura vel Heliadum munera lucus habet.*
*Lex eadem, Syluane, tuis. Dant robora montes,*
*Arua siler, salicem flumina, septa rubos.*
*Mollibus in stagnis mollescere discit arundo:*
*Cornea prædurus germina durat ager.*
*Populeas forsan docuit canescere frondes,*
*Dum vaga vicino candicat vnda vado.*
*Forsitan & cæcas nemorum nisi quæreret vmbras,*
*Non aleret fuscas laurus odora comas.*
*Quàm genij natura tenax, quàm gnara suorum*
*Semina natiuis concialiare locis!*
*Et mirum, si nata togæ, si nobilis armis*
*Progenies sacro Palladis orta solo?*



# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV CARMINVM

## LIBER QVARTVS.

### EPIGRAMMATA.

### Ad S. Andream Apoſtolum.

I.



*Ancte ſenex, ſuperi thalamos imitate parentis,*
*Quis te diuinæ coniugis vrit amor?*
*Qualia connubia, & quales celebras hymenæos!*
*Mors, tibi quæ nubit, nupſerat ante Deo.*
*Quàm benè coniugium Chriſti riualis adæquas!*
*Quadrifido recubas fixus, vt ille, toro.*
*Olli picta chlamys natiuo intermicat oſtro;*
*Et tibi natiuo murice picta nitet.*
*Pandis ad amplexum caræ tu brachia mortis,*
*Quam tibi porrecto præripit ille ſinu.*

Perge

*Perge, age; diuinæ ingemina præconia legis.*
*Hoc parere est prolem, quam parit ille, Polo.*

## S. Sebaſtianus Martyr.

### II.

*QVæ mibi telorum ſtipat ſeges horrida pectus,*
*Et geminum duro traijcit ære latus,*
*Remigium alarum eſt: denſæ ſunt ſpicula plumæ.*
*His licet ad truncum vinctus, ad aſtra feror.*
*Adde ictus iam diræ nouos, noua tela ſatelles,*
*Et pennas, citius quò ferar, adde nouas.*

## In illud Chriſti è cruce pendentis: Sitio.

### III.

*DVM tibi languentes angit ſitis arida fauces,*
*Lentaq. labentem deficit aura animam:*
*Nulla laboranti ſuccurrunt pocula vitæ*
*Chriſte, nec optati munera fontis habes:*
*Si tibi numen idem eſt, olim cui flumina ſaxum*
*Fatidico tactum verbere larga dedit;*
*Elice de noſtri fontem tibi viſcere cordis.*
*An potes è ſaxis, ex adamante nequis?*

## In illud, Ecce filius tuus.

### Ad S. Ioannem Apost.

### IV.

*QVē te, săcte puer, credas hominemne, Deumne,*
*Qui te huius natum Virginis esse putas?*
*Non hominem, non esse Deum pro munere tali*
*Est satis. ille prior natus vtrumque fuit.*
*Si te hominem virtus, Diuum natura negauit*
*Esse; hominem nec te crede, nec esse Deum.*
*Sin optas vtrumque; isti te crede parenti,*
*Quæ genus in nato iunxit vtrumque suo.*

## In illud, Petræ scissæ sunt.

### Ad Christum Dominum.

### V.

*TEne ego sanguineo manantem flumine cerno*
*Quadrifidam sæua spargere cæde trabem?*
*Nec liquor in lacrymas? quid me truculentius? eheu*
*Quid mihi tam valido cor adamante riges?*
*Et tamen ingentis tonitru velut icta doloris*
*Terra laboranti concita mole tremit.*
*Quin etiam, ò pietas, vel sensibus orba dolenti*
*Dissiliunt Domino saxa miserta suo.*
*Nec vos exemplum iusti mea lumina fletus*
*Sumi-*

*Sumitis! heu quali ſum pietate minor.*
*Proh, minus eſt durum noſtro vel pectore ſaxum!*
*Vel mea ſunt ſaxo ſaxea corda magis!*
*Frangere, vel ſaltem, vt pietas te ſaxea frangat,*
*O adamas, ò cor iam lapideſce meum.*

## In illud, Vnus militum lancea latus eius aperuit.

### Ad Chriſtum Dominum.

### VI.

*DVm nece diſtentum trunco tibi corpus ab alto*
*Pendet, vt in pretium te mihi libret amor:*
*Ius læuam pro lance tenet, clementia dextram;*
*Poſtulat hoc vitam, poſtulat illa meam.*
*Hoc agit, vt merito me crimine damnet; at illa*
*Vt mea ne merita crimina morte luam.*
*Certatimq. tuum trahit hoc, trahit illa cruorem:*
*Nempe ſuam hoc lancem degrauat, illa ſuam.*
*Æquus amor partes examine diuidit ambas,*
*Penſat & æquanimi pondus vtrumque manu.*
*Aſt vbi diſcrimen par vtraq. pendet in æquum,*
*Nec fluit hinc maior, quàm fluit inde cruor:*
*Tu caput in dextrum moriens das vergere nutum,*
*Quo dextrum eſt monitus figere pectus amor.*

*Hic nutum obseruat, ceu tutam ad vulnera metam:*
*Tum facili dextrum confodit ense latus.*
*Sic duplici de fonte suam clementia lancem*
*Implet, & in vitam pondus it omne meam.*

## S. Catharina Senensis.

V I I.

*QVi mihi cor rapuit furto lætatus amico,*
*Ille suum abdiderat corde cor ante meo.*
*Inde cor vt rapuit, vitam sine corde reliquit,*
*At sine corde meo, non sine corde suo.*

## Eadem

**Ad Christum Dominum cruci affixum.**

V I I I.

*FElix aspectu simulacrum insigne vetendo,*
*Cui sua commisit fictilis ora Deus.*
*Est aliquid, viuos spectare in imagine vultus:*
*Sed quid erit, viuo Numine posse frui?*

## Eadem

Præsentem Dominum alloquitur.

I X.

*VEra ne te facies, verus mihi nuncius affers?*
*An magis optanti lumina fallit amor?*
*Ergò aures & voce beas, & lumine vultum:*

*Fas*

*Fas & in amplexus indere colla tuos.*
*Te ne ego iam teneo? Cæli iam regna valete:*
*Hæc mihi sat vitæ gaudia: vita vale.*

## Ad Amicum Sacerdotio initiatum.

X.

*QVicquid es, augustũ, ætheriũ, venerabile, sanctũ*
*Quò trahis humanæ conditionis opus? (es.*
*Numen habes: Numen geris alto in pectore: Numen*
*Voce sonas, animo concipis, ore paris.*
*Gaudia quæ tanto celebres natalia nato?*
*Ore paris, partum suscipis ore Deum.*

## Ad eundem.

XI.

*PAnde cor ad gremiũ, mentẽ ad cunabula pande.*
*Qualia mox edes pignora, quale decus!*
*Es pater: ætherij nomen molire Parentis,*
*Qui tibi dat prolis iura paterna suæ.*
*Diuino satus eloquio Deus, ecce secundo*
*Eligit affatum pro genitore tuum.*

## Ad eundem.

XII.

*AT tua quid tantum spirant præcordia Numen?*
*Quis nouus in sacro spiritus ore sonat?*

*Tu manibus, tu mente Deum, tu pectore versas:*
*Vox tua triticeo condit in orbe Deum.*
*Pande sinum: Deus ecce tuo venit hospes amori,*
*Et subit amplexus, vincula cara, tuos.*
*Os tibi diuinæ fœtum gestamine prolis*
*Parturit ætherij pignora cara patris.*
*Quòd paris ore Deum, quem te dicam esse parentem?*
*Corde quòd excipias, quem rear esse Polum?*

## Ad eundem.

## XIII.

*TOnsa tibi sacros inter nitet area crines,*
*Augustum exiguo quæ notat orbe caput.*
*Scilicet hoc apicem signo tibi Christus iussit,*
*Qui sibi te primas destinat inter oues.*
*Cynthia linque Polum, & capiti te impone verendo,*
*Vt meritam decores digna corolla comam.*
*Sic tua Phœbæum superabunt lumina lumen,*
*Et tua nox nitidum vincet honore diem.*

## Adolescentulus

De subeunda Religione deliberans.

## XIV.

*QVò vocor? ah, durũ est lacrymãtẽ linquere ma-(tre...*
*Quò tamen, & quis me Numinis ignis ag...*

*Hinc*

*Hinc pia Relligio, pietas hinc impia matris*
*Clamat: & hic animam clamor, & ille rapit.*
*Vtraq. me natum vocat: vtraq. mater amoris.*
*Postulat hæc primas, postulat illa mei.*
*Hæc vocat, Ah fili. vocat illa, Ah lux mea fili.*
*Me ne, ait hæc, linquis? men, subit illa, fugis?*
*Hinc trahor, hinc retrahor: feror huc, simul auferor il-*
*Sic agitat geminæ me genitricis amor. (luc.*
*Fallor, an ipse magis mihi tantùm obluctor, & obsto?*
*Si me ego, si matrem desero; tutus ero.*

## Ad Robertum Bellarminum Card.

**Cum in Neapolitana Prouincia Societatis Iesu Prouincialis Catacense Collegium inuiseret.**

### X V.

*Hospitium, Roberte, suum cùm nostra pararet*
*Vrbs tibi, quæ tandem tecta paremus? ait.*
*Iam cælum esse velim, aut saltem tota aurea. sed quid*
*Aurea sint tanto limina digna viro?*
*At ciues, genus inuictum ad certamen amoris,*
*En tibi quam sedem, quod penetrale parant.*
*Hospitibus magnis gemmata parabimus, aiunt,*
*Atria. tu nostri pectoris hospes eris.*
*An maiora igitur quæras penetralia? maius*
*Hospitium in terris non habet ipse Deus.*

## Ad eundem,

**Cum Nolanum Collegium repentinus accederet, postridie discessurus.**

### XVI.

*QVanquã optatus ades, tñ improuisus: & vna est*
*Quæ dedit aspectum, quæ rapit hora tuum.*
*Lætitiam subito subitam mærore coërces.*
*Qui data mox adimit gaudia, nulla dedit.*
*O vtinam nobis te serior hora tulisset,*
*Maturam aduentu non præeunte moram:*
*Lætius exceptus, Musis plaudentibus, esses:*
*Quæq. parabantur dona, parata forent.*
*Nunc ades en subitò. subitò quid Musa parasset?*
*Salue, ait; & vox est prima: secunda, Vale.*

## Francisco Eugenio è Societate Iesu.

**A quo laudatus carminibus fuerat, mutuas reddit laudes.**

### XVII.

*AT quæ Diua tuo nobis cum carmine venit!*
*An Charis, an potius Pieris illa fuit?*
*Pieridum numeros, Charitum referebat amorem,*
*Et gemini speciem Numinis ore dabat.*
*Vt stetit; insuetum Diuæ mirantur honorem*
*Lumina, cur Diuas præferat vna duas?*

*Visa*

*Visa mihi ætherium iubar ingerit admiranti,*
*Et decus obtutum terret, idemq. tenet.*
*Siue oculos mihi luce beat, seu cantibus aurem;*
*Lux animam ex oculis, cantus ab aure trahit.*
*Quæ sit, & vnde, rogo. Dea sum lætissima, tales*
*Eugenias nondum scis, ait, esse Deas?*

## Responsio ad amicum,

Qui à poeta, vt aliquid carminis extorqueret, per epistolam quæsiuerat, Cur cæcus potius, quam mutus Amor expingeretur?

XVIII.

*CVr, inquis, non voce magis, quàm lumine cassus*
*Est Amor? hæc illi debita pœna fuit.*
*Scilicet insanis miscet mendacia dictis;*
*Et nihil adspiciens, omnia voce refert.*
*Dic, age, qui versus optas, quæ mutus amico*
*Promeret optanti munera vocis Amor?*
*At caret ille oculis, caret ore, & munere linguæ.*
*Non eget ille oculis, non eget ore puer.*
*Nam loquitur sine voce, videt sine lumine, viuos*
*Vel sine vita animat, vel sine morte necat.*

## Ad eundem.

XIX.

*HOspes ad hunc cæli velles accedere tractum,*
*Vt feriant oculos sydera nostra tuos.*

*At tua diuerso quamuis orientia cælo*
*Præstinguunt oculos eminus astra meos.*
*Astra sed, an fallor? quis Sol rutilantior, aut quis*
*Clarior Eoos suscitat ignis equos?*
*Iam procul offendunt nostrum tua lumina lumen,*
*Et mea iam nascens occulit astra dies.*
*Quis satis inter nos medium se collocet Orbis,*
*Vt mea nascenti sydera nocte micent?*

## Hypocrisis.

### X X.

*SIc mea virtutem species imitatur, vt illa*
*Effigiem vultus se putet esse mei.*
*Sæpe habitu fuit illa meo delusa, meiq.*
*Sæpe opus ingenij credidit esse sui.*
*Impariter sumus ergo pares. ego moribus illam*
*Mentior; ast habitum, quo tegor, illa tegit.*
*Frontem illi germanam habeo, non nomen; at illa*
*Est inimica mihi nomine, fronte soror.*
*Væ mihi, si quando deprenderit illa figuram*
*Me simulare suam, dissimulare meam.*
*An mala, vel bona sim, quæris? sum neutra. quid ergo?*
*Falsa boni effigies, sum quoque falsa mali.*

## Metanœa.

### XXI.

O *Mens omnibus inquinata noxis,*
*Omnibus scelerum alligata nodis,*
*Libertatis inops, inopsq; vitæ,*
*Duri seruitio addicata Ditis,*
*Tam secura tui, nefanda viuis?*
*Nil tuam miseraris ipsa cladem,*
*Nil crudele periculum? nihil ne*
*Mortis exitium imminentis horres?*
*Nil fœdum, nihil impium recusas:*
*Nullum perfida crimen execraris.*
*Quidquid impius optat Orcus, optas:*
*Quidquid horridus horret Orcus, horres.*
*Infelix, quid amabile vmquam amasti?*
*O Diuis inamabilis, tuorum*
*Nimis prodiga venditrix amorum.*
*Quò cessit decus illud, ille candor,*
*Illa cælicolis amanda forma?*
*O riualibus ante digna Diuis,*
*O nunc millibus execranda Diris,*
*Heu quæ te scelerum obruit libido?*
*Quæ libidinis obsidet Tyrannis?*
*Quæ tyrannidis alligant Erinnes?*

*Et*

*Quò tuæ ruis immemor salutis?*
*Nihil ne exitiale Ditis antrum,*
*Nil iras Phlegethontis extimescis?*
*Nihil syderei minas Parentis?*
*Nihil tartarei manus Tyranni?*
*Ah, metu tua præueni pericla:*
*Ah, tuam miserare fœditatem.*
*Quantis sordibus inquinata putes!*
*Non sus fœdior inuoluta cœno,*
*Non putente solo erutum cadauer:*
*Nil atrum Stygis horridæ barathrum,*
*Nil Cocytia tetrius vorago,*
*Tetrius nihil halat os Auerni.*
*Oles Tartaream impudens mephitim:*
*Oles sulphura pestilentis Orci:*
*Oles guttura Gorgonum inferarum.*
*O mens omnibus inquinata noxis,*
*Vin tu sordibus esse munda tantis?*
*Sordeas tibi tu, tuiq; mores.*

## Clepsydra.

## XXII.

*DImensis qui rite diem discriminat horis*
*Puluis in alternum labilis arte vitrum,*
*Ver-*

*Vertendam in geminos ampullam interfluit orbes,*
*Angustas repetens parua per ora vias.*
*Labitur, inq. vices idem reuolutus easdem*
*Metitur varium temporis interitum.*
*Quis melior vitæ monitor, rerumq. magister?*
*Nil docet immotum, nil docet eße nouum.*

## De Templo.

Quod in Domo Professa Neapolitana Societatis Iesu cùm flammis concidisset; breui temporis spatio longe magnificentius erectum est.

### XXIII.

*QVæ modò funereis ædes data victima flammis,*
*Sydera ferali contigit alta rogo;*
*Pulchrior è cinerum tumulis excita suorum,*
*Erigit ad patrium culmina nota Polum.*
*Sic sua fatalem lusit rediuiua per ignem*
*Funera, ne Phœnix vnus in Orbe foret.*
*Quàm meritò dum fama suis hanc induit alis,*
*Se breuis ad cursum laxat vtrinque Polus!*

## In obitu Philippi II. Hispan. Regis,

### XXIV.

*DA tumulis hospes lacrymas. hic ille Philippus*
*Austria, cui Regnum non erat Orbe minus,*

*Si quis in imperio famam numerauerit: illi*
*Imperium toto laxius Orbe fuit.*
*Virtutem in regnis numera; numerare nequibis*
*Quos Orbes, aut quos impleat illa Polos.*

## In eodem.
## XXV.

*HIc, vbi compositi moles operosa sepulcri,*
*Et Parium nitido marmore surgit opus:*
*Ille iacet regni quondam possessor Iberi,*
*Aurea quo cælum secula Rege dedit.*
*Gallia magnificos illi captiua triumphos*
*Præbuit, & victas Africa terra manus.*
*Impia perdomuit pulsantem classica Maurum:*
*Compulit ad leges Indica regna suas.*
*Vltimus huic fasces regni submittit Eous,*
*Quæq. per Occiduos panditur ora sinus.*
*Et propius gelidas tellus quæ suspicit Arctos,*
*Quæq. sub Australi diuidit axe diem.*
*Nec potuit virtutem æquare potentia. tali*
*Omnis erat Regni gloria Rege minor.*

## In eodem.
## XXVI.

*SAxa viden Phario pendentia Mausoleo,*
*Regia quo Austriadæ Cæsaris ossa cubant?*
*Hæc*

*Hæc tua Parthenope est, Nioben imitata dolentem,*
*Dum gemit ad cineres, Austria magne, tuos.*
*Viua erat: at lacrymans facta est immobile saxum;*
*Vt Regi in tumulum se daret illa suo.*
*Viuaq; quo viuum sub pectore clausit, eodem*
*Exanimem voluit condere facta silex.*

## In eodem.

## XXVII.

*QVòd magnã Hesperiã, & fines possedit Iberos;*
*Quòd fera Maurigenũ contudit arma Ducũ,*
*Sceptra quòd inuicto frænauit America bello;*
*Quòd potuit Libycum sternere classe fretum;*
*Quòd sua deuictum sub iura redegerit Indum;*
*Vicerit auriferi regna superba Tagi:*
*Magna quidem, at longè maior fuit illa potestas,*
*Quòd benè se tanto vicit in Imperio:*

## In eodem.

## XXVIII.

*CErne triumphantem regali funere mortem*
*Tollere fatifera sceptra superba manu.*
*Talibus haud vnquam spolijs se vidit opimam,*
*Nec petijt toto maius ab Orbe decus.*

*Hic falcem horrendam, hic dextram molita rapacem*
*Edidit imperij signa nefanda sui.*
*Substitit ante tamen dubio mucrone; diuq.*
*Nescia, mortalis num foret ille, fuit.*

## In eodem.

### XXIX.

*AVstria, te rerum genitrix natura iacentem*
*Dum videt, & caros ingemit ante pedes;*
*Nunc tua conuertit maternum ad funera lumen,*
*Nunc gremium mœsto respicit ore suum.*
*O fera mors, inquit, quanta de cæde triumphas;*
*Et mihi quæ tollis pignora, quale decus!*
*Iam tandem in terris aliquem genuisse videbar,*
*Cui tua deberet parcere durities.*
*At mihi nil posthac gigni, nil tale videbis,*
*Si genus hoc ferro subditur omne tuo.*

## In eodem.

### X X X.

*HIc iacet Austriadū magna de gente Philippus,*
*Gloria quo credi nomine digna velit.*
*Siue illud fortuna oculis aduersa malignis*
*Cerneret; eluso restitit ille metu.*
*Seu magis aspiceret vultu mutata benigno;*
*Mitia*

*Mitia constantis gaudia mentis erant.*
*Nil graue, nil mœstum, nil obtulit illa superbum,*
*Quo foret æquanimi mens labefacta viro.*
*O verè inuictum Regem, cui contigit vni*
*Omnia vertentem vincere regna Deam.*

In eodem.

XXXI.

*MArs erat antiquis bello venerabile numen:*
*Qui gereret pacis numina, Ianus erat.*
*Iustitiam niueo simulabat pectore virgo,*
*Cui foret æquali prædita lance manus.*
*Os habuit Diui Prudentia picta bifrontis:*
*Porrecta Pietas fingitur ipse manu.*
*Munificum pulchra sub imagine Cypris amorem*
*Rettulit, & Charitum Cypride nata cohors.*
*Quid tabulis opus est multis? depicta sub vno*
*Omnia conspirent ore, Philippus erit.*

Ad Franciscum Eugenium è Soc. Iesu,
Qui carmine laudauerat Elegiam de Mure capto, responsio.

XXXII.

*ME canis, Eugeni, muris nocturna canentem*
*Funera, qui nostros incidit in laqueos.*

*Dulce putas, tali murem succumbere letho,*
*Carmine cui detur viuere posse meo.*
*Quid si etiam scires, quantò mihi dulcius hoc sit,*
*Carmina carminibus viuere nostra tuis?*

## Ad eundem de eadem re.
## XXXIII.

*DVm cecinit murem vitæ iam luce carentem,*
*Visa tibi est muris lux mea Musa sui.*
*At tua cùm nostram cecinerunt carmina Musam,*
*Visa mihi est Musæ mus mea Musa tuæ.*

## Ad Amicum cognomento Trottam,
Qui in defensionem muris à poeta cæsi, carmen scripserat.

## XXXIV.

*TRotta quid (ab nimiũ guttur mihi Trotta lacessis,*
*Ipsa mihi tanti nominis aura sapit)*
*Quid mea sic armas cæsum ad conuicia murem?*
*Ille tuo nostrum deuoret ore caput.*
*Sic animat voces illi tua Musa proteruas,*
*Viuus vt exanimi spiret ab hoste furor*
*Se mihi mus ergo tecum rediuiuus obarmat.*
*Tu nostrum irritas guttur, vt ille caput.*
*Si sapis (hoc moneo) nostram fuge, Trotta, patellam:*
*Tu mea, si viuis muscule, tecta fuge.*

## Ad eundem de eadem re.

## XXXV.

*CLamantem audisti cæco sub carcere murem,*
*Dum gemit inuisæ tristia fata necis.*
*Clamat, vt auxilio proles accurrat, & vxor:*
*Funeris vltricem poscit vtramq. sui.*
*Siccine clamabat (nam sic te audisse fateris)*
*Vt misero proles ferret, & vxor opem?*
*Sola illum tua Calliope miserata gementem*
*Audijt. An proles muris, an vxor erat?*

## Ad eundem de eadem re.

## XXXVI.

*EGregiè fingis murem mihi dira precantem,*
*Qui cecidit Martis victima lauta mei.*
*Fingis, & ipse meum tristi caput omine mordes.*
*Musculus hoc peteret mitius ille caput.*
*Tu mea crudeles ad funera poscis Erinnes;*
*Impia dum nostri vindicis ora refers.*
*At tua, quod lædant, fingunt maledicta cerebrum.*
*Dic, vbi mî cerebrum, quod tua lingua ferit?*
*Sic igitur mihi damna precans mentiris; vt ipse*
*Mentitus capiti comprecor illa tuo.*

## Ad eundem de eadem re.

XXXVII.

*QVot mala tu nobis inimica voce precaris,*
*Tot bona sint capiti sarcina grata tuo.*
*En tibi fausta precor. tu in me dirissima iactas*
*Vota: petunt alias mutua iura preces.*
*Vana, reor, ficto mentiris verba furore,*
*Nec mala tot vibras mente, quot ore tonas.*
*Sunt nobis æquanda precum mendacia. veris*
*Non referunt æquas falsa relata vices.*
*Æquemus, mi Trotta, preces, vt vterque meremur.*
*Tu mentire tuas, mentiar ipse meas.*

## De Mure cæso triumphus.

Ad Amicum.

XXXVIII.

*ASsequor en quantum victo de mure triumphum.*
*Ductor io, ter io dicite, victor io.*
*O mea tum quali discrimine tela micabant,*
*Cùm tantum aspexi feruere Marte Ducem!*
*Quid loquar adstrictam valido luctamine pugnam,*
*Spicula cùm fortes deseruere manus?*
*Quid domitum telo iactet Pythona tremendo*
*Phœbus, & ex alto vulnera missa Polo?*
*Nulla gigantei ceriat mihi gloria Martis:*

Me

*Me decus Herculeæ suspicit omne manus.*
*Dic, age; bellantem qui me, Rinalde, videbas;*
*An labor est vllus maior, an vllus honor?*
*Sæpe; reor, cùm nostra legis certamina, clamas:*
*O decus, ò tali prælia digna viro!*

## De fele Germana
### Dono missa poetæ pro muribus.
### XXXIX.

*FElis Hyperboreis munus mihi venit ab oris;*
*Nec petit hostilem dente, vel vngue feram:*
*Nuper vt in paruum propius stetit obuia murem;*
*Te ne, ait, aggrediar bellule, te ne vorem?*
*Sum Germana: meum vocat altera præda furorem.*
*Solus agit rabiem Bacchus in arma meam.*
*Ille vocat solus nostram ad certamina gentem:*
*Illius est nobis debita præda cruor:*
*Illum armata sequor: quòd si te ignara sequebar;*
*Non ego te murem rebar, at esse merum.*

## De pyxide cereorum Agnorum
### à muribus appetita.
### XXXX.

*EN tibi, qua munus seruatur, pyxis aperta est.*
*Huc soboles cæsi muris adulta veni.*
*Non nuculas, non tu lychnum prædaris olentem,*

*Qui patrem explebat, qui saturabat auum.*
*Tu patrium vincis morem, tu vincis auitum.*
*Serica degeneri munera dente petis.*
*Macte nouis necis auspicijs, noua funera quæris.*
*Aurea regali te manet esca dolo.*

## Ad Amicum
Recusantem pro munusculo gratias.
XXXXI.

*MVnere me donas, & me tibi muneris æquas*
*Alterno prohibes iure referre vices.*
*Siccine pugnat amor? si iam prior intulit ictum;*
*Aduerso refugit cur ab amore peti?*
*Sic odium ferro pugnas exercet iniquo.*
*Dum ferit, aduerso vulnus ab ense fugit.*
*Ast amor inflictis expectat ab ictibus ictus,*
*Quærit & in bello mutua tela suo.*

## Ad eundem.
De gemina rosa in vno caudice.
XXXXII.

*QVale genus floris! quali satus ille roseto!*
*En rosa, quæ geminas continet vna rosas.*
*Esse duas credas: vnam tamen esse fatendum est.*
*Iudicium dirimi non patietur amor.*
*Nempe suo natura rosas sociauit amore:*

Et

*Et suus è roseis sentibus exit amor.*
*Pectore sic ambo iungi gaudemus in vno:*
*Sic viget in geminis cordibus vnus amor.*
*Vt geminas simul esse rosas, simul aspicis vnam;*
*Sic nos esse duos crede, nec esse duos.*

## In obitu Fabritij de Tufo.

Qui in vlteriore Calabria pro Rege Legatus cùm obiuisset, sibiq. tumulum in alio Templo, atque Episcopali, ex testamento delegisset: celebrandi funeris orta contentio est, & æra campana pulsari vetita sunt ab Episcopo.

### XXXXIII.

*INferias dum, Tufe, tuas celebramus ad vrnam,*
*Et tibi thuricremo funus ab igne calet:*
*Heu, quantus confusa fremit per compita luctus!*
*Sidera luctisonis questubus icta sonant.*
*Nec tamen ærisonis sacræ tinnitibus ædes,*
*Nec pia funereis pulsibus æra gemunt.*
*Ingemit vrbs cari feretrum comitata parentis:*
*Sola tuis gemitum manibus æra negant.*
*Miror. at ecce tuo gemitus qui personat vrbem*
*Funere, campano grandius ære sonat.*
*Scilicet insignis virtutum fama tuarum*
*Postulat, vt te non æra, sed ora canant.*

## In obitu eiusdem.

**Demortuum virum vxor alloquitur.**

XXXXIV.

*SErius (ah volui citius) fidissime coniux,*
*Soluuntur cineri munera nostra tuo.*
*Parce: dolor vetuit citius. nempe ille cadentem*
*Oppressit vitam, te moriente, meam.*
*Meq. tuum corpus comitantem hucusq. coëgit*
*Exanimem in tumulo pectoris esse tui.*
*Ah, mihi nunc tumulo nimium citò reddor ab illo,*
*Surgere cur potui? cur, nisi facta cinis?*
*At dare qui poteram iustæ tibi munera pompæ,*
*A te ego ni vitæ redderer ante meæ?*

## Eädem ad eundem.

XXXXV.

*CAre vir, amplexu dum te mors aspera nostro*
*Abstulit; est animam tollere nisa meam.*
*Dumq. suo nostrum tentauit vulnere pectus,*
*Coniuge nonne, inquit, vis moriente mori?*
*Quid facerem? nec sponte sequor, nec sponte relinquor,*
*Nec mea sum; sic me vult amor esse tuam.*
*Ah tibi funeras vellem comes ire sub vmbras,*
*Et tecum interitus fata subire tui.*

*At*

*At reuocor. meritos lacrymarum poscis honores,*
*Quos cineri tribuam quî, nisi viua, tuo?*
*Ah, viuam, vt lacrymer, morerer, si mortua possem*
*Fletibus, vt vellem, te decorare meis.*

## Filius absens
### Parentem alloquitur morientem.
### XXXXVI.

*AT quæ fama meas, Genitor, quis nuncius aures*
*Vulnerat? heu quo me percutit ense dolor!*
*Ah moreris. quid fama refers? moriturne? nec adsum.*
*Ossa velim, ah, nostro linqueret ille sinu.*
*Nec datur horrendo (miserum) nutantia letho*
*Lumina luminibus cernere posse meis.*
*Quàm cuperem, aligeri detur si copia cursus,*
*Te comes ad tumulum, te super astra sequi!*
*At veniam, tua virtutis quà semita ducet.*
*Sat mihi iam tritam linquis ad astra viam.*

## Filia Patrem alloquitur mortuum.
### XXXXVII.

*VT tibi, care parens, morienti lumina claudo;*
*Sic mihi sunt animæ lumina clausa meæ.*
*Dumq. petis tumulum, in tumulo me linquis acerbo.*
*Experior, quàm sit flebilis vrna dolor.*

## Ad Hectorem Pignatellium Vibonensium Ducem

**Cùm Neapolitanum Collegium inuiseret, in Hispaniam profecturus.**

XXXXVIII.

*DVm nostrum ingressu limen dignaris amico,*
*Dux Charitum sacros inter adulte choros:*
*Ius erat, vt roseo sparsi pro munere floris*
*Exciperet positos Indica bacca pedes.*
*Regia, barbarici fastus, & plurimus auri*
*Fulgor, erant meritis victima parua tuis.*
*Certantes famulantum acies, Regumq. ministri*
*Ante tuum fuerint sydera parua iubar.*
*Hæc sunt hospitibus, qualem te cernimus, Hector,*
*Danda, sed hospitij sunt monumenta noui.*
*Tu licet exceptus nostris nouus aduena tectis,*
*Pectoribus nostris non nouus hospes eras.*

## Ad eundem.

XXXXIX.

*ADuentu lustranda tuo, Dux inclyte, sedes*
*En tibi quàm varias vndiq. legit opes!*
*Emicat hic auro paries: ille emicat ostro,*
*Et variat lætas mutua flamma vices.*
*Quàm pulchrè distincta nitent Garamantide gaza*
*Limina*

*Limina! gemmiuago sternitur imbre solum.*
*Cernis, vt Eois altè liqueata pyropis*
*Mille vomunt Soles atria, mille dies.*
*Fallor: vbi lux tanta? tuum tu contrahe lumen*
*Hector; vt hæc radios explicet aula suos.*

## Eidem

**Honorem operiendi capitis coram Rege, feliciter ominatur.**

L.

*DVm cursum ad fines Hector molitur Iberos,*
*Et parat Hesperium findere classe fretum;*
*Parthenope illacrymãs, Ergo hic mihi Cynthius, inquit,*
*Se rapit Occiduam vectus ad vsque plagam!*
*Hespere, quantus ero! quanti tibi luminis ortus,*
*Luminis occasus tu mihi quantus eris!*
*I, mea lux. mihi, cùm venies, simul alter Eoo,*
*Alter & Occiduo surget ab Orbe dies.*
*Sol tecum Austriadûm iuncta cùm luce micabit,*
*Conde caput, dicet, Cynthie conde comam.*

## Ad eundem.

L I.

*HEctor ades. læto plaudẽs tibi carmine Phœbus*
*Laudibus ingenium deuouet omne tuis.*

*Et calamũ, & citharam, & nitidũ fide barbiton aurea,*
*Ora, tubam, lituum, nablia, plectra, lyram*
*Accipe, dum parcè deses mihi militat Orbis,*
*Sunt, ait, hæc nostræ fragmina parua ratis.*
*O mea nunc illis resonet si vatibus aula,*
*Secula quos Pindo prisca dedere meô.*
*At tua ni maior Phœbeo carmine virtus,*
*Gloria ni soli cresceret æqua sibi:*
*Romuleus Latij tibi surgeret Orbis Homerus,*
*Atticus è Graio surgeret Orbe Maro.*

## De eiusdem in Hispaniam discessu.

### Ad Parthenopen.

### LII.

*HEctor abit. da verba rati, da carmina Siren.*
*En comitum properant agmina: necte moras.*
*Tiphys est, quid tarda siles? parat impiger Argo.*
*Funde melos: numen sentiat ille tuum.*
*Vela parat, tu Diua tuæ retinacula vocis*
*Solue, soporiferos edere docta modos.*
*Nauta fremit, dulcem tu carminis ingere Lethen*
*Auribus; vt celerem sopiat ille ratem.*
*Aura fauet. prompti modulare obliuia cursus.*
*Ah caue. Dulichio iam fugiere dolo.*

Fle

*Fle Dea, fle. pete rursus aquas, pete naufraga pontum.*
*Hector adhuc fines cogitat Hesperios.*

## Crispi funus ieiunio celebratum,

### Quo die in Neapolitano Collegio de eo est data Tragoedia.

### LIII.

*DVm Crispo struimus scenam, & ferale theatrum,*
*Nec mensæ officio cura, nec ora vacat:*
*Assuetos populata negant triclinia lances,*
*Et sua dat rigida munera lege penus.*
*Inter auellanas duo mala: at cetera supplet*
*Sola Ceres, magnæ victima parua fami.*
*Crispe, tuum viden vt funus præuenimus; & te*
*Fleuimus ante horam, dum cadis ante diem.*

## In obitu Alphonsi Cardinalis Gesualdi,

### Neapolitani Antistitis.

### LIV.

*ERgo Alphonse iaces! heu quò vis effera fati*
*Nos rapit! vrbs tanto funere mersa ruit.*
*Tinnula campanum ingeminat Libitina sonorem,*
*Et sacra ferali verberat æra manu.*
*Æra sed, heu, nostræ superant resonantia voces,*
*Quas iterant fato pectora mæsta tuo.*
*Fana licet validis clangoribus æthera pulsent;*

*Fama tamen pulsat fortius ora virûm.*
*Ærisonos habeant aliorum funera planctus.*
*Tu gemitus hominum nobile funus habe.*

## Ad eundem

Multos iam dies animam agentem.

LV.

*PEr longas animam noctes te, Alphonset, rahentem*
*Vidimus extremos ducere Luciferos.*
*Mors inferre tibi fatalem interrita dextram*
*Cæperat, & subito destitit icta metu.*
*Sæpius intentat, reuocatum sæpius ensem*
*Sustinet, & dubia statq; ruitq; manu.*
*Tandem animat trepidæ supremum cuspidis ictum,*
*Vulnus ab arbitrio poscere visa tuo.*
*Tarda fuit trepido te mors inuadere telo;*
*Nam te mortalem credere, tarda fuit.*

## Ad eundem.

Alludit ad stemma familiæ Gesualdæ. in quo pingitur Leo in cælum ascendenti similis, in cuius capite, & vnguibus Lilia.

LVI.

*REx nemorum sublime gerẽs sub imagine pectus,*
*Inclyta regali stemmata Marte notat.*
*Purpureos sursum flores iactare superbit,*

*Et*

*Et nitido ætheriam ſpargere vere plagam.*
*Fronte gerit florem: cælo florem vnguibus offert,*
*Vt Superos gentis ditet honore ſuæ.*
*Ne florem, ne magne Leo, ne Lilia cælo*
*Tende, ſed Alphonſo porrige vota tuo.*

## Ad eundem.

LVII.

*QVid tantùm inſolito geſtit Leo feruidus auſu,*
*Ardua qui celſa ſidera fronte petit?*
*Quid furit impatiens terrarum, & greſſibus auras*
*Appetit, ætherium carpère promptus iter?*
*Nil adeo memor ille ſui, non remige penna*
*Se leuior, iam ſe audacior aſtra ſubit.*
*Inclyte ſi terras coleres Alphonſe relictas,*
*Non tuus hic terris præferat aſtra Leo.*

## Parthenope ad eundem morientem.

LVIII.

*HAc memini te, Alphonſe, datũ mihi luce Parentem,*
*Qua nunc ad ſuperos funere raptus abis.*
*Quale fuit lux illa meis decus addita faſtis!*
*Quale tuo primùm fulſit ab ore iubar!*
*Nunc eadem qua nube dies, quibus atra tenebris,*
*Quo ruit interitus turbine rapta tui!*

*Ah, mihi quæ quondam gemino cum Sole refulsit,*
*Iam cadit hæc gemino Sole cadente dies.*

## Ad P. Claudium Aquauiuum

Societatis Iesu Præpositum Generalem, Archiepiscopatus Neapol. dignitatem, à Clemente VIII. oblatam, pertinaciter recusantem.

### LIX.

*QVàm miserè mortale genus sibi quærit honores,*
*Tam cupidè, Claudi, te sibi quærit honos.*
*Quærit, & infesta fugientem indagine captat,*
*Sis licet aërium carpere doctus iter.*
*Quid facies? noua iam lata est lex inter honores,*
*Ne sit honos, qui te quærere cessat honos.*

## Ad eundem de eadem re.

### LX.

*INsequitur paucos, multos procul effugit, omnes*
*Nunc venator agit, nunc fera ducit Honos.*
*Si fuerit venator honos, nil tardius illo:*
*Si fera, non rapidi est ocyor ira Noti.*
*Cur te venator, Claudi, pernicius vrget?*
*Solùm cælestes sic agit ille feras.*

## Lusus ad eundem de eadem re.

### LXI.

*MVlta millia pollicetur auri*
*Romanus tibi Præsul, & verendum*
*Apparat diadema, magne Claudi.*
*Tu sortem fugis auream, nec vllo*
*Permutas pretio tuam quietem;*
*Et auri procul hanc inanitatem*
*Frustra niteris exul abdicare.*
*O sors aspera, semper aureorum*
*Contra hæc millia prælium geremus!*
*Nam mihi quoque magnus Imperator*
*(Ille Romulei pater parentis,*
*Et rerum arbiter omnium supremus,*
*Qui nullum inuidiæ timens periclum,*
*Massicum tenet imperi cacumen,*
*Quamquam dicitur esse mentis impos)*
*Hic, inquam, mihi multa pollicetur*
*Auri millia, & insulam Quirini,*
*Quæ cocco radiet beatiori.*
*Verùm his pollicitis libens resisto,*
*Nec muto pretio meam quietem.*
*Pari nos igitur furore, Claudi,*
*Te sors dextera, me sinistra vexat.*

Iocandi ansam præbet deliri, ac nugacissimi senis petridicula sane insania, qui Massæ felicissimus, vt sibi videbatur, viuebat, sibi siquidem persuaserat, Imperatorem se esse, Orbis vniuersi, Pontificis Maximi, Regumq. omnium parentem. eaq. animi inductione vel amplissimas dignitates, vel magnam pecuniæ summam, quibus benefacere vellet, non sine aliorũ derisu vltro pollicebatur.

*Nam tot millibus illa te malorum,*
*Quot te millibus vrget aureorum:*
*Tot me millibus orbat at bonorum,*
*Mi quot millia monstrat aureorum.*
*Quid hoc exitij? quid hoc pericli?*
*Quid solaminis vspiam laboris?*
*Illud est, reor, optimum leuamen:*
*Est mihi malè sorte cum maligna,*
*Nec tibi est benè sorte cum benigna.*
*Si mutare libet vicem; libenter*
*Vterque alterius malum feremus.*
*Sume millia Massica, & tiaram,*
*Quam Massæ mihi præbet Imperator:*
*Mi da millia Romula, & tiaram,*
*Quam Romæ tibi præbet Imperator.*
*Sic ambobus erit minus laborum,*
*Et mali minus, & minus dolorum.*

## Ad eundem.

Calliope, quæ domestico Pindo præsidet, causam exponit, cur Optimo Parenti, Neapolim venienti, nihil ceciaerit?

LXII.

*VNa fatigatæ genio concessa Mineruæ*
*Lux venit, & mediam diuidit hebdomadam.*

*At*

*At mihi quàm nigra est ea lux, & auara quietis!*
*Nec me nobilior Palladis vlla soror.*
*Illa soror cæci custos clamosa Lycæi*
*Vendicat in totum ludicra festa diem.*
*At mihi mensuram iusti cur diuidis oti?*
*Nascitur à prima quin mea luce quies?*
*Ergo alios videam ad lætos præcurrere lusus,*
*Nec meus æquatis Lucifer ibit equis?*
*Sic gemit, & socias cernit garrire solutas*
*Ales captiuum stamine vincta pedem.*
*Et petis, vt cantem, & vincis me hac compede Claudi?*
*Ora mihi si vis soluere, solue pedem.*

## Nouus odor è S.Irenæ reliquijs,

Quæ in Collegio Societatis Iesu Lupijs asseruantur.

LXIII.

*Virgineum Irenæ bustum, & nuda ossa recondit*
*Hæc tibi, quæ sacro sic olet arca sinu.*
*Suauius halantes nullus liquat Eurus Eoos,*
*Non sic verna suas gratia difflat opes.*
*An sua cælicolis Tempe, vel odora voluptas,*
*Quod fouet hæc cæli pignora tantus odor?*
*An diuinus amor, nostri venator amoris,*
*Hic se venandum præbet odore nouo?*

## De viro quodam,

Qui cùm odoratione careret; earum tamen reliquiarum odorem diuinitus percepit.

### LXIV.

*Spirat; & efflatæ dubium quis spiritus auræ:*
*Quas, precor, hæc merces, quas habet arca rosas?*
*Nil redolet mortale, tuos, age, confer odores*
*Tmole, vel Assyriæ prodige mercis Arabs.*
*Vos nemus Hesperides, vestrum conferte Napææ:*
*Confer odoratam Sidonis aura Tyron.*
*Ite, vaporatum ambrosia qui spargitis Orbem,*
*Diues Arabs, felix Inde, superbe Cilix.*
*Vestra quidem sensus recreat, non aura creabit:*
*Hic recreat sensus, & creat vnus odor.*

## Ad Philippum Spinellum Card. creatum.

### LXV.

*Insolitum, Spinelle, iubar tua purpura reddit:*
*Maior hic est quouis muricis igne rubor.*
*Ardeat illa quidem Tyrio licet ebria succo,*
*Sidoniæq. omnes hauserit artis opes:*
*At magis erubuit, postquam te ambire superbit,*
*Inferior meritis iam sibi visa tuis.*

Ad

## In Cosmum, Magnum Hetruriæ Ducem,

Imperium sub ipsum nouorum syderum]]
ortum auspicantem.

LXVI.

*QVartus vt affulsti Thusca Regnator in ora,*
*Vidimus Eoo clarius igne iubar.*
*Auroramq. tuam nouus hic dum suspicit *Atlas;*
*Visa prius nulli sidera, Cosme, videt.*
*Nempe tuis oculos radijs animatus, & ortu*
*En oculis animat secula nostra nouis.*
*An plures magis ipse oculos sibi sufficit æther,*
*Lumine præstingui dum timet ille tuo?*

* Is est Galilæus, patria Florentinus, qui telescopio quatuor in cælo sidera deprehendit primus, eaq. Medicæa nuncupauit.

## Ad eundem de eadem re.

LXVII.

*PRogeniem te, Cosme, suam dum signat Olympus;*
*Sidera tot gignit, Thusca quot ora Duces.*
*An ne hæc astra dedit tædas Astræa iugales*
*Diua Ducum generi nubere nata tuo?*
*Sed, reor, vt regni fastos tibi numina condant,*
*Sidereis censent teq; tuosq; notis.*
*An quia Sol oreris Medicæo quartus Eoo,*
*Præ tibi Luciferos quattuor ire iubes?*
*Quidquid id est, æterna Ducum tua, Cosme, propago*
*Pignora quot terris, tot serit astra Polo.*

# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV CARMINVM

## *LIBER QVINTVS.*



### Ad Octauium Aquauiuum Card. Ac Neapolitanum Antistitem.

*ODE I.*



*Vnc virum, hunc heroa tuba, vel acri*
*Barbito sumas, Erato, canendum,*
*Inclytum cuius tulit alma Regum*
*Nomen origo.*
*Hunc in arcanis Heliconis vmbris,*
*Hunc super Pindo, geminoq. sacri*
*Colle Parnassi recinat iocosa*
*Vocis imago.*
*Docta quæ lusu fidium canoro*
*Æmulum cantu simulare carmen,*
*Dulce responset melos, & loquaci*
*Ludat in aura*

*Dulc*

Dulcius, quàm si modulata Siren
Auias blando trahat ore puppes,
Aut sequi raptæ properent canentem
Orphea syluæ.
Quid prius dicam? vetus an potentum
Nomen heroum, patriumq. Martem,
Vnde tot laudum moritura nullo
Fama sub æuo?
An triumphatos populos auito
Imperi ductu, stabiliq. fixum
Iure regnandi solium, nec vlla
Sorte caducum?
An sacro mentes genio Mineruæ
Inclytas, & cum Latijs Pelasgas
Ingeni laudes, geminoq. iunctas
Fœdere Musas?
An Quirinali rutilum galero,
Anne regali trabea coruscum
Purpuræ fulmen, Tyrioq. gentem
Sole micantem?
O Ducum tanto memorande partu,
Astra quæ Mundo seris! atq. terras
Luce qua reples, generose Gallis
Rhene togatis!

*Vnde cælestes Aquauiuus ignes*
*Splendor æternos obiturus annos*
*Auget. ò Cæli genus, & beatis*
*Nubile Diuis.*
*O potens Regnis Aquauiue Mauors,*
*Lesbio tantum decus adde plectro,*
*Et mihi Regum seriem tuorum*
*Crede canendam.*
*Iosium prima referam Camæna*
*Regna terrentem Ligurum, nec vnis*
*Obuium signis, inimica ferro*
*Castra metentem.*
*Quale montanas violenta syluas*
*Aura Rhiphæo quatiens flagello,*
*Ingruit ponto, gelidaq. terras*
*Verrit ab Arcto.*
*Aut vbi nimbis, pluuioq. cæli*
*Amnis exundans pelago tumescit;*
*Mox trahit latè per aperta fluctus*
*Arua sonantes.*
*Iam superiectum sata vastat æquor:*
*Fertur in præceps rapido natatu*
*Tota Syluani domus ingruenti*
*Proruta ponto.*

*Iulium*

*Iulium cantu sequar, imminenti*
*Tela vibrantem metuenda Mauro;*
*Marte dum prompto pauidas tuetur*
*Chaonis oras.*
*Ille cælestes imitatus iras,*
*Penè cælestes iaculatus ignes,*
*Conscias Diti Libyæ phalanges*
*Reddidit Orco.*
*Mitius victor Nemeæ ferocem*
*Cerberum torto repetebat ictu,*
*Aut renascentem capitum feracem*
*Ibat in anguem.*
*Mitius tactas Iouis ira turres*
*Fulminum iactu ruit, aut recussis*
*Nubibus cæli fragor occupatas*
*Attonat vrbes.*
*Prole tu tanta metuende Samson,*
*Hoc satu Regum subiture cælo,*
*Primus hac orbem Latium corona*
*Inseris astris.*
*Nulla Rinaldum superabit ætas,*
*Nulla Germanum tacitura surgens*
*Secla; nec virtus tua Fortuari*
*Cesserit æuo.*

*Nobilis Siren gemina superbit*
*Prole Matthæi; patriæq. cursum*
*Integrans laudis, viget in gemello*
*Pignore virtus.*
*Crescit, æterno velut imbre torrens,*
*Fama Conradi. micat inter omnes*
*Claudium sydus, velut orta pleno*
*Cynthia vultu.*
*Gentis Eoæ decus ò verendum*
*Diue Rodulphe. ò tibi qui superstes*
*Surgis occumbens; tibi qui perenni*
*Luce parentas:*
*Tu nouum cæcis Orientis oris*
*Sydus, affines Erebo tenebras*
*Pellis, & læti nitidum diei*
*Limen inauras.*
*O noua cœli face qui rubescis,*
*Qualis Auroræ redeuntis ardor,*
*Profer, Octaui, iubar; & serenos*
*Exere vultus.*
*Quam tuo flammam referas Eoo?*
*Fortius vibra radios, & altum*
*Da diem terris, noua Vaticani*
*Lampas Olympi.*

Ad

## Ad eundem.

### Prosopopœia Potentiæ.

### ODE II.

*Diua Regnantum dominata votis*
*Ambior multis, sed amica paucis.*
*Destinor paucis, inimica multis,*
*Cognita nulli.*
*Namq. me vanis operata tædis.*
*Nubilem spectat veluti puellam*
*Stulta dotales meditata fasces*
*Turba procorum.*
*Cingor affusa iuuenum caterua*
*Lubricum formæ decus appetentum,*
*Meq. certatim sibi quisque primis*
*Arrogat ausis.*
*Irritum voti genus. ò quid optas*
*Vana iungendi generis libido*
*Regiam quamuis animosa nostram*
*Morte pacisci?*
*Regna regnandi cupidos repellunt,*
*Et sui spernax genus imperantum*
*Sponte sectantur; sed iniqua cursum*
*Vincla morantur.*

*Coniugem venor fugiens amari,*
*Sola contemptu redimenda coniux.*
*Fertur auersos meus in maritos*
*Ardor amoris.*

*Audior nulli, male nota cunctis:*
*Sed procax vires geminat cupido.*
*Ille bellantem ferus obstinatis*
*Imperat orsis.*

*Marte riuali premor, atque turpi*
*Fraude poscentum face me iugali;*
*Quale Rhiphæo repetita quercus*
*Vapulat Euro.*

*Illa pugnaci labefacta nimbo*
*Inter aduersos hyemis furores*
*Sæpe victrici caput huc procellæ,*
*Sæpe dat illuc.*

*Tale me fatum rapit immerentem.*
*Nuptias longis remorata pactis,*
*Sæpe victrices thalamo irruentum*
*Flector in iras.*

*Quippe me sæuis Hymenæus armis*
*Vrget, & vultu subigit minaci*
*Subsequi tædas, potiore belli*
*Sorte potitas.*

*Sæpe*

*Sæpe conuulsum lacerata pectus*
*(Alter hinc dum me tenet, alter inde,*
*Raptor) haud vno, licet vna, poscor*
*Ense sequestro.*

*Non amor vobis meus, aut libido*
*Vlla me iungit, genus ò proteruum.*
*Præda sum fati, metuenda vestri*
*Meta triumphi.*

*Si forem sponso potis ire nuptum,*
*Sponte cui vellem; neq. dirus Hymen*
*Lege tam sæua caput hoc maritæ*
*Traderet iræ:*

*Nuberem nullis pharetrate neruis*
*Mede, nec Marti generosa Thrace.*
*Nec tuis ausis Macedo, nec vlli*
*Phthie furori.*

*Dignus & nostra fuerit repulsa*
*Aut Iber astu vafer, aut Gelonus*
*Iunctus Arctoo, patriòue Memnon*
*Fuscus Eoo.*

*Siue quis dextra meliore Ditem*
*Ausus incesta viduare nupta;*
*Fulta seu quisquam tulit irretorto*
*Sydera tergo.*

*Siue quis Lernæ populatus iras,*
*Aut Echidnei populósa monstri*
*Colla, tot iactu colubrûm renasci*
*Prompta cadendo.*
*Sola gens regno famulata mentis*
*(Si qua sub cælo dominata tantum)*
*Iura connubi mihi posset æquo*
*Iungere fato.*
*Si meæ quisquam benè destinatus*
*Regiæ coniux, fideiq. compar;*
*Regna contemptu, meritoq. regni*
*Victa relegat.*
*Vnde nec tristem furiosa vultum*
*Ira funestat; neq. temperatum*
*Impotens auri sitis, aut cruoris*
*Pectus biulcat.*
*Vtitur fatis, & vtramque pendit*
*Lance fortunam numerosus æqua;*
*Vera nec tristis metus, aut cupido*
*Gaudia libat.*
*Nulla depressum leuis aura vulgi*
*Iactat insano per inane ludo;*
*Nec recrudescens iecur vlcerosa*
*Cypride gliscit.*

*Militat*

*Militat Cælo, catus auspicari*
*Quas quibus laudes vigil allaboret,*
*Quò vocet mores operosa mentis*
*Hospita Pallas.*
*Nec sibi mendax opifex futuri,*
*Quidquid incerto varium laborat*
*Tempus euentu, videt æquus alto*
*Sub pede verti.*
*Tale gens terris Aquauiua nomen*
*Extulit. Claudi noua signa cerno,*
*Nota cui sanctum pepulere pectus*
*Classica Diuûm.*
*Ille transcriptus licet in rebelles*
*Imperi nomen procul execrantes,*
*Quos fugit, secum trahit insequentum*
*Agmen honorum.*
*Victe quò sæuis? honor est fugacis*
*Vmbra virtutis; neque me fatigat*
*Vlla fallendi profugos, nec vlla*
*Cura sequendi.*
*Tuq. tantorum generose Regum*
*Sanguis, Octaui, Tyria decorum*
*Infula crinem sacer, & Quirino*
*Flammeus ostro.*

*Macte natiuo trabeate regno,*
*Te mihi dudum tua fata debent,*
*Nate terrarum regimen tueri,*
*Nate mereri.*

## Ad eundem.

### Prosopopœia Fortitudinis.

### ODE III.

*Q*VIsquis hostiles metuendus iras
*Marte regnator domuit secundo,*
*Et nouis semper cumulata firmat*
*Regna triumphis;*
*Strauerit quamuis populos, & vrbes,*
*Hauserit fusi pelagum cruoris,*
*Regna quassarit tremefacta sæua*
*Fulmine dextræ,*
*Sola, quæ soli metuantur, absint,*
*Sola, quæ soli cupiantur, adsint,*
*Læta nec frustra meditentur vllos*
*Pectora fastus:*
*Iura fortunæ metuet seueræ,*
*Orbitam cuius facilem rotatu*
*Altus insedit; dubiumq. tentat*
*Figere lapsum.*

*Tentat incassum: calet, & calebit*
*Fixus, & rerum numerat ruinas*
*Ille surgentum ferus, & cadentum*
*Arbiter axis.*
*Quem super summum sedet acta sæuo*
*Orbium raptu, neq. rapta gyros*
*Horret immanes Dea nata volui,*
*Nata reuolui.*
*Quippe nec certum fidei tenorem*
*Integrat veris inimica dictis;*
*Nec sui semper memor illa sedem*
*Visit eandem.*
*Indigens auri, dominatur auro;*
*Nec potens Regni, domat illa Reges.*
*Mater eiusdem cupit, & nouerca*
*Prolis haberi.*
*Multa, quæ donat, rapit & redonat:*
*Prima supremis cumulare pergit:*
*Rapta reddendis meliora mutat,*
*Reddita raptis.*
*Intulit si quæ mala, rursus aufert:*
*Abstulit si quæ mala, rursus infert;*
*Sæpe quot præbet bona, tot reliquit*
*Pignora cladis.*

*Impium dandi genus, an iocandi?*
*Sæpe porrectam subiens rapaci*
*Dexteram læua, simul atque munus*
*Porrigit, aufert.*
*Culta multorum studium fefellit:*
*Spreta paucorum timuit repulsam,*
*Quos suo virtus adamante casus*
*Durat in omnes.*
*Rara viuentum generi sub astris*
*Indoles, rarum genus imperandi.*
*Nulla sub cælo potiore regnat*
*Iure potestas.*
*Tale nil ausu meditaris isto*
*Regna Samnitum domiture paruo,*
*Dona qui coram numerata magni*
*Respuis auri.*
*Ista pars veræ fuit vna laudis.*
*Illa, quam regno renuis retento,*
*Regna cùm spreto renuisset auro,*
*Aurea virtus.*
*Tale nil, quamuis nimis ause, tentas*
*Vane Porsennæ trucis immolator,*
*Vlte te flammis, quòd inulta cernis*
*Ora Tyranni.*

 Fortis

*Fortis ad flammas vetat ire virtus,*
*Triste nec fatum rapit. illa turpem*
*Mortis horrorem, stolidumq. vitæ*
*Arcet amorem.*
*Æstimas mortem meliore censu*
*O, vadem qui te fidei seueræ*
*Sistis ad pœnas, reducemq. diro*
*Prodigis Afro.*
*Siste captiuos Libys ira clamat.*
*En ego merces fidei, reclamas,*
*Venditus pacta vice nunc reuendor*
*Funeris emptor.*
*Tale portentum meditate laudis*
*Occidis sæua generose Parcæ*
*Lusor, ò famæ vaga qui loquacis*
*Ora fatigas,*
*Hostium classem remorate dextra;*
*Dextera rapta, remorate læua;*
*Hac data morti, tamen orse proram*
*Sistere morsu.*
*O ferax tanti generis vetustas*
*Prole de prima caput affer vnum,*
*Vera cui virtus, & honesta mentis*
*Cura seuera.*

*Rexerint fortes per acerba vires*
*Orsa, qui certo tetigere cursu;*
*Vera quam veræ posuere laudi*
*Numina metam.*

*Vna tot clades, tot adire mortes*
*Cura regnandi domitos adegit.*
*Vna tot sceptri peperit cupido*
*Monstra laborum.*

*Talibus non se pepigere votis*
*Astra, nec tales docuere mores.*
*Vna, quæ vulgi fugit ora, virtus*
*Imperat astris.*

*Illa, quam cæcis Aquauiua proles*
*Intulit terris, hominumq. vitam*
*Certa cum Diuis docuit pacisci*
*Fœdera morum.*

*Vicit hoc virtus tua, magne Claudi;*
*O fugax laudis, sed amata laudi*
*Præda venanti tua pertinaces*
*Vota per astus.*

*Siste (venatrix animosa clamat)*
*Siste cælesti fera nata luco,*
*Sola sub cælo fugiens teneri in-*
*dagine nostra.*

*Stirpis*

*Stirpis agnatæ genus omne cingam,*
*Nostra nec fallet tuus arma sanguis.*
*Parte fraterni fruor ecce victrix*
*Sanguinis vna.*
*Illa germano mihi cum gemello*
*Regna Sebethi tenet, & Quirini*
*Sceptra cognato propiora Cælo*
*Penè capessit.*

## Ad eundem.

### Prosopopœia Prudentiæ.

### ODE IV.

*Mentis æternæ Dea nata partu*
*Fata contemplor, rapidumq. rerum*
*Turbinem, cursu cita qui perenni*
*Secula torquet.*
*Quicquid orditur vaga pertinacis*
*Ira Saturni fugiens caueri,*
*Sponte præcurram; nihil imparata*
*Mente manebo.*
*Mente nil vnquam sequor impedita:*
*Nil redordiri semel orsa cogor;*
*Nec citra fixam titubante metam*
*Calce resisto.*

*Imperi nullam manus vlla molem*
*Appetit, nullam sine me coronam*
*Induit Mauors, stabiliue regnum*
*Culmine firmat.*
*Ire me præ se rogat ille, si quid*
*Inuium tentat. Duce me sagatis*
*Iura dat turmis: sua me gubernat*
*Auspice bella.*
*Sum togæ vindex, pietatis altrix,*
*Numinis custos, domitrix amorum,*
*Dulce ludentes moderata curas,*
*Dulce furentes.*
*Quò suos flectat fugitans videri*
*Vita Mæandros, video; nec vllas*
*Fraudis ambages mihi celat æui*
*Lubricus error.*
*Nullus incautam dolor, aut voluptas*
*Occupat, nullus furor impotentem,*
*Nullus ignauam timor, & cupido*
*Nullus inermem.*
*Obstetrix fœtæ vocor vna sortis*
*Ante maturam parientis horam.*
*Certa contemplor dubia retrusum*
*Pignus in aluo.*

*Siue*

*Siue festiuos parit illa risus;*
*Parcitas illos regat educatrix.*
*Siue conceptos parit illa luctus;*
*Nulla sit altrix.*
*Saepe cum foetu dare semiparto*
*Coeperit risus; reliquum caueb o.*
*Namq. pars tristes generanda seruat*
*Vltima luctus.*
*Me suos tardat medicante partus;*
*Et meo partus abigit veneno.*
*Ille quàm multos hominum timores*
*Fallit abortus!*
*Me roga, monstris vterum gemellis*
*Aucta quid nisu ferat illa primo*
*An γελωπενθῶν genus, an furentum*
*πενθογελώτων;*
*Nomen horrescis? colubros vocaui*
*Voce fraternos merita. sed alter*
*Virus aspectu iacit; alter ima*
*Cuspide caudae.*
*Ite, qui regnis sine me potiri;*
*Vultis, & sceptris geminare Mundum.*
*Ite palantes Stygis in propinquo*
*Margine mentes.*

Coniugem venor fugiens amari,
Sola contemptu redimenda coniux.
Fertur auersos meus in maritos
Ardor amoris.
Audior nulli, male nota cunctis:
Sed procax vires geminat cupido,
Ille bellantem ferus obstinatis
Imperat orsis.
Marte riuali premor, atque turpi
Fraude poscentum face me iugali;
Quale Rhiphæo repetita quercus
Vapulat Euro,
Illa pugnaci labefacta nimbo
Inter aduersos hyemis furores
Sæpe victrici caput huc procellæ,
Sæpe dat illuc.
Tale me fatum rapit immerentem.
Nuptias longis remorata pactis,
Sæpe victrices thalamo irruentum
Flector in iras.
Quippe me sæuis Hymenæus armis
Vrget, & vultu subigit minaci
Subsequi tædas, potiore belli
Sorte potitas.

Sæpe

*Sæpe conuulsum lacerata pectus*
*(Alter hinc dum me tenet, alter inde,*
*Raptor) haud vno, licet vna, poscor*
*Ense sequestro.*

*Non amor vobis meus, aut libido*
*Vlla me iungit, genus ò proteruum.*
*Præda sum fati, metuenda vestri*
*Meta triumphi.*

*Si forem sponso potis ire nuptum,*
*Sponte cui vellem; neq. dirus Hymen*
*Lege tam sæua caput hoc maritæ*
*Traderet iræ:*

*Nuberem nullis pharetrate neruis*
*Mede, nec Marti generosa Thrace.*
*Nec tuis ausis Macedo, nec vlli*
*Phthie furori.*

*Dignus & nostra fuerit repulsa*
*Aut Iber astu vafer, aut Gelonus*
*Iunctus Arctoo, patriue Memnon*
*Fuscus Eoo.*

*Siue quis dextra meliore Ditem*
*Ausus incesta viduare nupta;*
*Fulta seu quisquam tulit irretorto*
*Sydera tergo.*

Siue quis Lernæ populatus iras,
Aut Echidnei populòsa monstri
Colla, tot iactu colubrûm renasci
Prompta cadendo.
Sola gens regno famulata mentis
(Si qua sub cælo dominata tantum)
Iura connubi mihi posset æquo
Iungere fato.
Si meæ quisquam benè destinatus
Regiæ coniux; fideiq. compar;
Regna contemptu, meritoq. regni
Victa relegat.
Vnde nec tristem furiosa vultum
Ira funestat; neq. temperatum
Impotens auri sitis, aut cruoris
Pectus biulcat.
Vtitur fatis, & vtramque pendit
Lance fortunam numerosus æqua;
Vera nec tristis metus, aut cupido
Gaudia libat.
Nulla depressum lenis aura vulgi
Iactat insano per inane ludo;
Nec recrudescens iecur vlcerosa
Cypride gliscit.

Milita

*Militat Cælo, catus auspicari*
*Quas quibus laudes vigil allaboret,*
*Quò vocet mores operosa mentis*
*Hospita Pallas.*
*Nec sibi mendax opifex futuri,*
*Quidquid incerto varium laborat*
*Tempus euentu, videt æquus alto*
*Sub pede verti.*
*Tale gens terris Aquauina nomen*
*Extulit. Claudi noua signa cerno,*
*Nota cui sanctum pepulere pectus*
*Classica Diuûm.*
*Ille transcriptus licet in rebelles*
*Imperi nomen procul execrantes,*
*Quos fugit, secum trahit insequentum*
*Agmen honorum.*
*Vicle quò sæuis? honor est fugacis*
*Vmbra virtutis; neque me fatigat*
*Vlla fallendi profugos, nec vlla*
*Cura sequendi.*
*Tuq. tantorum generose Regum*
*Sanguis, Octaui, Tyria decorum*
*Infula crinem sacer, & Quirino*
*Flammeus ostro.*

*Macte natiuo trabeate regno;*
*Te mihi dudum tua fata debent;*
*Nate terrarum regimen tueri,*
*Nate mereri.*

## Ad eundem.

Prosopopœia Fortitudinis.

*ODE III.*

*QVisquis hostiles metuendus iras*
*Marte regnator domuit secundo,*
*Et nouis semper cumulata firmat*
*Regna triumphis;*
*Strauerit quamuis populos, & vrbes,*
*Hauserit fusi pelagum cruoris,*
*Regna quassarit tremefacta sæua*
*Fulmine dextræ,*
*Sola, quæ soli metuantur, absint,*
*Sola, quæ soli cupiantur, adsint,*
*Læta nec frustra meditentur vllos*
*Pectora fastus:*
*Iura fortunæ metuet seueræ,*
*Orbitam cuius facilem rotatu*
*Altus insedit; dubiumq. tentat*
*Figere lapsum;*

*Tentat*

*Tentat incassum: calet, & calebit*
*Fixus, & rerum numerat ruinas*
*Ille surgentum ferus, & cadentum*
*Arbiter axis.*
*Quem super summum sedet acta sæuò*
*Orbium raptu, neq. rapta gyros*
*Horret immanes Dea nata volui,*
*Nata reuolui.*
*Quippe nec certum fidei tenorem*
*Integrat veris inimica dictis;*
*Nec sui semper memor illa sedem*
*Visit eandem.*
*Indigens auri, dominatur auro;*
*Nec potens Regni, domat illa Reges;*
*Mater eiusdem cupit, & nouerca*
*Prolis haberi.*
*Multa, quæ donat, rapit & redonat:*
*Prima supremis cumulare pergit:*
*Rapta reddendis meliora mutat,*
*Reddita raptis.*
*Intulit si quæ mala, rursus aufert:*
*Abstulit si quæ mala, rursus infert;*
*Sæpe quot præbet bona, tot reliquit*
*Pignora cladis.*

*Impium dandi genus, an iocandi?*
*Sæpe porrectam subiens rapaci*
*Dexteram læua, simul atque munus*
*Porrigit, aufert.*
*Culta multorum studium fefellit:*
*Spreta paucorum timuit repulsam,*
*Quos suo virtus adamante casus,*
*Durat in omnes.*
*Rara viuentum generi sub astris*
*Indoles, rarum genus imperandi.*
*Nulla sub cælo potiore regnat*
*Iure potestas.*
*Tale nil ausu meditaris isto*
*Regna Samnitum domiture paruo,*
*Dona qui coram numerata magni*
*Respuis auri.*
*Ista pars veræ fuit vna laudis.*
*Illa, quam regno renuis retento,*
*Regna cùm spreto renuisset auro,*
*Aurea virtus.*
*Tale nil, quamuis nimis ause, tentas*
*Vane Porsennæ trucis immolator,*
*Vlte te flammis, quòd inulta cernis*
*Ora Tyranni.*

*Fortis ad flammas vetat ire virtus,*
*Triste nec fatum rapit. illa turpem*
*Mortis horrorem, stolidumq. vitæ*
*Arcet amorem.*
*Æstimas mortem meliore censu:*
*O, vadem qui te fidei seueræ*
*Sistis ad pœnas, reducemq. diro*
*Prodigis Afro.*
*Siste captiuos Libys ira clamat,*
*En ego merces fidei, reclamas,*
*Venditus pacta vice nunc reuendor*
*Funeris emptor.*
*Tale portentum meditate laudis*
*Occidis sæua generose Parcæ*
*Lusor, ò famæ vaga qui loquacis*
*Ora fatigas,*
*Hostium classem remorate dextra;*
*Dextera rapta, remorate læua;*
*Hac data morti, tamen orse proram*
*Sistere morsu.*
*O ferax tanti generis vetustas*
*Prole de prima caput affer vnum,*
*Vera cui virtus, & honesta mentis*
*Cura seueræ.*

*Rexerint fortes per acerba vires*
*Orſa, qui certo tetigere curſu,*
*Vera quam veræ poſuere laudi*
*Numina metam.*
*Vna tot clades, tot adire mortes*
*Cura regnandi domitos adegit.*
*Vna tot ſceptri peperit cupido*
*Monſtra laborum.*
*Talibus non ſe pepigere votis*
*Aſtra, nec tales docuere mores.*
*Vna, quæ vulgi fugit ora, virtus*
*Imperat aſtris.*
*Illa, quam cæcis Aquauiua proles*
*Intulit terris, hominumq. vitam*
*Certa cum Diuis docuit paciſci*
*Fœdera morum.*
*Vicit hoc virtus tua, magne Claudi;*
*O fugax laudis, ſed amata laudi*
*Præda venanti tua pertinaces*
*Vota per aſtus.*
*Siſte (venatrix animoſa clamat)*
*Siſte cæleſti fera nata luco,*
*Sola ſub cælo fugiens teneri in-*
*dagine noſtra.*

*Stirpis*

*Stirpis agnatæ genus omne cingam,*
*Nostra nec fallet tuus arma sanguis.*
*Parte fraterni fruor ecce victrix*
*Sanguinis vna.*
*Illa germano mihi cum gemello*
*Regna Sebethi tenet, & Quirini*
*Sceptra cognato propiora Cælo*
*Penè capessit.*

## Ad eundem.

### Prosopopœia Prudentiæ.

### ODE IV.

M*Entis æternæ Dea nata partu*
*Fata contemplor, rapidumq. rerum*
*Turbinem, cursu cita qui perenni*
*Secula torquet.*
*Quicquid orditur vaga pertinacis*
*Ira Saturni fugiens caueri,*
*Sponte præcurram; nihil imparata*
*Mente manebo.*
*Mente nil vnquam sequor impedita:*
*Nil redordiri semel orsa cogor;*
*Nec citra fixam titubante metam*
*Calce resisto.*

*Imperi nullam manus vlla molem*
*Appetit, nullam sine me coronam*
*Induit Mauors, stabiliue regnum*
*Culmine firmat.*
*Ire me præ se rogat ille, si quid*
*Inuium tentat. Duce me sagatis*
*Iura dat turmis: sua me gubernat*
*Auspice bella.*
*Sum togæ vindex, pietatis altrix,*
*Numinis custos, domitrix amorum,*
*Dulce ludentes moderata curas,*
*Dulce furentes.*
*Quò suos flectat fugitans videri*
*Vita Mæandros, video; nec vllas*
*Fraudis ambages mihi celat æui*
*Lubricus error.*
*Nullus incautam dolor, aut voluptas*
*Occupat, nullus furor impotentem,*
*Nullus ignauam timor, & cupido*
*Nullus inermem.*
*Obstetrix fœtæ vocor vna sortis*
*Ante maturam parientis horam.*
*Certa contemplor dubia retrusum*
*Pignus in aluo.*

*Siue*

*Siue festiuos parit illa risus;*
*Parcitas illos regat educatrix.*
*Siue conceptos parit illa luctus;*
*Nulla sit altrix.*
*Sæpe cum fœtu dare semiparto*
*Cœperit risus; reliquum caueba.*
*Namq. pars tristes generanda seruat*
*Vltima luctus.*
*Me suos tardat medicante partus;*
*Et meo partus abigit veneno.*
*Ille quàm multos hominum timores*
*Fallit abortus!*
*Me roga, monstris vterum gemellis*
*Aucta quid nisu ferat illa primo*
*An* γελωπενθῶν *genus, an furentum*
πενθογελώτων;
*Nomen horrescis? colubros vocaui*
*Voce fraternos merita. sed alter*
*Virus aspectu iacit; alter ima*
*Cuspide caudæ.*
*Ite, qui regnis sine me potiri;*
*Vultis, & sceptris geminare Mundum.*
*Ite palantes Stygis in propinquo*
*Margine mentes.*

*Sic ratis portum petit orba clauo:*
*Sic auis cælum secat orba pennis:*
*Sic serenatam sine lucis auro*
*Cernitis auram.*

*Quæ vocet vestros via cunq. cursus,*
*Præ nisi accurram, biuiumq. vitæ*
*Omne discernam; nihil vlla tutum*
*Semita monstrat.*

*Stulte, quid vanum dubius futuri*
*Pythium quæris? quid aperta centum*
*Ora Cumanæ, sed operta fraude*
*Carmina Diuæ?*

*Arte fortunam Pharia cauebis?*
*Illa cognatos inibi penates*
*Fixit, optatos vbi tu quiescis*
*Inter amores.*

*Se tuam ludens agit inter aulam;*
*Se tuas furtim tegit inter vlnas;*
*Te nouercali simulata mater*
*Fascinat ore.*

*Induit vultum cata versipellem:*
*Cedit affines lepor in furores,*
*Lusus in luctus, furor in lepores,*
*Risus in iras,*

*Mille*

*Mille Circæa subit arte formas*
*Pharmaco portentifico renascens.*
*Si quid aspectu geniale præfert;*
*Fidere parce.*
*Proferet spiras modò tecta Gorgon,*
*Et repentino tumidum veneno*
*Guttur exertans, tua carpet acri*
*Gaudia morsu.*
*Quale vernantis per amœna ruris*
*Culta pastorem viridi sub alno*
*Dulce sopitum ferit occupata*
*Anguis ab herba.*
*Qua quis hanc norit Magus arte fraudem!*
*Vana consultus Babylonis augur,*
*Vana Pyrrheæ monet vrna sagæ,*
*Vana Sabellæ.*
*Quale quo numen sonat ore Delos!*
*Quid pharetrati tripodes Agyiei,*
*Quid monet cæcis adytum cauernis*
*Vatis Orythei?*
*Lusit accepto Patareus auro*
*Romulos quondam iuuenes, paterni*
*Falsa dum regni dedit osculandam*
*Symbola matrem.*

*Lusit arcana Rhodopeius arte*
*Abdito fretum Deus ore Persen.*
*Scyrium falsa iuuenem camœna*
*Lusit Apollo.*
*Lesbio nusquam minitante signo,*
*Ense demessum repuli Gelono.*
*Ille mitratum caput alluendum*
*Fluctibus Istri,*
*Alter obscuras Acherontis vndas,*
*(Sic reposcentem monuere fata)*
*Dum fugit, fusis Acheron fugacem*
*Occupat vndis.*
*Irritum, quicquid mihi non probatum*
*Consili, cœptis datur ominandis.*
*Cæca progressu male inaugurato*
*Vota feruntur.*
*Errat, & cæco ruit ore virtus,*
*Ni regam gressus oculata custos.*
*Ire præ semper soleo carentem*
*Luce sororem.*
*Illa seu noto subitura cælo,*
*Arte, seu bello domitura sæua,*
*Regna fortunæ, mihi se labores*
*Iungit in omnes.*

Me

*Me iubet terras habitare Numen*
*Auspicem veri, dubij sequestram,*
*Obsidem certi, neq. dum micantis*
*Phosphoron æqui.*
*Nulla me rerum facies latenti*
*Fraude præuertit, fugitiua fati*
*Terga iam lapsi, simul & futuri*
*Ora videntem.*
*Nempe sum bifrons, & vtrinque binæ*
*Luminum flammæ. mala si qua prorsum,*
*Si qua retrorsum, licet orta longè,*
*Nulla latebunt.*
*Nesciunt tergum geminata frontem*
*Ora. stat neutro iaculanda fato,*
*Semper obtutu vigil, auspicandi*
*Dia potestas.*
*Ni tuos nescis, Aquauiue, mores,*
*Numen hoc frontis, tua sola mentis*
*Forma sortitur: mihi sola compar*
*Viuit imago.*



## Reditus è Vesuuiano post Autumnales ferias.

### ODE V.

*ADsumus Phœbi generosa pubes*
*Nuper ad læti genium Vesæui*
*Missa venatum peregrina fessis*
*Otia Musis.*
*Diue Phœbeas operose mentes*
*Lesbio pulsas agitare thyrso,*
*Dulce ludentes moderate vates,*
*Dulce furentes,*
*Nosce depostæ memores Camœnæ:*
*Nosce Gryneam reduces ad vmbram.*
*En agit quantus furor appetentem*
*Aona turbam.*
*Pande Cyrrhæos adyti recessus:*
*Pande secretos Heliconis amnes,*
*Et propinato noua fontis haustu*
*Pocula profer.*
*Iam diu nullis operata plectris*
*Dextra socordem refugit veternum,*
*Et Philetæum sitibunda rorem*
*Ora salutant.*

Nec

*Nec laborandi studium remisso*
*Impetu cessit, nec amica somno*
*Languit virtus, titubare cæco*
*Nescia cursu.*
*Sola sacrarum iacuit sororum*
*Cura, syluestres nihil ausa ludos*
*Insequi cantu, siluitq. curas*
*Inter agrestes.*
*Omnis Autumno labor, omne cessit*
*Ingeni robur. viden', vt virenti*
*Liquimus* Baccho *populata vasti*
*Regna* Dicarchi.
*Liquimus colles, & amœna ruris*
*Culta decussis viduatá pomis,*
*Et mala furti lue feriatos*
*Liquimus agros.*
*Quicquid annonæ famulata pingui*
*Fuderat, quicquid famulata naue*
*Terra cultori, fuit vna agresti*
*Præda furori.*
*Quale montanos simul hausit imbres,*
*Altius Nereo tumet æstuoso*
*Amnis eiectans per aperta fluctus*
*Arua sonantes.*

*Tale bacchatus per opima lautæ*
*Regna Pomonæ, facili ruina*
*Vinitor strauit grauido feraces*
*Vbere campos.*
*Siue natiuum lacrymosa nectar*
*Ficus obstipo male firma collo*
*Funderet, sceptro facilis bicorni*
*Præda, vel vnco.*
*Siue baccata Bromium corona*
*Fronde materna retegi timentem*
*Dulce pallentes premerent racemi,*
*Dulce nitentes.*
*Siue fœcundam genialis horti*
*Aream diues cumularet æstas*
*Arborum fœtu, variisq. læti*
*Frugibus anni.*
*Quotquot intonsos numeras per agros*
*Arborum tonsos, fruticumq. ramos;*
*Cernis agrestis totidem trophæa*
*Nuncia prædæ.*
*Cura syluestres fuit vna gazas,*
*Vna, campanos populare tractus,*
*Vna, pomorum dare vasta totis*
*Funere campis.*

Re-

# Recens Nato Deo

## Anapæsticum.


## VI.

O *Quæ superas turba per auras*
*Festo personat agmine Cælum,*
*Circumq. choro leuis aligero*
*Pictis nubila verberat alis!*
*Quem tale nitens comitata ducem!*
*Quem tale fremens venerata diem!*
*Numinis hic est venator Amor,*
*Superûm Regem prædatur Amor.*
*Septum tenet indagine Cælum.*
*Cinctum cassibus obsidet Orbem,*
*Obsidet armis. Fuge Nate Deo.*
*Fuge: te Prædo pharetratus agit*
*Auspice flamma, facibusq. tuis.*
*Caue: te patrio rapit amplexu:*
*Te syderea turbat ab aula.*
*O, quid teneros induis artus?*
*Te virgineo rapit ille sinu:*
*Te materna per oscula captat.*
*Ipsa laqueolis vbera cinxit.*
*Ah præda tuis debita flammis!*

*Hiccine solo ludis in antro;*
*Cæcas abdite noctis in vmbras;*
*Dulces indite matris in vlnas,*
*Matris ocellos furate tuis?*
*O corda virûm populate Puer,*
*Puer ò dulces iaculate faces,*
*Hiccine viles inter aristas*
*Hæccine vultu gaudia vibras?*
*Siccine flagras? fuge: te vidit.*
*Fuge: te premit hic armiger Ales.*
*Caue: te ferit. ò, ò, te cepit*
*Iaculo, laqueo, cuspide, flamma.*
*Ah rotat ictum: ah feruidus alto*
*Petit ense cor. huc, huc ò Superi,*
*Huc animosa properate manu:*
*Soluite vestro vincula Regi:*
*Arcete Deo fata gementi:*
*Probibete Deo funera capto;*
*Quem victor Amor strauit inermem,*
*Licet ætheria sede tonantem,*
*Licet imperijs astra mouentem.*
*Illum solio traxit ab alto;*
*Traxit ab alta diadema coma.*
*Premit excussam fulmine dextram;*

Sceptrumq.

*Sceptrumq. manu populatus habet.*
*Iam regnat, io. quis, io, regnat?*
*Venator Amor, bellator Amor,*
*Prædator Amor. Pupe Deûm Rex,*
*Si non es Amor; non regnat Amor.*
*Si non Amor es; non Amor armat,*
*Non Amor ardet, si non es Amor.*



# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV DIALOGVS *DE VITIIS SENECTVTIS.*



## Prologus.



*Alue virorum cœtus ornatiſſime.*
*Saluete cũcti, qui explicandã fabulã,*
*Quæcunq. ſit dicẽda, vos præſentia*
*Ornare voltis. cuncta, q̃ dicẽda sũt,*
*Audite. Nõ iucũda, verũ potius hæc*
*Amara ſunt cenſenda, nec non dulcia.*
*Amara nequam, ſed probis, credo, & bonis*
*Iucunda multùm, & multùm erunt ſuauia ſimul.*
*Agetur ergo de virorum moribus,*
*Qui cùm ſenes ſint, & mores gerant graues,*
*Dici viri, non dicier ſenes amant.*
*Ipſi viros dicant: ſenes nos potius hos*
*Vocare par eſt, cùm viri ſint, & ſenes.*

*At*

*At ludicra audietis, vt dicam prius,*
*Vt nemo veſtrûm conqueratur poſtea.*
*Nam digna veſtris eruditis auribus,*
*Non eſſe cenſeo, quæ loqui nos pergimus.*
*Studete tantùm; cùm bona in ſcenam feram.*
*Nam bona bonis ferri decet quàm maxume;*
*Vt mala malis. & qui mali capiant mala,*
*Bona qui boni. Mox audietis fabulam.*
*Aures parate. nemo ſit, qui dormiat,*
*Aut ſtertat. Heus tu, qui angulo adnixus ſedes,*
*Nimis ſopore ſuauiter preſſus iaces,*
*Et cœpta nondum fabula eſt. ſomno auſpice,*
*Autore ſomno res agetur? optume.*
*Bonum labori præmium noſtro datis.*
*Adhuc ſupino ſtertit ore, & gutture*
*Muſcas aperto captat. ò pigrum caput.*
*Hinc, inde ceruix pendet, vt cucurbita*
*Suſpenſa reſte ad ludicri flatum Noti.*
*At qui propinquus aſſidet, fodiat latus,*
*Aut pileum decutiat iſto vertice.*
*Aurem, capillum vellat, atq. vellicet:*
*Aut offulam chartaceam indat gutturi,*
*Dum lentus halat faucibus laſſis ſopor.*
*Vnum monebo. Noſtis aures belluæ,*

*Illius, inquam, belluæ auriculariæ?*
*Hæc fabula aures longiores postulat.*

# Dialogi interlocutores.

*ORGHIPHILVS.*
*PHILOXENVS.*
*MYTHOPHILVS.*
*DIMANDER.*
*THESPIAS* famulus.
*CATO.*

OR. *Quid istic tam solicitus agis Philoxene?*
PH. *Oh, oh; saluus sis mi Orghiphile. vnde huc aduenis?*
ORG. *Vnde otiosi, & desides.* PHI. *Vnde?* OR. *Ex foro.*
PHI. *Id est, ex aleis, vt mos tuus.* ORG. *Apage*
*Quid istuc est conuici, quid facis mihi?*
*Nihil ne te veretur horum, qui audiunt?*
PHI. *Ignosce. tam ne pupugi te acriter? velim*
*Periisse, si quod excidit verbum mihi,*
*Quod adeo te momorderit. nihil tamen*
*Dixiße me præter morem arbitror meum,*
*Qui ludum appellare soleo delicias tuas.*
*Non ne hoc audisti hoc ipso ex ore millies*

*Et*

*Et amice, & iracunde, & serio, & ioco,*
*In circulo, in conuiuio, palam in foro?*
*Nec vnquam irasci, vt hodie, visus es mihi.*
ORG. *Me bellè irrides. ad rem. Quid igitur noui*
*Paratur hîc hodie? quorsum istæc scenula,*
*Quam texuistis in his angustijs domus,*
*Veluti reticulum araneolæ in foramine?*
PHI. *Lepide; tu nos lusurus ex ludo venis.*
ORG. *Iam putidum est exprobrare tam sæpe hoc mihi.*
*Iterum rogo. Quid hodie hic igitur noui?* PH. *nihil.*
ORG. *Nihil prorsus?* PHI. *non prorsus, at nihil noui*
*Id enim rogas. sunt vetera, & barbata omnia,*
*Quæ mox agemus.* ORG. *At quid istuc vult sibi,*
*Quod dicis? Vetera sunt, & barbata omnia.*
*An vis certemus, vter hodie importunius*
*Interroget, & respondeat?* PHI. *Nolo; explico.*
*Vetera sunt omnia, quia nihil agitur noui.*
*Barbata, quia de barba fabulam damus.*
ORG. *Quam verò barbam nominas? an stupeam,*
*Vt vulgo dicunt?* PHI. *Non. tu totus es iocus.*
ORG. *Tu me irritas.* PHI. *de barba fabulam damus,*
*Vel de barbatis. alij de senibus volunt*
*Fabellam hanc nominarier. ego à ceteris*
*Dissentio, & hanc ne fabulam quidem voco.*

*Non nulli fabulam.* MYT.*Ita est. ego fabulam voco.*
*Salue mi Orgbiphile. fabulam volo: fabulam hanc*
*Appello, & hanc tu primus dixti fabulam.*
PHI.*Ego fabulam?* MYT.*Tu fabulam, & barbatulam*
*Hanc modò vocasti fabulam.* Orgbiphilum *roga.*
ORG.*Ita est Philoxene. dictis vt constes tuis,*
*Idem confirma quæso.* PHI.*Sed me interpretor.*
*Est fabula hæc, id est confabulatio,*
*Vel quædam familiaris collocutio.*
MYT.*Egregie. sic sermones inuertis tuos?*
*Orgbiphile, nonne hic fabulam refert lupi?*
*Lupus olim in rixa (audisti opinor sæpius)*
*Dum callidam conuicio vulpem petit,*
*Sile, inquit, bellua. at illa, Me ne belluam*
*Appellas? hic lupus, Dixi, inquit, belluam,*
*Id est, bellam. illa ridens egit gratias.*
*Hæc fabula est Philoxeni, quam dat hodie.*
*Ex fabula iam facta est fabulatio,*
*Vt facta bella vulpes est ex bellua*
*Auctore lupo. videris esse argutulus.*
*Exorsus es iam fabulam, Philoxene,*
*A fabula dum refugis, & probe agis lupum.*
PHI.*Quid si te belluam dixero, vt imiter lupum?*
ORG.*Delapsa res à fabula ad conuicium est.*

*Si*

*Si vultis,vt hăc rē dirimā.PH.Volo equidē.M.volo.*
*ORG.Mythophile, tu te comparasti ad fabulam*
*Hodie peragendā, vt video.MY.Ego verò ad fabu-*
*ORG.Tu verò non fabellam acturus huc venis, (lam?*
*Sed vt confabulere familiariter*
*Nescio quæ de senibus, vt aiebas modò.*
*PHI.Ita verò. ORG.Igitur dirempta est controuersia.*
*Tu, quam parasti vt ageres, perage fabulam.*
*Tu fabulere familiariter, vt optas, licet.*
*Vterque gratis audietur auribus,*
*Modò vterque partes agat, vt conuenit, suas.*
*Æquum ne est ius, quod vobis dico? PH.æquissimū.*
*MYT.Verùm iungemus agnos tygribus, oues lupis,*
*Quid fabulæ commune est cum sermonibus,*
*Quos agitant familiares in congressibus?*
*Cedo, cum re peracta me referam domum,*
*Si me aliquis ex his, qui nos audiunt, roget,*
*Quid hîc peractum sit hodie, num fabula,*
*Comœdia ne, an tragœdia, an aliud drama,*
*Quid inter has dicendum angustias mihi?*
*Si nos dedisse fabulam respondero,*
*Mendacium est. nam vos non fabulam datis,*
*Vt dicitis. si collocutos dixero*
*Nos esse quædam, nec fuisse fabulam;*

Hoc itidem est mentiri, quoniam ego ago fabulam.
ORG. Fortasse nemo te rogabit. MYT. At mihi
Qui constet hoc? non est prudentis dicere,
Fortasse non hoc accidet, nam si accidet?
PHI. Confice Mythophile. saltem hos, qui audiũt, roga.
MYT. Quidnã rogem? PH. an ipsi nos libenter audiãt,
Si mixtum proferamus, & nouum acroama,
Quod neque sit fabula, neque fabulatio
Familiaris, vtramq. tamen contineat simul?
Interroga. MYT. monstrosa res est. PHI. ceterum
Fortasse non ingrata. ORG. quicquid est nouum,
Etiam si monstrum sit, animum & oculos capit.
MYT. Rogabo, quando ita vis. sed vtrum singulos,
An vniuersos? hoc da consilium mihi.
PHI. Non vniuersos. MY. singulos? PH. non singulos.
MYT. Quid ergo? PHI. roga, vt in hoc oẽs cõsentiant.
MYT. In quo? PHI. pro cunctis vnus vt respondeat,
Quemcunq. tu rogaueris, quicquid voles.
MYT. Equidem rogabo. Cœtus ornatissime,
Viriq. nobilissimi, quiddam velim
A vobis percontari; verum à singulis,
Vel ab vniuersis hoc scitari me pudet.
An hanc mihi datis veniam, quam supplex peto,
Vt vnum è tota concione deligam,

Quam

*Quem interrogem id, quod vos rogare peruelim?*
*Sed ille quod responderit, vobis ratum*
*Oportet esse: nam aliter proficimus nihil.*
*Nunc vobis hoc libentibus faciam? silent.*
*ORG. Affirmant igitur. MYT. certe. nam quisquis tacet*
*Rogatus, affirmare volgo dicitur.*
*PHI. Elige iam (quando concessa tibi est optio)*
*Quem interrogare malis ex his omnibus.*
*MYT. Sine prius dispiciam, quis mihi amicissimus*
*Sit omnium? vt det tale responsum mihi,*
*Quod maxime in sententiam meam cadat.*
*Videbar illic nescio quem cernere,*
*Sed non est ille, quem quærito amicum meum.*
*At ille quis est? heus tu, tantisper obsecro*
*Accede, prodi in medium. num placet hoc tibi?*
*Si mixtum proferamus, & nouum acroama,*
*Quod nec sit familiaris fabulatio,*
*Nec fabula, sed vtramq. contineat simul?*
*In annuit. ORG. dormitat. MYT. non. sed annuit*
*Apertis oculis, & bene audit, quid rogem.*
*Sit vestra fabulatio; mea est fabula.*
*Et partes equidem strenue peragam meas;*
*Vos vestras agite, vt cuiq. vestrûm conuenit.*
*Sed eo, vt me comparem. redibo mox foras.*

PHI. Mone Dimādrum, vt prodeat. DI. adsum. prodeo
Dinander. PH. at quin citius? DIM. Incidit mihi
Modò in animum quidam, qui me angit, scrupulus:
Et, dum foras me confero, reuocat pedem,
Nec liberè prodire conantem sinit.
Sic pectori se penitus obtrusit meo.
PHI. Quinam istic est, qui mentem inuertit, scrupulus?
Non tu es Dimander ille, qui fueras modò,
Cùm te reliqui gestientem audacia,
Et dictitantem, hic hodie neminem fore,
Qui te clamore superet? non idem es, reor,
Dimander ille. DIM. Idem ille sum, tamen animus
Iam promptus ille, & alacer excidit mihi.
PHI. Cur? DI. Video quantū immineat nobis dedecus
Ex hoc incœpto, quod hodie capessimus.
Scis, quanta sit turbatio dedecoris metus.
PHI. Quis nescit hoc? interitus est audaciæ
Metus dedecoris. verùm vnde hic metus tibi?
DIM. Prorsus videtur esse vanus hic labor,
Et irritus. nos id consilij homunculos
Tantum conari, quantum ne Hippocrates quidem;
Vt quæ senectus afferat secum mala,
Quæ sunt innumera, desperata, maxima,
Et insita penitus intimis præcordijs,

Leuare

*Leuare nos velimus, atque euellere?*
*Non est huiusce ætatulæ tantum aggredi*
*Facinus, & hoc reputare oportuit prius,*
*Quàm res incœpta, & factum iam in manibus foret.*
PHI. *Deliberatum hoc nobis est satis diu*
*Dimander, & si constare volueris tibi,*
*Scies id ipsum, quod nunc obijcis mihi,*
*Discussum inter nos esse iam pridem, & bene*
*Agitatum esse id consilium, quod iam cepimus.*
*An credis hoc nos aggredi, vt quæ corporis*
*Mala macerant miseros, & excruciant senes,*
*Pituita, tussis, dentium labefactio,*
*Podagra, vel chiragra, vel artuum tremor.*
*Exundans rauci gutturis excreatio,*
*Humerorum arcuata curuitas, & hispida*
*Canities, aut horrentis asperitas cutis,*
*Aut lentitudo, aut cæcitas, aut surditas,*
*Aut sensuum stupiditas; hæc, inquam, mala*
*Nos velle credis aut leuare, aut pellere?*
DIM. *At quæ, si non hæc? nullum est in senibus malũ,*
*Quod hisce, quæ tu narras, mitius putem,*
*Aut sanabilius. quod si hæc, quæ facillime*
*Præ ceteris senectæ curantur malis,*
*Sanare tamen diffidimus; qui cetera,*

*Quæ longè sunt grauiora curemus mala?*
PHI. *At quæ grauiora cernis in senibus mala,*
*Quàm quæ vitam prosternunt, sensus obruunt,*
*Viresq. frangunt, florem ætatis proterunt,*
*Fastidium viuendi, & tædium creant,*
*Hominemq. terræ inutile faciunt onus?*
DIM. *Leuissima istæc arbitror præ ceteris*
*Incommodis, quæ miserè conficiunt senes.*
*Quid? illa quantò sunt maiora? ira impotens,*
*Tenax cupido lucri, fœnereratio,*
*Artes fallendi, promptus ad quæstum dolus,*
*Amor vitæ insatiabilis, mortis metus*
*Nimis sollicitus, insolens iactatio*
*Ante actæ vitæ, ementiens confessio*
*Annorum, quos exegerint, vel munerum*
*Quæ quondam obierint, vana gloriatio,*
*Contentio, morositas, amentia,*
*Loquacitas clamosa, querula, pertinax,*
*Cedendi difficultas, obstinatio*
*Ad litigandum, ad obsequendum tarditas;*
*Ingrata suspiciosa, tristis, aspera*
*Seueritas, fastidium rerum omnium,*
*Mos obtrectandi, ferreus mentis rigor*
*Ad pœnitendum, inolita menti prauitas,*
*Senten-*

*Sententiæ tenacitas, odium rei*
*Alienæ, & nimium peruicax amor suæ,*
*Libertas increpandi, illiberalitas,*
*Illa insolens asperitas ad iuuenum preces*
*Exaudiendas, indulgendi duritas,*
*Simulatio pietatis, imperium ferox*
*In iuuenes. Hæc sunt, quæ miseros torquent senes*
*Mala, nec leuari remedijs vllis queunt.*
*Iam confer illa, tussim, podagram, chiragram,*
*Defectionem virium, vel sensuum,*
*Et cetera huiuscemodi, quæ ipsa sunt quidem*
*Molesta; quippe corpus, & vitam opprimunt.*
*Sed illa si respexeris, quid hæc erunt?*
PHI.*Immo hæc si bene respexeris, quid illa erunt?*
*Licet enim sint grauissima, curantur tamen,*
*Et si difficile, certè aliquando sanitas*
*Redibit, si remedium præsens applices.*
*An nescis hoc distare morbos corporis*
*Ab animi? quod si grauius est animi malum;*
*Tamen sanatur sero, si minus cito.*
*Nec vllus animi morbus est, quin efficax*
*Salutis ars quærendæ se statim offerat,*
*Ni spreta reijciatur, vt sæpe accidit.*
*Quæ verò sunt inflicta corporibus mala,*

*Licet nonnulla, quæ minus habent virium,*
*Cedant remediis, vt aliquod febrium genus,*
*Vt tormines, vt pustulæ, vt capitis dolor:*
*Tamen illa, quæ senectus infligit mala,*
*Omnem curandi respuunt industriam,*
*Nec victa cedunt, nec remissa leniunt*
*Vim sæuiendi. semper in peius ruit*
*Vita illa, quam senectus oppressit semel.*
*Nam quæ medicina aciem oculorum perditam,*
*Aut vires iam pessundatas, aut sensuum*
*Vigorem obtritum, aut firmitudinem pedum,*
*Aut rectitudinem humerorum, aut capitis decus,*
*Aut excussos iam dentes restituat seni?*
*Non vllus tantum Apollo, aut Æsculapius*
*Medendo possit assequi. sed atrocitas,*
*Et astus, & dementia, & nimium tenax*
*Cupido lucri, aut vitæ, aut impotens furor,*
*Et præterea quæcumq. animum afficiunt mala,*
*Non illico periculum tantum afferunt,*
*Vt non repelli, mitigari, comprimi*
*Ratione possint aliqua; ni studium tamen*
*Curandi desit: DIM. Hæc est desperatio*
*Salutis, quod curandi cura spernitur*
*A senibus, qui curare chiragram volunt,*

*Sed*

*Sed esse morbum edacitatem non putant,*
*Nec iram, vel furorem, vel ferociam*
*Esse animi febres credunt, quæ mentem enecant.*
*Et peius illud est, quod nos pueros volunt*
*Puniri grauiter ferula, fuste, verbere,*
*Si quid peccemus. si quid arrogantius*
*Factum, dictumue à nobis audiunt; malè*
*Nobiscum est actum. Pædagogi verbera,*
*Parentes alapas incutiunt: auus minas*
*Ingeminat ad focum assidens, baculum iacit*
*Iratus, aut torrem igneum: omnes clamitant,*
*Obiurgant, conqueruntur, sæuiunt, fremunt.*
*Omnes sunt nostris vindices, satellites,*
*Carnifices. nec satis id ad supplicium putant.*
*Mittuntur, ad magistrum qui rem deferant,*
*Nos esse audaces, immodestos, improbos,*
*Mendaces, arrogantes, omnibus graues*
*Domesticis. turbari à nobis omnia;*
*Deniq. non esse nos tolerabiles domi.*
*Quid verò causæ? quoniam lusimus trocho,*
*Vel in atrio alacriuscule garriuimus.*
*Nemo est, qui misereatur nostræ ætatulæ.*
*At senibus omnia licent. ipsi insaniunt*
*Impunè: furijs cælum, terras, omnia*

*Impunè miſcent. aleis totos dies*
*Indulgent. ſtudium quodnam celebrant? otium.*
*Luſorias pagellas pro libris habent.*
*Scientia, quam perdiſcunt, fœneratio eſt.*
*At vita quæ? quid agitur noctes, & dies?*
*Dormitur, vel diſcumbitur, vel luditur.*
*A menſa ad lectum, à lecto ad ſellam, & ad focum.*
*Reditur inde ad menſam, cùm venter monet.*
*Hoc eſt curriculum vitæ, quod peragunt ſenes.*
*Nobiſcum colaphis, flagris, fuſtibus, minis,*
*Verberibus agitur, ſi quis tantulum mali*
*Commiſerit. ad ferulam, & ad fuſtem naſcimur.*
*Senibus peccandi nullus eſt vſquam modus:*
*Nec flagra ſunt, nec verbera, quæ coërceant,*
*Quæ corrigant peccantes & plectant ſenes.*
PHI. *Senectus ipſa vulnus eſt grauiſſimum,*
*Dimander: ipſa eſt flagrum, fuſtis, vltio,*
*Supplicium. malim baculo terreri ab ſene*
*Irato, modò mihi ad fugam valeant pedes,*
*Quàm greſſum ſenio lãguidum, & tremulum pedem*
*Illo fulcire baculo, qui fulcit ſenes.*
*Et præſtat ictu ferulæ puerilem manum*
*Ardere, quàm ſenilem ardere chiragra.*
*Saltem ego mihi hoc ſatius puto.* DI. *Ego etiam mihi.*

PHI.

PHI. Quid ergo iam nos nostri pœniteat status?
Insaniant, exclament, garriant senes.
Nil est impune miseris, nam senium premit
Assiduè vitam, & innumeris cumulat malis.
Quin longè nobis maior est impunitas.
Aut quantulacunq. impunitas nobis datur,
Quãquam amplior est illa senum, hæc dulcior tamen.
DIM. Cur dulcior? PHI. quia est furtiua. nam dolus
Licentiam mirum in modum dulcem facit.
Semper furamur aliquid ad ludum otij,
Et libertatis. nam nulla est iucundior
Voluptas, quàm quæ maximè interdicitur.
Parentes, & magistrum sæpe fallimus.
Simulamus, effugimus, euadimus domo
Ad socios, ad spectacula, ad lusum, ad forum.
Quod venia nulla possumus, id agimus dolo.
Quo quid iucundius? id iucundum est maximè
Adeptum, quod potissimum nobis vetat
Magister, aut parentes. hoc prouerbium est,
Nil dulcius, quàm id, quod genio furtim datur.
At senibus illa, quam licentiam putas,
Non tam licentia, quàm solatium est mali.
Et mecum id ipsum sentiet Orghiphilus puto.
ORG. Etiam. quis aliter sentiat, si quid sapis?

*Voluptatem interdictio dulcem facit.*
*Sic est libido. semper in vetitum ruit.*
*Sed quiddã est hic, quod dubitẽ. num grauius malum*
*Habenda sit senectus, quàm pueritia.*
PHI. *Quid inest mali in pueritia?* OR. *quid inest boni?*
PHI. *Quid? quod inesse senectuti neutiquam potest.*
ORG. *nimirum?* PH. *vis vt narrẽ?* OR. *etiã, atq. ẽt volo,*
*Et obsecro.* PHI. *Narrabo. Si nequam senem*
*Inuenias, & planè omnium nequissimum;*
*Sperabis illum facilè posse corrigi?*
ORG. *Sperabo posse; at posse difficillimè.*
*Idem est emendare senem, qui sit pessimus,*
*Et ægrum tum curare, cum sit mortuus;*
*Vel non longè diuersum.* PHI. *Quòd si pessimis*
*Puerum reperias inquinatum moribus;*
*Num desperabis illum posse corrigi?*
ORG. *Nequaquam, sed facillime, vt baculus tener*
*E prauo rectus fiet; sic prauus puer*
*Industria, & consilio corrigi potest.*
PHI. *Spes igitur resipiscendi, quæ magnum est bonum*
*In his, qui vel desipiunt, vel sapiunt parum,*
*Inest in pueris, etiam quamimprobissimis.*
OR. *Inest.* PH. *nõ aũt in senibus.* OR. *nõ.* PH. *igitur boni*
*Aliquid inest in pueris, quod senibus deest.*
ORG.

ORG. Id ipsum prope iam sentio. PHI. quid ni sentias?
Nam pessimis in senibus quid boni est? nihil.
At pessimis in pueris est aliquid boni.
ORG. Et optimis in pueris est aliquid mali.
PHI. Quid esse in pueris optimis putas mali?
ORG. Quid esse in pueris pessimis putas boni?
PHI. Quid? facilitatem redeundi ad frugem bonam.
Nam, vt cera quasuis facilè formas concipit,
Sic ad virtutem mollis est infantia,
Et deprauata resipiscere statim solet.
ORG. Et optimis in pueris tantundem est mali.
PH. Quidnam? OR. facilitas redeundi ad frugem malã;
Nam mollior est ad prauitatem infantia,
Quàm ad probitatem. & facilius ex probo improbus
Fieri solet, quàm ex improbo probus puer.
PHI. Esto. quid tum obsecro? ORG. non plus igitur boni
Est improbis in pueris, quàm in probis mali.
PHI. Tamen quantumuis insit in pueris mali,
Inest sine dubio in senibus maius duplo.
ORG. Deus meliora. quæ te tantum prouehit
Temeritas? nilne linguæ temperas tuæ?
PH. Quid est? nũ sacrilegus sum, aut anathematis reus?
ORG. Accedis eò. quid tandem est, cur existimes,
Plus esse duplo in senibus, quàm in pueris mali?

PHI.In senibus, nimirum improbis, plus est mali,
Quàm pessimis in pueris. Desperatio
Correctionis non ne vitium est omnium
Grauissimum? OR. sine dubio. PH. at hoc vitiũ vides
In senibus esse, non in pueris improbis.
Hoc illud est, quod paululo ante diximus.
OR. Hoc tu aiebas? PH. Hoc. OR. sine dubio maius du-
Et longè duplo maius est vitium senis (plo,
Nequissimi, quàm pueri quamnequissimi.
PHI. Igitur hoc puerum aduertere oportet maximè;
Vt, si quod vnquam fortè vitium contrahat;
Id ne patiatur secum consenescere.
ORG. Immo ne adolescere quidẽ. PH. hoc rectius foret.
Quid enim tam miserum, aut quid tam lacrymàbile,
Quàm perditæ salutis desperatio,
Quæ pœnitendi semper consequitur moram?
Nil vltra iacturam animæ est, quod perdi queat.
Proinde præcauenda sunt maturrimè
Quæcunq. mala animæ periculum creant.
ORG. Ita verò: sed me accendis, vt vlterius rogem:
At nolo vos interpellare. iam diu
Desistere me oportebat. DIM. Immo interroges
Per me licebit, vsque dum libet tibi.
PHI. Per me itidem liceat, vltra quàm libet tibi.
Etiam

*Etiam si sermonem importunè distrahas,*
*Tu ne horæ spatium, & dimidiatæ præteri,*
*Ne tædeat hos hîc stare, qui nos audiunt.*
DIM.*Sed vereor iam Philoxene, ne plus temporis*
*Elapsum sit, quàm cogitas.* PHI. *Quantum putas*
*Elapsum? an horam?* DI.*an horam? forsan amplius.*
PHI.*Nequaquã. quid ais? heus Thespia. ades paululũ.*
*Vbi es nequam?* TH.*audio. quid me vis? loquere. im-*
PHI.*Tãne procul? istũ te abdidisti in angulum?* (*pera.*
THE.*Expecto iam, quid imperes.* PHI.*quid imperem?*
*Habes clepsydrã?* TH.*habeo.* PH.*attendistin sedulò,*
*Quàm simus hîc diu morati?* THE. *Sedulò.*
PHI.*Quantum abijt temporis?* TH.*horæ dimidiũ ferè.*
PHI.*Audin? putabas horam abijsse, & eo amplius.*
DIM.*Putabam verò.* PHI.*Credo, sed fastidium,*
*Et tum loquendi, tùm audiendi tædium*
*Horas tibi longiores, & graues facit.*
*Et (vt scis) horologium est fallacissimum*
*Satietas, quæ horam sic metitur, vt diem.*
DIM.*Si me iam fastidire sermonem putas,*
*Quid faciant, qui nos audiunt?* PHI. *Illi sedent,*
*Nos verò stamus. quin etiam illi cùm volunt,*
*Si somnum apportet audiendi tædium,*
*Facilè acclinare possunt ad sellam caput,*

*Aut ad latus assidentis, & obdormiscere.*
*Quod non perinde nobis, dum loquitur, licet.*
DIM. *Quid obdormiscant nobis inclamantibus?*
*Sopitis nonne sermo noster obstrepet?*
PHI. *Quid obstrepant hæ voculæ tam debiles.*
*Puellulorum? plena dormientium*
*In templo sunt scabella, cùm habetur concio.*
*Et ille de suggestu cælum verberat*
*Clamore, palma pulpitum: voces iacit*
*Horrendas; vlulat, sæuit, infrendet, tonat,*
*Validos vtraq. plausus ingeminat manu.*
*At ille vetulus interim lenissimè*
*Sopitus, annuit omnia, nihil audiens.*
*Nempe acclinatum molliter ad sellam caput*
*Subiecto fulcit cubito, & ægre sustinet.*
*Dormitat, stertit, nutat hac, illac labat.*
*Nec illum clamor concionis excitat,*
*Nec plausus audientium, nec murmura*
*Frementis templi, & vndiq. dum populus fremit;*
*Magis magisq. capiti obtruditur sopor.*
*Iam crede nostras posse tantum voculas,*
*Vt excitent sopitos. immo sopiunt*
*Vigilantes, vt labentis vnda riuuli.*
DIM. *Ad rem quæso: nam nos non expectat dies.*
*Matu-*

*Maturum est iam Orgbiphile, vt quod dixeras modò,*
*Habere te, quod quæreres, tandem roges.*
PHI. *Quàm parcus oti.* DIM. *tu verò quàm prodigus.*
PHI. *Iam plusculum, quàm tu putabas, temporis*
*Restat adhuc.* DIM. *restet, superesse magis conuenit*
*Tempus sermoni, quàm sermonem tempori.*
PHI. *Vt vis. scitare porrò, quæ te dixeras*
*Scitari velle Orgbiphile.* ORG. *Obediam. licet*
*Silere iam decreuerim. at si plusculum*
*Eripiam vobis spatij, quæso ignoscite.*
*Loquacitas discenti sæpe conuenit,*
*Præsertim cum, quæ nescit, auidius rogat.*
PHI. *Dic sodes. ista præteri.* ORG. *Innumeras quidem*
*Senectæ protulistis ægritudines,*
*Quæ præcauendæ sunt pueris; vt, cùm senes*
*Euaserint; quietè vitam prorogent*
*Nullis afflictam morbis.* PHI. *hoc iam diximus*
*Huc vsq.* ORG. *Sed hoc scire aueo. Quæ potissima*
*Sint mala, quæ senibus vitam ita faciunt grauem?*
*Vt illa præcauere, cùm licet, sciam.*
PHI. *Mox audies. tu verò scin illud prius,*
*Quod nemo, credo, nesciat?* ORG. *Quidnam sciam?*
PHI. *Senectutem esse molem quamgrauissimam,*
*Quæ corpus, & animum innumeris malis premat.*

ORG. Scio, & hoc à vobis didici, quamdudum hîc fui.
Et hoc testantur humeri curuati senum,
Senectutis onere labantem ætatem opprimi.
PHI. Probè. & ille baculus, quo se fulciunt senes,
Idem testatur. ORG. Quid? egere videlicet senes
Adminiculo, ne eos onerosa deprimat
Senectus, vt prægrandis asellum sarcina?
PHI. Ita sanè. ORG. sed negat hoc Herilus auus meus,
Qui senium esse bonis omnibus plenum, docet
Argumento bacilli, quem gerunt senes.
Vultis, ait, intelligere mei puelluli,
Quantis bonis referta, quantis fructibus
Onusta sit senectus? hunc baculum, hanc manum,
Quæ tremula tremulum hac furcula gressum regit,
Aspicite. nam veluti arborem pomis grauem
Subiecta fulcra sustinent, ne fœtuum
Collapsa nimio pondere ad terram ruat:
Sic est senectus fulcienda, cùm suis
Onerata fœtibus labat, & fulcrum petit.
PHI. Tu verò quid ad hæc? num quid ridiculũ, vt soles?
ORG. Mi aue, inquam, si senectus idcirco indiget
Bacillo; multis quòd fœcunda fructibus
Fulciri debet; ergo fructuosior,
Quàm senium, est illa nostri ficus hortuli.
Nam

*Nam grandiore sustinetur surcula.*
PH. Perlepidè. sed qd ad hæc Herilus? OR. ridet senex.
PH. Credo; est enim hilarulus. OR. & inter pueros puer,
*Et in iuuenum congressibus prope iuuenis.*
*Sic omnibus obsecundat, & morem gerit,*
*At salua autoritate, quæ deceat senem.*
*Veruntamen, quoquo se res habeat modo,*
*Et quicquid ipsi de se venditent senes,*
*Certè senectus, vt ais, est onus graue.*
*Sed quæ illam maxime opprimant incommoda,*
*Hoc iterum, aut etiam tertio iam interrogo.*
PHI. Dicemus. opportunè interuenit Cato.
CA. Saluete. PHI. Felix adsis. DIM. Felicißimus
*Mi Cato. quo tandem fato nobis accidit,*
*Vt hodie te videamus, cum vel maximè*
*Sermonem, & consilium requirimus tuum?*
PHI. Video te hilarulum. quid tandem apportas noui?
CA. Me ipsum. PHI. tu verò semper es nobis nouus,
*Tam raro te videmus. CA. Thespias tuus*
*Monuit me non multo ante, cùm exirem domo,*
*Vt hic adessem; nescio quid colloqui*
*Te velle mecum. PHI. Velle me tecum loqui?*
*Non rectè monuit. CA. Ain tu tandem hoc serio?*
PH. Aio equidẽ Cato. CA. Miror. me ne ergo Thespias

*Eluserit? PHI. Te Thespias eluserit.*

*ORG. Catonem eludat Thespias? DIM. Illum magis*
*Deludi conueniret, si quis crederet*
*Catonis esse delusorem Thespiam.*
*Quin ille te fortasse accersiit, ratus*
*Id hero suo Philoxeno gratum fore.*

*PHI. Ita verò, & sane laudo factum Thespiæ*
*Qui te vocauit, quamuis iniussu meo.*

*ORG. Quid Thespia opus est amplius? nonne hoc satis*
*Venisse te iam nobis optatissimum?*

*CA. Lætor, me non redire pudefactum hinc domum.*
*Nam turpe duco, quemquam vllum ad cõmercium,*
*Aut circulum, nisi inuitatum accedere.*
*Agite. si quid operam requiritis meam,*
*Adsum ad parẽdum. PHI. ad imperandũ mi Cato.*
*Nos ad parẽdũ. OR. ad rem. CA. ad rẽ, quæso, si pla-*
*PHI. Ad rem. Instituta nobis disputatio est (cet.*
*De vitijs, quæ turpem faciunt vitam senum,*
*Quæ nunc vitare par est, dum pueri sumus,*
*Dum flexile est ingenium. nam quæ præuenit*
*Medicina, salubrior est, quàm quæ sequitur malũ.*

*CA. Ita verò, & qui transmittere pelagus volet*
*Periculosum; vt prouide caueat sibi,*
*In portu de procella cogitat prius,*

*Quam*

*Quàm naui se committat. sic pueros iuuat*
*Præscire, quæ mala maximè turbent senes:*
*Vt illa, cùm senuerint ipsi, tutius*
*Præuisa vitent. nam quod præcipitur malum,*
*Ac præsentitur, lentius animum ferit,*
*Quàm quod repente incogitantem oppresserit.*
*PHI. Dignū Catone dictum. DIM. hoc diximus modò.*
*CA. Sed quantum iam progressa disputatio est?*
*PHI. Sane multum. tamen hic, in quem incidis, locus*
*Auctoritatem propriè postulat tuam.*
*CA. Ain tu verò? quid istuc est quæso loci,*
*Quò sermo iam peruenit? PHI. controuersia est,*
*Quam sermo nobis institutus postulat,*
*Hanc te iam disceptare vt arbitrum decet.*
*CA. Me ne arbitrum? at parebitis dein meo*
*Arbitrio? & quod pronunciem, satin ratum*
*Habebitis? PHI. enimuero habebimus ratum.*
*DIM. Quid ni? Cato es, nisi hodie à teipso deficis,*
*Id sanè dices, quod negari non queat.*
*CA. Bene habet profectò. quænam controuersia est,*
*Quæ disceptanda vobis est? PHI. hæc scilicet.*
*Cùm multa sint senilis vitæ incommoda,*
*Et vitia, quæ miserrime afficiunt senes;*
*Quæ sint maiora quærimus. CA. quorsum id? malum*

Seu magnum sit, seu maximum, semper caue.
Nec quære, quod sit magnum, maius, maximum.
Nam ad mortem effugiendam quid prosit quærere
Quod leuius sit, quod durius mortis genus?
Omnis conditio moriendi est durissima.
Sic omnis vitij labes est fœdissima.
At quæ sit vna fœdior, quàm ceteræ,
Non tam id quærendũ, quàm cauendũ ab omnibus.
Tamen esto. quoniam hîc iam sumus, eia pergite.
Quodnam senectæ vitium fœdius putas?
Pronuncia sententiam primus tuam.
Postremus ipse dicam. MYT. Heus tu Philoxene,
An sine me consumes hîc integrum diem?
Iam præstolari me intus tam diu piget.
Expecto, obseruo, sedeo, sto, intus ambulo.
Nunc oscito, nunc dormio, nunc exeo
Pauxillulum, intro redeo, rursum dormio,
Rursum ambulo, me circumago, incertus mei.
Oculos ad rimulam applico, aures arrigo
Latentis instar muris, qui felem timet.
Nec me admones, nec me excitas, nec me euocas.
Qui sunt acturi fabulam, intus dormiunt.
PHI. De fabula nunc cogitas? iam ad vltimum
Perducta res est. fabulæ nihil loci

Re-

*Relinqtur. MY. ita ne verò? PH. ita. MY. ò factũ ma-*
*Te consulo iam. quid est quæso reliquum spei? (le.*
*Ego fabulam parturio, nisi pariam, crepo.*
*PHI. Non sum obstetrix, quæ partui medear tuo.*
*MYT. Esto Lucina. fer opem. heu rumpor. PH. en Catõ,*
*Illum inuoca: Lucinæ præstabit vicem.*
*CA. Quid est Mythophile? quid fles? vin opem feram?*
*MYT. Volo, si quid me subleuas: facinus pium.*
*CA. Quid est, quod opias? narra. MY. pacti iam sumus*
*Inter nos ego, Philoxenus, Orghiphilus, modò,*
*Paulo ante, quàm tu interuenires, vt mihi*
*Partes darentur fabulæ: illis colloqui*
*Liceret eadem de re, quod libitum foret:*
*Sic inter nos conuenerat. Philoxene,*
*Dimander, Orghiphile, ita ne est, an mentior?*
*Nonne hoc est inter nos initum pactum modò?*
*PH. Hoc sanè. OR. certè. DI. ita verò. MY. nũc vides, Ca*
*Quàm iniuste partes denegent mihi meas, (to,*
*Cùm sine me iam peregerint ipsi suas.*
*CA. At prodeundum tibi maturius fuit;*
*MYT. At hoc peccaui, quod tam sero prodij.*
*Opus est, vt tu peccatum corrigas meum.*
*Nec dicas. Non id factum oportuit malum.*
*Nam medicus poscenti à se remedium mali*

*Non sic respondet, Vitare febrim oportuit.*
*Nam si quid hoc remedium, & consilium valet,*
*Omnes essemus medici. ORG. te medicum vocat?*
*PHI. O rem lepidam. quid vsquam ridiculum magis?*
*Iam factus est è censore medicus Cato.*
*CA. Iam fabula in me recidit. hoc lucrum mihi*
*Redundat ex hac vestra controuersia.*
*Age iam. quid illud erat, quod aiebas modò?*
*An vultis hinc me abire? MYT. nolumus. mane.*
*Nam iudicio nobis tuo, & præsentia*
*Opus est; nec sine te quicquam agitur satis bene.*
*Nonne Dimāder? DI. ita verò. MY. nōne Philoxene?*
*PHI. Quid nos valemus? MYT. si discesserit Cato.*
*CA. Hominem verbosum. totus esse fabula*
*Videris. si te das; dedisti fabulam.*
*MYT. Egregiè. si hanc pro laude gratiam refers;*
*Ero posthac in te laudando parcior.*
*CA. At esse parcum laudatorem conuenit.*
*In laude nimia semper aut mendacium*
*Timendum est, aut ludibrium. ò quantum iuuat*
*Vitare laudatorem laudis prodigum.*
*DIM. Non delectatur laudibus suis Cato.*
*PHI. Quid ni? quis est, cui laudes displiceant suæ?*
*CA. Præsertim quas impertit Mythophilus puer.*

MYT. Catoni viro. CA. qui laudes non nimium sitit,
Eas hilariter accipere datas potest;
Saltem ne fiat laudatori iniuria,
Quod est illiberale. nam quanti facis
Laudem, laudantis tanti iudicium facis.
Hoc ius humanitatis est. veruntamen
Laudandi prodigentia minuit fidem
Et laudis, & laudantis. at quid denique
Illud erat, quod pepigeras cum Philoxeno?
MYT. Iam pactum fuerat inter nos de fabula.
CA. Audiui pactionem iam de fabula.
Deinde porro? MYT. porro deinde fabulam
Acturus veni, vt inter nos conuenerat.
Hi verò iam esse fabulæ locum negant.
An non rescindunt pactum? oportet iudicem
In tanta re te præbeas æquum mihi.
CA. Æquissimum. MYT. Catonem summum ius decet.
DIM. Id est, decet Catonem summa iniuria.
ORG. Sic est. nam summum ius est summa iniuria.
MYT. Et esse in me Catonem iniurium feram;
Si cuiquam facere iniuriam potest Cato.
CA. Ne dubita. faxo, vt causam adiudicem tibi.
Statim rē dirimo, Mythophile. MY. at statim, & benè.
CA. Immo optimè. MYT. Catonem esse optimum decet.

CA. Si fabula, quam parasti, in hunc locum cadit
Apposité, in quo versatur controuersia;
Iam liceat per nos agere fabulam tibi.
Sin autem; omittas istam oportet fabulam.
MYT. Omittam? non profectò. quo tandem loci
Progressa disputatio est? vt iam sciam,
An fabula in istum appositè congruat locum,
Quem nunc tractatis. CA. Orta nuper quæstio est
Inter loquendum maxima. & me iudice
Res agitur. MYT. Gaudeo. bonum habemus iudicem.
At quæ ista tandem quæstio est? CA. quæ sint mala
Senectutis, quæ grauius afflictent senes.
MY. Nimirum, an podagra, an cæcitas, an chiragra.
CA. Nequaquam: hæc solum corpus affligunt mala.
Nos illa quærimus mala, quæ animum magis,
Quàm corpus angunt, quæq. mentem turpiter
Commaculant, vt cupiditas, fœneratio,
Morositas, & ceteræ ægritudines
Huiusmodi. huc iam lapsa disputatio est.
MYT. Hoc agitis vero? CA. hoc. MY. sane vobis cõmo-
Res cecidit. istac ipsa de re fabulam (de
Acturus venio. CA. Ain tu vero? MY. haud mẽtior,
Mihi crede. quin leuare vos molestia
Non parua possum, si rem adiudices mihi,
'Nec

*Nec me prohibeas agere, quam volo fabulam.*
*CA.Qua verò nos leuare vis molestia? (quæritis,*
*MY.Qua verò? magna.CA.at qua?MY.qua? nõne hoc*
*Quæ sint, quæ maximè senibus obsint mala,*
*Et quæ senectam maximè faciant grauem,*
*Et fœdam, & tristem, & prorsus execrabilem?*
*CA.Hoc ipsum sanè quærimus. MYT.igitur mala*
*Senectutis numeretis oportet omnia,*
*Vel certè pleraq. CA. satis est, si pleraq.*
*MYT.Id est,grauissima quæq; nonne vero? CA. ita est.*
*MYT.Quis verò assumit hoc negotium sibi,*
*Vt numeret omnia, quæ sunt in senibus, mala?*
*Nemo præter me, opinor, expeditius,*
*Aut melius, aut facilius id faciet, Cato.*
*CA.Quo tandem pacto? MYT. proferam vobis senem,*
*Cuius perspecta vita imago est omnium*
*Malorum, quotquot vllus vnquam habuit senum.*
*CA.Qui nam iste senex est quæso? num notus mihi,*
*Aut nostrûm cuiquam? MYT.nemo vobis notior,*
*Aut omnibus, qui hic adsunt. CA. hæc est fabula,*
*Quam dare vis? noto facere iniuriam seni?*
*MYT.At hoc est agere fabulam, si scis, Cato.*
*CA.Quid est fabulã agere? MY.mores aliorũ improbos*
*Referre. CA. at non referre mores proprios*

*Cuiuspiam. MYT. Quid ergo? CA. sed confingere*
*Personam vitiis fœdam, & hanc inducere*
*Deinde in scenam, hoc verò est fabulam dare.*
*Audin Mythophile? MYT. scilicet hoc ipsum antea*
*Non dum didiceram. rem non dum auditam mihi*
*Narrasti, fateor. hoc est fabulam dare.*
*Personas ementiri commentitias,*
*Non veras. at si comminisci quidpiam*
*Ingenio vellem turpius, quàm illum senem,*
*Cuius referre mores, & vitam volo,*
*Nil sane possem excogitare turpius,*
*Nil æquè turpe. turpis iracundia est?*
*At ille tygris est, non iracundus modò.*
*Est turpis ebriositas? illum mero*
*Natantem, & vultu similem patri Libero*
*Aspicias crebro. PHI. rem fœdam ebrium senem.*
*MYT. Fœdissimam. si turpis est loquacitas*
*Nimis clamosa, & pertinax; turpissimus*
*Ille ipse est. nam quid illo pertinacius,*
*Loquacius, clamosius? Deus bone,*
*Perinde peruicaciam iactat suam,*
*Quasi nihil esse credat gloriosius.*
*In litigando nemini vnquam cedere*
*Consueuit. & cùm iure est inferior, tamen*

*Supe-*

*Superior est clamore. an illum vsquam pudet*
*Amicorum in congressibus solum loqui?*
*Aures fatigat omnium. nihil sibi*
*Interloqui debere ceteros putat.*
*De sordibus quid dicam? sordidissimus.*
*Etiam obsoletos calceos vendi iubet,*
*Crateras etiam fractos. è seuaceis*
*Candelis iam consumptis, si quid frustuli*
*Reliquum est (nam semper paululum relinquitur*
*In tubulo candelabri, quod nequeat benè*
*Absumi flamma) id ille, tantillum modò*
*Si fuerit, asseruari in vasculum iubet;*
*Et plurima cùm congesta iam sint frustula,*
*Tum vendi. & vtitur sæpe hoc prouerbio,*
*Quo sordidam hanc tuetur parsimoniam.*
*Inopia, inquit, quæ res minimas magnifacit,*
*Et prouidè reseruat, diuitias parit.*
*Et qui, cum diues est, se pauperem putat,*
*Hic semper diues est, & fit ditissimus.*
*Vide, quàm sit nummarium ingenium senis!*
*Quantis venatur artibus lucrum miser!*
*Hominem versutum, & perditum! sed corpori,*
*Et ventri an est auarus? nempe prodigus*
*Epulandi. nescit temperare gutturi.*

*Palatum credit esse vitæ Regiam,*
*Custodemq. animæ ventrem. Quid magis iuuat*
*Mortales, inquit, quàm seruire commodis,*
*Abdomini, pecuniæ? ò nequam senem,*
*Et improbum. hoc præterea sæpe iactitat.*
*Furari non oportet, inquit, impium est*
*Auferre quicquam alicui. verùm de tuo*
*Si vel tantillum dones, flagitium facis.*
*Quid? si quem fortè conspicatur pauperem*
*Stipem rogare, & ostiatim quærere*
*Subsidium vitæ; toruis illum oculis ferit,*
*Vultuq. absterret horrido. Quid improbe,*
*Segnisq. nebulo, quid flagitas? inquit: manus*
*Nonne ad laborem, & ad ligonem sat valent?*
*Nonne valetudo est integra, & vires vigent?*
*Quin tibi laborem rusticum magis libet,*
*Quàm mendicandi infamem desidiam sequi?*
*Vecors, pigerq. furcifer. i, campos cole:*
*Cole hortos, & pomaria: vineas fode.*
*Scelus est benignè facere his, qui non debiles,*
*Aut cæci sint, aut ægri. Hæc est benignitas,*
*Qua pauperes complectitur iniquus senex.*
*Cùm verò illuxit tandem Paschatis dies;*
*Vt sese Christianum ostendat improbus,*
*Paupe-*

*Paupercula cuidam nummulum erogat*
*Benignitatis ergo. tum, se venditans,*
*Sic emitur, inquit, cælum. & si quid fœnore*
*Iniusto comparatum est, sic rependitur,*
*Et condonatur omne debitum mihi.*
*O impiam vesaniam stulti senis,*
*Qui semper fœnerando exhaurit pauperes:*
*Ex proximorum visceribus lucrum exprimit:*
*Emungit thecas omnium nummarias,*
*Et arcas, lusione, fraude, fœnore.*
*Deinde postquam illum paschalem nummulum*
*Expressum ex imis cupiditatis faucibus*
*Benignitatem simulans pauperi dedit;*
*Iam credit expiatum crimen fœnoris,*
*Et Deo, & hominibus affatim factum satis.*
*O fœdum, & execrandum, ò impium caput.*
*Mitto alia, quæ purgatæ non aures ferant.*
*Nam nolo totum exenterare dolium;*
*Ne fæx effusa puteat. nomen senis,*
*Si scire vultis, appellatur Palphius*
*Lopadotemachoselachogaleus,*
*Hoc est cognomen. CA. Heu, quò proueheris? nefas.*
*Silendum est eius nomen, cuius dedecus*
*Narratur. aliter famæ iniuriam facis.*

*MYT.Peccaui. verùm si cuiusquam dedecus*
*Est certum, & notum lippis, & tonsoribus;*
*Non est, cur nomen sileam, si narrem scelus.*
*Quis dubitat? & tu nescis hoc? & es Cato.*
*En Iesuitæ. interroga: hos testes volo.*
*Ab illis percontare, num verum loquar,*
*Et libera te scrupulo. CA.Vt me liberem*
*Hoc scrupulo, putabo te mendacium*
*Dixisse. MYT. me mendacium? hoc omnes sciunt.*
*Quid notius vsquam prauitate Palphij*
*Lopadothemachoselachogalei?*
*CA.Sat multa iam mentitus es. tandem sile.*
*MYT.Silebo. parendum omnino est. iubet Cato.*
*At tamdiu silebo, dum vos videro*
*Iam destitisse colloqui. nam me vltimum*
*Oportet esse, qui sermonem finiam.*
*CA.Oh, desiisti tandem nos obtundere.*
*PHI.Perorata est iam fabula improbi senis.*
*At fabulosum nomen est tantum senis.*
*Res ipsa certè multos in senes quadrat,*
*Qui fabulosi prauitatem Palphij*
*Non esse fabulosam, & irritam sinunt,*
*Sic illam verè moribus referunt suis.*
*DIM.Sed prætermissum crimen vnum in fabula est.*

*Quo*

*Quo maximè laborant, & abundant senes.*
PHI. *Quod verò crimen?* DIM. *quod solent facillimè*
*De quouis suspicari, quicquid improbè*
*Factum, dictumue senserint. Quid turpius,*
*Quàm suspicio temeraria? quæ pariter bonos*
*Interdum damnat prauitatis, ac malos;*
*Quæ nemini confidit, ne optimis quidem*
*Amicis, aut domesticis: nullum putat*
*Dignum, cui se committat: omnes improbat,*
*Omnes veretur: hunc fallacem, hunc improbum,*
*Hunc furem, hunc infidelem, hunc impium putat.*
*Nullum hoc reperiri flagitium maius puto*
*In senibus.* PH. *Cur?* DI. *qa si qd in senibus boni est,*
*Hoc certè solum est, quod peritius regunt*
*Vrbes, domosq; & Respublicas magis iuuant,*
*Quàm iuuenes. at, qui suspiciosè ceteris*
*Velit præesse, quod quæso regimen satis*
*Prudenter obeat? quis huic se commiserit*
*Regendum? quis fideliter ei pareat,*
*A quo se credat infidelem, & improbum*
*Haberi? sic inutilem facit senem*
*Facilitas malè opinandi.* CA. *Sanè maximum*
*Hoc vitium est, & potissimum in senes cadit;*
*Qui, quoniam experti plura sunt pericula,*

*Quàm iuuenes; diligentius cauent sibi,*
*Et facilius timere fallentem solent.*
*Suspicio nimia intemperata cautio est,*
*Quæ temperata prouidum magis facit,*
*Quàm acerbũ, aut inuidiosum, aut improbum senem.*
*Quin ipsa sibi suspicio non parum nocet.*
*Nam quisquis, ne capiatur, acrius timet,*
*Is acuit deceptorem, & prouocat dolum.*
*Sic suspicandi temeritas magnum est malum.*
*An verò nil in senibus deterius putem*
*Reperiri, haud exploratè dicerem satis.*
*Sed audiamus Orgbiphili sententiam.*
*ORG. Ego verò nullum acerbius malum puto*
*In senibus esse, quàm furoris impetum.*
*Nam quis non horret clamosi rabiem senis,*
*Cuius vel ipsum sæpe nomen horreo?*
*CA. Tantumne te senilis iracundia*
*Absterret, & vesana clamitatio?*
*Nil est Orgbiphile, quod minus arduum putem,*
*Quàm effugere, vel placare clamorem senis.*
*Dum clamat, se ipsa frangit iracundia.*
*Illum timere soleo, qui iratus tacet,*
*Et mordet, antequàm latret, vt rabidus canis.*
*ORG. Tamen etiam vitantur, qui allatrant, canes.*

CA.

*CA. At facilè. & obiecta offa latratum domat.*
*Sic facilè etiam clamosi vitantur senes,*
*Si mitem vultus præferas clementiam,*
*Si simules obsequiolum, si veniam roges,*
*Etiam si cum ludibrio, & risu roges.*
*Est offa quædam dulcis fandi lenitas,*
*Quæ consopire indignantis stomachum solet,*
*Senis præsertim, cui frigent præcordia,*
*Et iræ absumptis fomes lentius solet*
*Ardere, quàm iuuenilis pectoris rogus.*
*Quin aliqua etiam ratione mitigat senes*
*Iratos vltionis desperatio,*
*Vel ipsa certe ratio, quæ maturuit*
*Ætate, & vsu rerum, qui varias docet*
*Vel hominum, vel fortunæ ferre iniurias.*
*ORG. Quid igitur causæ est, cur adeo clament senes*
*Offensi vel leuissime? CA. Accidit fere*
*Hoc semper iracundis, vt, cum maxime*
*Clamant irati, tum vel opportunitas*
*Quæsita desit, vel voluntas impia*
*Nocendi. sic parentes sæpe clamitant*
*A filijs offensi, non quòd filijs*
*Nocere nequeant; sed quòd, cum mollissime*
*Ament, nocere nolunt. sic amor iubet,*

*Qui voces illas, quasi totidem aperit vias*
*Furori, vt auras feriat, parcat filio.*
*Magister etiam ideo clamosius fremit*
*Interdum, & comminatur, ac se turbidum*
*Ostendit, cùm cerebrosos discipulos domat,*
*Quia non nocere, sed terrere nititur.*
*Cùm voces elicit ira, parcit sanguini.*
*PHI. Intelligo. sed voluntas his quidem deest*
*Nocendi, & banc deesse vociferatio*
*Testatur illa. At qui nam sunt, qui clamitant,*
*Propterea quod nocendi desit copia*
*Quæsita, non voluntas, aut ferocitas?*
*CA. Hoc de genere sunt mulieres, pueri, & senes.*
*Nam pueros vltionis impotentia*
*In iurgio clamosos, & rabidos facit.*
*Et mulier, cùm sit destituta viribus,*
*Et ingenio ad nocendum; non odium valet*
*Explere ferro. sic clamoribus ferit,*
*Et execratione, quos vlciscitur.*
*Quare quo tu ense mulieres vti putas*
*Ad vlciscendum? PHI. lingua. CA. lingua scilicet.*
*Probè diuinas. Etiam sic faciunt senes,*
*Qui, cùm languentes senio, nil valent manu;*
*Nil viribus nocere; idcirco vindicant*

*Iniurias*

*Iniurias clamando. & impotentius*
*Illi exclamant, qui viribus minus valent.*
*Vt ignis intra tectum hoc sæuiùs furit,*
*Quò fortiore continetur obiice,*
*Ne erumpat. quòd si quà nanciscitur viam*
*Ad erumpendum, iam vicinas in domos*
*Incendium vulgatur, & viciniam*
*Vel diruit, vel fumo saltem obnubilat.*
*Sic ira dum candescit in præcordiis,*
*Si nusquam possit euomi, nec copia*
*Quæsita detur vltionis; infremit*
*Occulta, pectus vrit, & sonitus ciet*
*Horrendos. hinc ille horribilis clamor senum,*
*Cùm sunt irati. nam compressus impetus*
*Irarum, & vltionis ardor impotens*
*Hostem petit clamore, cùm nequeat manu.*
*At, si iuuenilem nacta fortitudinem,*
*Et robur ira sæuiat; quos impetus*
*In proximos, in hostes, in Deum facit?*
*Cui parcit? quò non irruit impotens sui?*
*Quas non incendit vrbes? quæ non obruit*
*Imperia funere, cæde, flamma, sanguine?*
*Hos impetus iuuenum ira, non senum facit.*
*Nimirum quia iuuentus firma robore est,*

*Et iram fortiore pellit impetu,*
*Nec obstruit senilis tarditas viam*
*Furori, dum luctatur, & præceps ruit*
*In vltionem. Nec te terreant senum*
*Clamores: nam quò sunt maiores, hoc minus*
*Animus audacia, & gladio manus valet.*
*Quamquam senum ille clamor, & minax furor*
*Leue quiddam, & iniucundum, & horridum sonat;*
*Quod iuuenibus senectam asperrimam facit.*
*Et sanè magnum est id vitium, si quis senex*
*In iuuenes duriorem sese præbeat.*
*Nam sic regimen iuuenũ, quod est proprium senum,*
*Nimis esset intolerabile, & asperum.* PHI. *satis*
*Opinor hodie dictum de senibus, Cato.*
*Et iam satietas audientium monet,*
*Vt consistamus. Pauca hæc si quis prouidet*
*Incommoda senectutis, quæ iam diximus,*
*Et ea vitare studeat: næ ille non malus*
*Senex euadet.* CA. *per me, cùm vobis libet,*
*Desistere licet. Nobis improbitas senum*
*Magistra morum sit. nam cùm deludimus*
*Senes clamosos, iracundos, perfidos;*
*Nunc prouidendum est maximè, ne cùm senes*
*Nos erimus, in nos simile quicquam conferant*
*Iuuenes*

*Iuuenes, quos olim postera ferent secula;.*
*Ne nos nostri pœniteat, vt multos solet.*
*Nam quoties adolescentiam suam senes;*
*Sic increpant? O perditos illos dies*
*Pueritiæ. ô si nunc iuuenis rursum, aut puer*
*Euaderem. Nimirum frustra sentiunt*
*Quid iuuenum recta possit institutio,*
*Quæ primam ætatem ad vltimam vsq. dirigit,*
*Nam virtus, quæ pueritiam recte excolit,*
*Eadem ad mala senectutis præsidium parat,*
*Veluti cum ingentis arboris semen seris,*
*Inest ad augescendum in ipso semine*
*Vis; vnde magnitudo existit arboris.*
*Exempli causa. si nasturtium feras,*
*Num posse nasci quercum, aut ilicem putas?*
*Sic ipsa senectus instar est magnæ arboris,*
*Cuius minutulum semen pueritia est.*
*Vt semen quale ipsum est, talem arborem creat;*
*Sic qualis est pueritia, tale postmodum*
*Expecta senium. Quisquis ætatem cupit*
*Senilem nullis sordibus obsolescere,*
*Nec vnquam exculti deperire flaccidum*
*Ingenij florem; oportet vt serat puer*
*Virtutes, quarum fructus percipiat senex.*

*Faciendum est igitur nobis, vt nunc prouidè*
*Paremus aliquid auxili, quod nos iuuet*
*Olim senes iam factos. PHI. quod faxit Deus.*
*CA. Vtinam faxit. sed si minus id faxit, tamen*
*Perinde, ac si facturus sit, vitam hanc reor*
*Degendam. vt si quis ingredi viam paret*
*Iturus peregrè, etiam si consilium viæ*
*Capiat, ignorans an quò pergit, prosperè*
*Sit peruenturus; at viaticum tamen*
*Ni comparet, imprudenter consulat sibi.*
*Sic prorsus est mortalis hic vitæ status.*
*Est veluti peregrinatio: meta senium est,*
*Quò si nos applicare contigerit pedem,*
*Nunc est parandum, quid tum faciendum siet.*
*Sin minus: idem paraße, quid fuerit mali?*
*Nam prouidendum est homini, quidquid vsui*
*In omni vita possit esse, licet secus*
*Quàm fuerit præsagitum, eueniant omnia.*
*Nam non euentus (vt scis) consilium probat,*
*Sed ratio, quam non exitus improbat malus.*
*PHI. Recte. & id ipsum est causæ, cur illum olim senem*
*Amentem omnes putarint, & probri reum,*
*Qui cum prædiues esset, & afflueret bonis,*
*Essetq. iam supremæ ætati proximus;*

*Subdu-*

*Subduxit vitæ summam, ac si certum foret,*
*Quàm multi sibi superessent ad obitum dies,*
*Tum copias ad vitæ cultum diuidit*
*Ad rationem eius temporis, quod iam ratum*
*Putabat esse vitæ curriculum suæ.*
*Quasi amplius, quàm præsagibat, viuere*
*Non posset, amens. at vbi vitæ terminum*
*A se præfixum transijt; iam copijs*
*Profusis ad libidinem, cœpit miser*
*Egere, & lamentari, quòd nimium sibi*
*Superfuisset ad viuendum temporis.*
*Rem stultam. C.A. certè. semper liberalius*
*Nobiscum, quàm ipsi nos agimus, agit Deus.*
*Qui sæpe vitam præter spem mortalibus*
*Producit, sæpe contrahit præter metum.*
*Sed vtrumcunq. faciat, tantundem est boni.*
*Proinde sic ad omnes fortunæ vices*
*Paratum oportet esse constantem virum,*
*Vt mortem præstoletur in horas singulas,*
*Et vitam simul hanc muniat, ac si perdiu*
*Viuendum, & nil non experiundum sit mali.*

FINIS.

# CONSTANTII PVLCHARELLII E SOCIETATE IESV.

## HOMERICÆ ILIADOS IN LATINVM VERSÆ

## *LIBER PRIMVS.*





*Iua, neces Danaûm tantas quà percitus ira*
*Ediderit, qua clade virûm, quo sæuus Achilles*
*Funere Graiugenûm fauces oppleuerit Orco,*
*Incipe. tu diras auibus data corpora prædas,*
*Et canibus numera, nulli numerabile funus.*
*Iuppiter hoc miseris infesto numine fatum*
*Fixerat explendum Danais. iniuria tanti,*
*Et lis vna fuit; quà magnum iratus Achillem*
*Oppugnans fœdus certamine soluit Atrides.*
*Quis Superûm tantos odijs concurrere Reges*
*Iussit, & inuidia communem abrumpere Martem?*

*Nempe*

*Nempe Iouis magni Deus alto à ſanguine cretus*
*Latoides, qui iuſſa ſui cæleſtia vatis*
*Temnentem, & Superis luctantem exoſus Atriden;*
*Horrendum exitium miſeris immiſit Achiuis,*
*Funereamq. luem, ſæuo quæ turbine caſtris*
*Ingruit, Argolicum latè bacchata per agmen.*
*Tantus apud Superos duri fuit error Atridæ,*
*Cùm grauis affatu ſpretum dimiſit acerbo*
*Dilectum Superis Chryſen, Phœbiq. miniſtrum,*
*Qui pretio natam ingenti, doniſq. redemptum*
*Venerat, Argiuæ longæuus ad hoſpita claſſis*
*Littora, Phœbeæ venerandum inſigne coronæ*
*Prætendens manibus, ſceptroq. illuſtris & auro.*
*Hîc precibus genitor iuſtis, & Apolline fretus*
*Voce fatigabat ſupplex, & munere Graios,*
*Præcipuè geminos, duo culmina Martis, Atridas.*
*Ductores Danaûm Atridæ, voſq. altera belli*
*Gloria, ne meritum, pubes generoſa, Pelaſgi*
*Deſpicite obſequium, & iuſto ſubſcribite voto.*
*Si qua monet precibus tantum concedere noſtris*
*Relligio; ſi nota fides, ſi cultus Apollo;*
*Soluite ſeruitio veſtram Chryſeida prædam,*
*Et prece, vel pretio caram mihi reddite natam;*
*Nec munus fraudate pium. ſic Dardana vobis*

*Menia dent Superi, Phrygiumq. euertere regnum,*
*Et patriam ventis vrbem remeare secundis.*
*His illum instantem dictis, & iusta precantem*
*Audierant Argiua phalanx, & magnus Atrides.*
*Ergo eadem cunctos flexit sententia Graios*
*Annuere, & iustis tandem subscribere votis.*
*Rex tamen Atrides pugnacem opponere mentem,*
*Et durum imperij numen pro iure negandi.*
*Quin etiam ille senem vultu terrere superbo,*
*Et rabidas iactare minas. Refer improbe gressum,*
*Nec precibus contende senex, nec munere mecum.*
*Iam noris quid sceptra iuuent, quid stemmata Phœbi,*
*Quid promptæ mercedis honos, quid munera, faxo.*
*Ni procul hinc aliò te proripis improbe; si te*
*Cunctantem, aut posthac repetentem hæc littora cernam:*
*Nec prece, nec pretio nostram mercabere mentem,*
*Nec redimes mercede tuam, mea præmia, natam.*
*Illa suos mecum seruilibus exiget annos*
*Obsequijs; ætas vitam dum sera fatiget,*
*Et vetet arguto percurrere pectine telas.*
*Solue pedem, & nostro vitam ne crede furori,*
*Nec precibus responsa nouis grauiora lacesse.*
*Sic ait, & dicto vultum contraxit acerbo.*
*At pauidus tremebunda senex vestigia torquet.*

*Littus*

*Littus ad vndisonum, & mœsto legit æquora gressu.*
*Tum Phœbum auxilio votis implorat amicis,*
*Atridis infanda precans, infanda Pelasgis.*
*Phœbe potens iaculis, Iouis alto à numine numen,*
*Qui sacram æterna Cyllam ditione tueris,*
*Et Chrysam, & Tenedi non eluctabile regnum,*
*Quiq. vetus magno moliris ab omine nomen,*
*Sminthea, si pingues vnquam, mea munera, tauros,*
*Cæsarumq. greges ouium, & fumantia castis*
*Respexti delubra focis, ac diuite cultu*
*Splendida; ne precibus fretum me despice iustis.*
*Castra luant Argiua meos, te vindice, fletus.*
*Tu scelus indignum diris vlciscere telis.*
*Audijt, & precibus notis occurrit Apollo.*
*Nec mora, sidereo præceps defertur Olympo,*
*Irarum ingentes voluens sub pectore fluctus.*
*Labitur ex humero, & celeres obit aureus armos*
*Arcus, & intensi riget inclementia nerui.*
*Ille premit cursu nubes, & pensile tergo*
*Dat sonitum grauidæ pondus lethale pharetræ.*
*Iamq. viam leuis ætheria Deus actus ab arce*
*Ad classem secat Argolicam. sic turbida cælo*
*Nox ruit, & terras nigrantibus occupat alis.*
*Inde vbi consedit, puppes vnde arduus omnes*

*Despiciat; celeres neruo stridente sagittas*
*Ingeminat. crebris exsibilat ictibus æther.*
*Cornipedum primò iaculis prosternit equorum*
*Progeniem bellò duram, & genus omne latrantum.*
*Graiugenas exinde acies petit acer, & instat*
*Missilibus crebris totis dare funera castris.*
*Sternitur atra rogis tellus, densoq; per agros*
*Aggere funereis fumant data corpora flammis.*
*Lux aderat, decimam quæ præuenit vltima lucem,*
*Nec Deus abstinuit telis, iramue remisit.*
*Sol decimam primo lucem cùm mane reclusit;*
*Concilium magnum acciri dux mandat Achilles,*
*Cui talem afflarat mentem Saturnia coniux,*
*Graiorum miserata neces. ergo agmina postquam*
*Lecta coronato tenuere sedilia cœtu;*
*Stans prior Atriden sic regem affatur Achilles.*
*Quis status, Atride, rerum? venit vltima Graios*
*Euersura dies, & inexaturabile funus.*
*Nunc, reor, elusi fato, atq. ingentibus orsis*
*Cogemur tanti molem deponere belli;*
*Et tandem eiecti patrios reuehemur ad Argos,*
*Si tamen & reditus tetro nos eximet Orco.*
*Ergo, age, si vates vsquam, si mente sacerdos*
*Fatidica, si quis, tacitæ qui visa quietis*
*Expli-*

*Explicet interpres (mouet ipsum insomnia Numen)*
*Adueniat, tantaq. animos ambage resoluat,*
*Vera docens; Danaos quid tantùm iratus Apollo*
*Oppugnet? votis ne Deum, sacris ne putemus*
*Offensum non rite datis? quæ munera læsum*
*Conciliare queant Numen? iam rite litatum*
*Agnorumque; ouiúmq. greges ducemus ad aram;*
*Dum velit exitium hoc nostris auertere castris.*
*Hæc vbi dicta; quies noti repetita sedilis.*
*Tum sacer eloquio, & diuinæ munere mentis*
*Voce subit Calchas, quo non præstantior vllus*
*Alituum interpres; sortem cui rite futuram,*
*Præsentemq. datum, fluxamq. aperire canendo.*
*Hic Danaûm classem ad Phrygias dux egerat oras*
*Vatis ob eximiam laudem, nomenq. verendum,*
*Quo sacram ætherius mentem dotarat Apollo:*
*Ille aperit causas rerum; & sic voce profatur.*
*Pelide dilecte Ioui, men prodere certa*
*Voce iubes Danaûm sortes, & Apollinis iram?*
*Eloquar, hanc tuà si fuerit mihi prompta pacisci*
*Dextra fidem (si vera iubes me dicere) dictis*
*Præsidio te stare meis, nec parcere, quicquid*
*Voce, manu valeas, nostræ impertire saluti.*
*Nam, reor, haud iræ parcet Mauortius heros,*

*Quem penes arbitrium rerum, qui iura Pelasgi*
*Martis habet, nutuq. omnes res temperat uno.*
*Fortius in tenues animas regum ira potentum*
*Sæuit, & extingui simulans, cùm visa quietis*
*Decessisse animis, tamen alto in pectore vires*
*Tecta fouet, ceditq. moræ, dum nacta nocendi*
*Tempus, agat sese, & sopitum exsuscitet ignem.*
*Num tibi sat nostram mandas confidere vocem?*
*Quem sic magnanimus metuentem hortatur Achilles.*
*Pone metum; & quæ fatidico sub pectore seruas,*
*Fata refer, fidensq. tuam mihi crede salutem,*
*Et fidei confide meæ. per quicquid Apollò*
*Iuris habet, iuro, solitus quem flectere votis*
*Rite tuis, dum cæca canis præsagia rerum;*
*Faxo ego, vitali potiar dum luminis aura,*
*Ne manibus, ne te dicto quisquam ausus iniquo*
*Prouocet, aut quaquâ tentet se opponere, toto*
*Graiorum è numero. non ipsum Agamemnona regem*
*Excipiam, nostri cui summa potentia belli.*
*His animat vatem dictis: tandem incipit ille.*
*Nequicquam aut votis Phœbum, aut non rite solutis*
*Creditis offensum sacris. nam maior origo*
*Irarumq; odijq; subest. erepta ministro*
*Filia Phœbeo, spretiq. iniuria Chrysæ.*

*Quem*

*Quem raptam oblato repetentem munere natam*
*Reppulit Atrides. quo læsum incanduit ausu*
*Numen, & inuisos exercet clade Pelasgos,*
*Nec prius absistet diras infligere cædes,*
*Quàm libertatem repetet Chryseis inemptam,*
*Et merces, & nata patri donata redibit,*
*Lectaq. de gregibus mittetur victima Chrysam.*
*Sic Danaûm fortasse neces miseratus acerbas,*
*Consilium referens cœpta desistet ab ira.*
*Hæc ait, & sessum extrema se voce recepit*
*Testorides Calchas. tum regius adstitit heros*
*Atrides, vultuq. ferit Calchanta minaci.*
*Flammantesq. oculorum ignes, atq. horrida torquens*
*Ora ferox, dictis aperit, rictuq. tremendo*
*Ardentem mærore animum, & sic turbidus infit.*
*Ominis infelix vates, præsagia nunquam*
*Grata refers, lætumq. tibi est prædicere tristes*
*Fatorum euentus, nil te licet auspice lætum,*
*Nil præscire salutiferum. quis credere tantum*
*Te suadente velit, nobis hanc vindice Phœbo*
*Immissam sæuire luem, & bellare Pelasgis*
*Infensum mihi pro rapta Chryseide numen,*
*Cui libertatem pretio mutare negaui?*
*Quam tamen, haud vllo cùm sit mutabilis auro,*

*Reddere si fuerit melior sententia, reddam,*
*Omnia posthabeo saluis mea munera Graiјs.*
*Ast aliud mihi continuò decernite munus,*
*Præmia ne solus Danaûm Rex nulla reportem,*
*Debitaq. amittam tanti monumenta laboris,*
*Quod belli ius omne vetat. mihi præmia forti*
*Parta manu, quo vestra rapit sors, cernite Graij.*
*Talia dum memorat, contra sic orsus Achilles.*
*Atride, quid tantus opum, quid tantus honorum*
*Torquet amor sitientem animum? quæ poscis Achiuos*
*Munera? collectæ nulla est iam copia prædæ,*
*Vnde feras quæ dona petis. nam quicquid adeptũ est*
*Vrbibus è domitis, sortem sibi quisq. per æquam*
*Diuisum obtinuit, nec fas iam rursus in vnum*
*Omnia restitui cumulum, nec iure moueri*
*Quemque suo. tu ne inuitus modò rite puellam*
*Cede Deo. nam iusta volent si numina, munus*
*Terq; quaterq. tibi geminum pendemus Achiui,*
*Cùm victam (si fata dabunt) populabimur vrbem*
*Gentis Dardaniæ, & non insuperabile regnum,*
*Hæc vbi Pelides, contra sic infit Atrides.*
*Ne mihi, ne tales, hêros inuicte, per artes*
*Fallacem prætende fidem, nam cassibus istis*
*Non assueta capi mea mens, nec lubrica vanis*
*Cedere*

*Cedere promiſſis, an te tua dona videbo*
*Sortitum, nec tecum æqua me ſorte potiri?*
*Nimirum hanc ideo vis me dimittere Phœbo.*
*At mihi ni meritum tanti dent muneris inſtar,*
*Dignaq; pro miſſa Chryſeide dona rependant*
*Argolici proceres; ſi quid mihi roboris vſquam eſt,*
*Pugnabit mea dextra meo pro munere tecum,*
*Et Graia cum gente. tuum, vel Vliſsis, Achille,*
*Munus, an Aiacis, mea pars, mea præda futurũ eſt.*
*Certe aliquis, Danaos quid ſit mihi iuris in omnes,*
*Sentiet, & tacitus vanas malè concoquet iras.*
*At maturum aderit cernendi talia tempus.*
*Nunc aliud mentem vrget opus, iam puppis in vndas*
*Ducta, paret celerem lecto cum remige curſum.*
*Tum pecus eximium, & centum ſelecta iuuencũm*
*Victima mittatur Chryſam, ſimul ipſa parenti*
*Chryſeis reddenda ſuo conſcendat, & vnà*
*Dux aliquis Graiorum, animi maturus, & qui,*
*Aut Aiax, aut Idomeneus, aut dius Vliſſes,*
*Aut etiam tu magne virũm tremefactor Achille,*
*Vt prece concilies nobis, & munere Phœbum.*
*Audijt, & ſubitas toruo ſtetit actus in iras*
*Lumine Pelides, vultuq. hæc reddit acerbo.*
*Prò temerata fides. quis te, turpiſſime rerum,*

Præterea socias poscentem ad bella cohortes
Sponte sequi, casusq. velit comes ire per omnes?
Quæ mihi, cur Phrygium contendam euertere regem,
Causa fuit? non vlla Phryges incommoda terris
Inuexere meis, patriasue hostilibus oras
Turbauere dolis. non Tros populator abegit
A stabulis armenta meis, aut nocte silenti
Pascentes abduxit equos. non Phthius ab hoste
Dardanio vastatus ager. longè auius oris
Thessalus à Phrygijs: iacet inter inhospita tellus
Æquoris immensi tractus; immensa viarum
Intersunt spatia, & toto sola dissita cælo.
Et tamen huc vario rerum discrime vecti,
Te, caput infandum, tecum socia arma secuti,
Sponte tuæ, fratrisq. tui subscribimus iræ
Iliacam contra gentem, Phrygiumq. tyrannum;
Et raptum vobis bello instauramus honorem.
Et tantum tamen officium, teterrime, tantam
Aspernere fidem? & quicquid mihi fortibus ausis
Quæsitum est præmi, furto veneris iniquo?
Quod per inaccessos casus, perq. ardua partum est
Bella mihi, fortisq. datum pro munere dextræ,
Eripis, imperio mecum luctatus acerbo?
Te semper potiora manent, nec muneris æqua
Est mihi

*Est mihi conditio tecum, si Marte secundo*
*Dardana contingat populari mænia Graijs.*
*Fors tamen obijcitur semper mihi prima laboris.*
*Me mortes, me tela manent, semperq. petendi*
*Conditio mihi prima mali, tibi prima legendi*
*Muneris occurrit. nam me, cùm ad præmia ventū est,*
*Egregijs operum monstris, & nomine quamuis*
*Insignem eximio, quamuis & pectora longo*
*Marte fatigatum, & suprema per omnia vitam*
*Casibus expertum varijs, vix munere donant*
*Exiguo Danai, meritisq. ingentibus orbant.*
*Stat mihi, desertis (quid enim tam demoror?) armis*
*Pertæsam reuocare manum, & iam littore classem*
*Soluere Dardanio, patriasq. auertere ad oras.*
*Hoc ego te indecorem posthac in littore linquam.*
*Nec fore te credam magnis exinde superbum*
*Exuuijs neque enim tantis onerabere donis.*
*Me sine non vrbes, nec opes prædabere tantas.*
*Hîc verò infrendens, contra sic fatur Atrides.*
*I, fuge: quid cessas? quando hic mētem impulit ardor*
*Ad patriam remeare domum. quæ tanta morandi*
*Caussa tibi? nec me indecorem, solumue relinques.*
*Sunt mihi præterea, quibus est mea gloria curæ,*
*Præcipuè superûm, & cæli rex Iuppiter alti.*

Mm

*Nec mihi te grauior quisquam, nec durior hostis*
*Infensos inter, capitalia nomina, Reges,*
*Sic ruis ore, ferox animis, & ad aspera natus*
*Iurgia, & indomitæ præceps ad prælia linguæ.*
*Si tibi robusto pollent in pectore vires;*
*Hoc Superûm est, Deus est tanti tibi muneris auctor.*
*Iam refugas hinc verte rates, simul auehe tecum*
*Cedentes bello socios. tua regna, feroces*
*I, rege Myrmidonas, quid enim tu Dorica præsens*
*Castra, quid arma iuuas? nec me ista ferocia terret.*
*Est mihi iam fixum hoc animo, nec inania iacto,*
*Verba minans. quando ipse meam Chryseida Phœbus*
*Reppetit; haud equidem Diuis parere recusem.*
*Iam certis comitata viris, è nauibus vnam*
*Conscendet dimissa meis, Chrysamq. redibit.*
*At tua securus veniam ad tentoria raptor,*
*Abducamq. tuum, pulchram Briseida, munus.*
*Scilicet vt, quanto superem te robore, noris;*
*Et metuat se quisque meæ componere dextræ.*
*Hæc ait. at mæstum subitus furor egit Achillem,*
*Et dubius curas animus se findit in ambas,*
*An ruat in furias, vaginaq. exuat ensem,*
*Quo procul incusso adstantes terrore cateruas*
*Proturbet metuendus, & ipsum inuadat Atridem:*
*An*

*An magis absistat; gliscentemq. arceat iram.*
*Dumq. agitur varia curarum indagine pectus;*
*Impatiens iam dextra moræ, ferrum ausa trahebat:*
*Cùm simul ætherias Tritonia lapsa per auras,*
*Adstitit. è superis illam Saturnia regnis*
*Miserat, amborum semper cupidissima Regum.*
*Vt stetit à tergo, Pelidem aggressa, comantem*
*Diua manu crinem arripuit, dextramq. repressit*
*Vnius occurrens oculis, nec cernitur vlli*
*Præterea Danaûm. stetit, auersumq. retorsit*
*Lumen; at ora Deæ obstupuit præsentis Achilles,*
*Visaq. terribili micuerunt lumina flamma.*
*Atq. illam his vltro compellat vocibus heros.*
*Nata Iouis magni, quæ te huc sententia, vel quæ*
*Cura tulit? num Regis ades visura minaces*
*Atridæ furias, & inexorabile pectus?*
*Dicam equidem, nec vana loquar præsagia rerum.*
*Hunc suus ipse furor, tumidæq. insania mentis*
*Obruet exitio, & mores mulctabit iniquos.*
*Quem contra sic orsa loqui Tritonia Pallas,*
*Pelide generose, tuum sedare furorem*
*Aduenio, ni iusta neges parere monenti.*
*Mittor ab ætherijs (Dea me Saturnia misit)*
*Sedibus. illa sinu vos vno amplectitur ambos*

*Anxia, vos ambos vno sub pectore seruat.*
*Vlterius ne tende minis, ne perge furentem*
*Ferro armare manum: iustis vlciscere probris,*
*Si libet, Atriden, inimicaq. dicta repende.*
*Et memor hæc animo serues. non irrita dictis*
*Respondent euenta meis. iniuria raptum*
*Hæc tibi tergemino redimet cum fœnore munus.*
*Ter tibi tantundem iustissima fata rependent.*
*Da modò te nobis facilem, & preme corde furorem.*
*Ille sub hæc. Cedendum equidem tibi Diua, tuisq.*
*Parendum fateor monitis: licet vndique pectus*
*Vis agat irarum, rapidæq. insania mentis.*
*Nunc locus obsequio est. Superos audire monentes*
*Qui fugit, hunc Superi renuunt audire precantem.*
*Dixit, & ardentem presso tenet impete dextram*
*Auratum ad capulum, rursumq. absterritus ensem*
*Induit, ora Deæ veritus, Numenq. verendum.*
*Illa autem volucri cælum petit ardua cursu,*
*Æternam Iouis ad sedem, & socia agmina Diuûm.*
*At ferus indomitæ laxat iam vocis habenas,*
*Et linguam sine more furens procudit Achilles,*
*Acribus inuisum dictis aggressus Atridem.*
*Stulte ducum, insano mentem turbate Lyæo,*
*Qui turpem ore canem simili, similiq. fugacem*
*Corde*

Cordę refers ceruam. quis enim te viderit vnquam?
Acrius hostiles armatum irrumpere turmas,
Argolicas comitantem acies, aut arte Pelasga,
Instructum aduersos venari fraudibus hostes
Aut nauum ducibus comitem te adiungere Graijs?
An magis interitum demens, quam prælia vitas?
Hoc tibi germanum est, vitam seruare timendo.
At minus infandum est Argiua per agmina si quem
Senseris aduerso tecum contendere dicto,
Illius ereptis inhiantem incumbere donis
Ingluuiem miserande tuam, damnate procacis
Ingenij, regniq. vorax possessor opimi.
Scilicet imperij subeuntem iussa nefandi
Progeniem, facilemq. premi regis, improbe, gentem.
Ni talem, foret hæc scelerum suprema tuorum
Meta, nec vlterius quemquam aggrederere furendo.
Haud equidem nisi vera loquar. nil ausus inani
Voce fidem fallam: neque enim non maxima iuro.
Hoc sceptrum, hoc iuro sancti gestamen honoris,
Cui ferro cecidere comæ, cui germina nunquam
Secta renascentur foliorum, aut tensus ad auras
Materna surget vertex rediuiuus ab alno.
Scilicet excisum syluis, atq. arida libro
Viscera nudatum, fului iubar induit auri,

*Imperij decus, & regnantum insigne Pelasgûm,*
*Tantum ausim iurare. diem nanque affore cerno,*
*Cùm Danais frustra optatus quæretur Achilles:*
*Postquam illos medio belli discrimine fractos*
*Rege satus Phrygio, & metuendi nominis Hector*
*Proteret exitio, atque immiti funere perdet.*
*Nec tu subsidium, nec opem labentibus vllam*
*Ferre, nec aduerso poteris te opponere fato;*
*Quanquam omnes animo curas versabis anhelo,*
*Multa gemens, teq. ipsa tuæ mens conscia culpæ*
*Arguet, Argiuos miserantem, & sæpe vocantem*
*Myrmidonum Regem, & contempti nomen Achillis.*
*Hæc ferus Æacides; sceptriq. insigne decorum*
*Distinctum nodis rutilo fulgentibus auro*
*Abiecit dextra, positaq. in sede quieuit.*
*Nec minus aduersis furiarum instinctus Atrides*
*Prouehitur contra stimulis: cùm nobilis æuo,*
*Et senio vitam natus producere Nestor*
*Assurgit medius, Pyliæ qui gentis ad aures*
*Orando solitus iucundum infundere nectar.*
*Bina fatigarat duras per secula Parcas,*
*Ternaq. tentabat viridi transire senecta.*
*Iam quibus à primo sociis adoleuerat ortu,*
*Perfunctos spatijs omnes fatalibus æui*

*Vi-*

*Viderat, atq. alios iam tertia seuerat ætas*
*Regnanti populos Pyliorum in mœnibus altis.*
*Hic fera dum varijs seruet discordia dictis,*
*Increpuit senior, Regemq. affatus vtrumque*
*Talibus assurgit, mediusq. interuenit heros.*
*Prô superi, quantum miseris impendet Achiuis*
*Exitium! & Priamus quantum, & Priameia proles,*
*Et genus Iliacum nostra de clade triumphum*
*Expectent, si vos tales committere pugnas*
*Audierint! vos tantum odio sæuire minaci,*
*Quos ope consilij, & belli virtute gerendi*
*Egregios Danai patrijs comitantur ab Argis*
*Delectos ad bella Duces, ad iussa Parentes!*
*State animis. mihi si fando maturius æuum*
*Audite hæc iuuenes. nec me spreuere monentem*
*Ductores quondam egregij, Dijs æmula proles;*
*Vestra quibus longè est virtus, & gloria dispar.*
*Quale genus quondam heroum, quæ robora vidi!*
*Exadiumq. ducem, superisq. parem Polyphemum,*
*Et doctum imperio populos frænare Dryantem,*
*Theseaq. Ægiden, & Cænea, Pirithoumq;*
*Par superis virtute genus. Quid secula maius*
*Vlla ferant? ausi inuicta prosternere dextra*
*Indomitas, genus acre, feras, siluestria monstra.*

*His eadem vitæ comitem me iunxerat ætas,*
*Olim cum Pylias arces, apiamq. reliqui*
*Tellurem, indulgens armis. nempe illa vocarat*
*Me socium pubes ad prælia. nec mihi deerat*
*Pars animi, virtusq. mei. tamen obuius illis*
*Non vllus ferat arma ducum, quos Martis ad vsum*
*Nunc alit hæc annis effœta senilibus ætas.*
*Olli consilium soliti pro tempore, nostram*
*Et vocem excipere, & faciles parere monenti.*
*Vos etiam, quando hæc animos inuasit Erinnys,*
*Audite, & monitis pectus submittite iustis.*
*Est aliqua hæc etiam virtus & gloria mentem*
*Flectere ad obsequium, rigidumq. inducere pectus.*
*Tu, quanquam imperio tibi dextra superbiat alto,*
*Hunc tamen hostili violare iniurius ausu*
*Desine, nec famulam, tantorum insigne laborum,*
*Eripe sorte datam, & communi munere Graiûm.*
*At tu, magne, animo ne Regem incesse superbo,*
*Quem superûm Rector magno discrimine Graios*
*Extulit ante alios, sceptrisq. potentibus auxit.*
*Si Dea te genitrix diuina protulit aluo*
*Pectora munitum triplici Mauortia ferro:*
*Amplior hic sceptris tamen est, & nomine maior*
*Imperij, & numero venientum ad iussa cohortum.*

*Pone*

*Pone tuam, Atride, tandem exorabilis iram.*
*Hic quoque pectus habet precibus placabile nostris,*
*Quo sine nil tutum Danais. nempe illius vnum*
*Robur habent, arcem, & Mauortia septa phalanges.*
*Tum verò Atrides. Equidem iustissima credo,*
*Magne senex, quæ rite mones. at culmine rerum*
*Semper hic in summo sese locat. ille Pelasgûm*
*Nec patitur quenquam imperio, nec viribus æquum;*
*Vult omnes sua iussa sequi, sua regna vereri.*
*Atque equidem saxo, quæ vult credenda videri,*
*Prædicet auersas Graiorum elusa per aures.*
*Nempe, quòd egregijs illum ad certamina Diui*
*Viribus armarunt, nodosaq. pectora duro*
*Marte rigent: tantis hinc se clamoribus effert*
*Feruidus: hinc illum furiosæ insania linguæ*
*Præcipitat ferro fidentem, & robore dextræ.*
*Hæc ait, atque vltra conantem haud passus Achilles*
*Plura loqui. Premat æternæ me iniuria famæ,*
*Virtutisq; animiq. inopem me secula quondam*
*Cuncta ferant, inquit, si te mihi laudibus vllis,*
*Aut vllis operum monstris, aut viribus æquem.*
*Hæc alios affare. aliorum his pectora Graiûm*
*Falle dolis. alia cape nostram indagine mentem:*
*Ast ego quæ loquar, arcano sub pectore conde.*

*Non ego te raptu nostræ prohibere puellæ,*
*Nec Danaos vnquam aduerso certamine curem.*
*Vestrum munus erat. vestra est auferre potestas.*
*At mihi præterea si qua est pars altera prædæ,*
*Si quid opum restat, si quidquam optabile rerum,*
*Quod seruent arcana meæ penetralia puppis:*
*Id satis hac tutum dextra. nec demere quicquam*
*Vlla tui pars iuris erit. si te vlla cupido*
*Prouocet insano quicquam subducere furto;*
*Protinus hasta tuo de sanguine nostra calescet.*
*Talia dum vario iactant certamine Reges*
*Assurgunt. vnà procerum conuertitur agmen*
*Dimissum ad naues. vadentum murmure littus*
*Feruet, & vndanti circumsonat omne caterua.*
*Ipse Menetiada, & comitum longò ordine septus*
*Mæsta putans gressum ad tentoria vertit Achilles.*
*Atrides puppim Argolicis è classibus vnam*
*Expedit, & lectæ viginti robora pubis*
*Ire iubet, nautas. it centum imposta iuuencûm*
*Hostia, votiuum cælo pro crimine munus.*
*Productam in medijs demum Chryseida transtris*
*Rite locat, patriæ redituram ad litora Chrysæ.*
*It comes, ingentis magnum agminis instar, Vlisses.*
*Sic ratis instructo sulcat vada cærula cursu.*

*Hic*

Hinc totam iniecto lustrari flumine classem
Rex iubet Atrides. iussis excita superbis
Agmina consurgunt certatim, & rite lauacrum
Expediunt nauale. cadunt labentia lymphis,
Atque imo deiecta natant purgamina ponto.
Hic votum in primis Ideæ ad littora terræ
Egregium Phœbo statuunt, & rite precantur.
Cæsorum centena boum, centena bidentum
Sternitur, & sacris imponitur hostia flammis.
Viscera fumiferam mittunt redolentia nubem.
Dumq. fremit sacris certatim accincta iuuentus;
Atrides (neque enim irarum deferbuit æstus,
Nec pertæsa sui, nec adhuc sibi reddita mens est)
Iam repetens quibus ante minis aggressus Achillem,
Euribatem è primo vocat agmine, Thaltibiumq;
Insignes lituo, & lectos ad iussa ministros.
Ite, ait (imperio vestri confidite Regis)
Myrmidonum ad regem, & medijs Briseida castris
Ocius abductam reuocate, & prendite dextra.
Vos illam hic, iubeo, mihi sistite. si quid Achilles
Abnuat, imperioue ausit se opponere nostro;
Ipse adero, pars lecta mei mecum agminis ibit.
Sat mihi, sat magna est illam subducere virtus.
Scilicet in peius, nisi pareat, omnia cedent.

*Hoc iuuet hæc ipsum vesania. Talibus illos*
*Cunctantes adigit, iussisq. potentibus vrget.*
*Ergo iter inuiti tendunt, atq. hospita castris*
*Littora Myrmidonum, & notum petiere tyrannum.*
*Ille autem, quà fixa procul tentoria classem*
*Obuia prospectant, rutilo sedet inclytus auro.*
*Agnouit faciem venientum, ac turbidus vno*
*Hæret in obtutu; simul illi absterrita miris*
*Ora modis pauidi retrahunt, fixiq. tenent se.*
*Non color, aut animus trepidis, non copia fandi.*
*Ast illum non causa viæ, non aspera Regis*
*Iussa latent. prior aduerso vocat ore trementes.*
*Par iuuenum saluete, hominum, Diuûmq. ministri*
*Insignes ad iussa tubis. accedite. nostri*
*Quis timor aspectus? Atridem horremus Atridem.*
*Nulla mei vos causa mali. nempe ille superbo.*
*Vos huc imperio raptum Briseida misit.*
*Nil equidem abnuerim, nil demorer, ocyus illam*
*Da, rapiant iussi, & tantum, Patrocle, furorem*
*(Quando adeo nos fata premunt aduersa) feramus.*
*Vos pro me superis, pro me mortalibus olim,*
*Vos Regi insano, tantis qui me appetit armis,*
*Hæc iubeo memores testari, & visa referre,*
*Cùm Danaos (si versa dabunt hoc fata futurum)*

Exi-

*Exitium nostra tantum eluctabile dextra,*
*Opprimet; & spretum frustra poscetis Achillem.*
*Se nimiùm duris, nimis ille immitibus effert*
*Imperijs; ignarus enim, quos lubrica rerum*
*Euentus fortuna paret, quid tempora versent,*
*Et Danaos quis casus agat, quid fata minentur.*

*Hæc ait; obsequio Patroclus non segnis amico*
*Tecta subit; simul ingrato licet excita iussu*
*Prodit hero mittenda nouo, sequiturq. puella*
*Raptores inuita suos, sortemq. trahentem.*
*Tum Rex illacrymans (neq. enim læta vlla recursat*
*Cura animo) linquit socios, mæstusq. locorum*
*Sola petit, vastam spatiosi littoris oram,*
*Molle gemens. procul obiectum vaga lumina pontum*
*Aspiciunt, voluuntq. suos vndàntia fluctus.*
*Nec minus intentis conuersus ad æthera palmis*
*Multa Deam alloquitur genitricem, & fletibus illam,*
*Et prece sollicitat, tristiq. hæc ore profatur.*

*Diua parens, si vera parens; tua numina si me*
*In terris peperere; forem mortalibus, esto,*
*Hausurus spatijs auras, numerandaq. paucis,*
*Tempora luciferis fato mensurus auaro:*
*Præcipuo saltem mortales inter honore*
*Me Pater omnipotens, donisq. ingentibus auctum*

Exciperet, satisq. daret melioribus uti.
Et nunc ille tamen viden ut mea munera raptor
Abstulit immitis nostri contemptor honoris?
Hæc lacrymãs, nec surda parens, nec tarda precantis
Vocibus occurrit, quamquam alti vasta profundi
Regna tenet, Regiq. adsistit nata parenti.
Cæruleis excita vadis emergit, & auras
Alta petens, mæsto sese tulit obuia nato,
Et multo nebulæ Dea sese inuoluit amictu.
Vt stetit, & sola mærentem aspexit arena,
Accessit, dextramq. humeris admota prehensis
Palpat amans, mulcetq. leui mollissima tactu,
Et notum affatu compellat nomen amico.
Tum super his adimit curas. Quid nate fatigas
Tantis te lacrymis? quis agit mærentia tantus
Corda dolor? loquere, & tacitus ne, nate, parentem
Falle, tui communis erit mihi causa doloris.
Natus ad hæc, abrupta graui suspiria fletu
Corde trahens. Ne, Diua, rogo. satis omnia nosti.
Nuper, ut ad sacræ ventum Mauortia Thebes
Mœnia, deuictum magni genus Eetionis
Marte ruit nostro. dudum hæc ad littora classis
Attulit auectas, ingentia pondera, prædas.
Hic vbi sortiti victores omnia Graij,

Quisq.

*Quisq. datum, sua lucra, tulit, sua præmia, munus.*
*Obtigit immitti donum Chryseis Atridæ.*
*Hanc pater aduenit Chryses mercede redemptum*
*Ingenti, senior Chryses, Phœbiq, sacerdos,*
*Cinctus Apollineo sacrum diademate crinem,*
*Veste nitens, sceptroq. manum sublimis, & auro.*
*Multa rogans testata sacri per numina Phœbi*
*Supplicibus Danaûm precibus Pater agmen obibat.*
*Præcipue rogat Argiuæ duo culmina gentis*
*Ingratum genus, Atridas; ne pignora tantis*
*Cara sibi mutare negent, aut vendere donis.*
*Illum animis Argiua phalanx miserata precantem*
*Annuit accepto dimitti munere natam.*
*Solus in orantem durus, nec munere victus,*
*Nec patris obsequio mæstum lacrymantis Atrides,*
*Nec Danaûm monitis, dimissum abiecit iniqua*
*Voce senem, diroq. ferox absterruit ore.*
*Ille querens infanda trucis conuicia Regis,*
*Ad Phœbum indignans precibus confugit amicis,*
*Dira precans Danais. iusta Deus excitus ira*
*Spicula pestifero Danais armata veneno*
*Contorsit, sæuoq. potens infrenduit arcu.*
*Ibat ouans totum latè bacchata per agmen*
*Immitis Libitina trucem molita securim.*

Castraq. congestis confusa cadauerum aceruis
Squallenti mæstum contristant funere cælum.
Ignaros, quo tanta lues à numine, vates
Admonuit, spretum Phœbi causatus honorem.
Certa mihi, infensum donis auertere numen
Rite datis, gratumq. Deo decernere cultum,
Mens erat. indignus verò furor egit Atriden,
Nec timuit te matre satum me, incessere dira
Voce minax, factisq. minas explere nefandis.
Chryseis dudum ad patrios dimissa penates
Conscendit, socia Danaûm comitata caterua.
At mihi Briseis nuper data munus Achiuûm
Tristis ad Argolicum trahitur modò rapta tyrannum.
Tu mihi nunc aliquam (si qua est tibi, Diua, facultas)
Affer opem genitrix nato, & prece numina magni
Flecte Iouis, si qua illum vnquam tibi gratia vinxit
Promeritis referenda tuis. nam sæpius olim
Dum colerem tecum sedes, tua tecta, paternas
Iactantem te multa lôqui, nec vana, recordor.
Nempe; quòd infanda superûm feritate petitum
Sola Iouem, cæli, tempestatumq. potentem
Iuueris auxilio. sæua illum in vincula Diui
Cogere pugnabant alij, Neptunus iniquis
Dira fremens odijs, & Pallas, & aspera Iuno.

*Ast illum tu sola iuuas, tu vincula soluis:*
*Te duce tartareo Briareus erupit ab antro*
*Agmine centeno manuum, & discrimine denso*
*Telorum accinctus magni supera ardua cæli*
*Conscendit, Diuosq. Ioui stetit vltor in omnes.*
*Nam Superi, dum sæua suo dant vincula Regi,*
*Vt videre feri conspectum vltoris, & arma,*
*Attoniti cecidere metu. nempe ille paternam*
*Virtutem exuperat, strictos ipse acrior enses*
*Vibrare, & manuum fortes agitare cateruas;*
*Ille acies inter superas adstare Tonanti*
*Gestibat, vultuq. Deos arcere minaci.*

*Hæc insta meminisse Iouem; tantisq. redemptum*
*Officijs, fida genitrix prece numen adora,*
*Et genibus te prona manu superingere tactis;*
*Me iuuet auxilio, & nostrum ne linquat inultum*
*Dedecus. ipse animum Phrygio, viresq. tyranno*
*Addat, vt ad puppes, & ad vltima littora Graios*
*Victor agat profugos, trepidisq. interritus instet,*
*Et misero felix Argiua det agmina letho.*
*Hæc Danaos fortuna beet: sic regnet Atrides;*
*Ipse sui iudex tandem sibi criminis esto,*
*Discat & aduersi monitus discrimine fati,*
*Qualem Graiorum procerum quo læserit ausu.*

*Hic Thetis auditum nati miserata dolorem*
*Ingemit, & lacrymis lacrymantem, & voce secuta est.*
*Nate quid, heu, tantis iactandum casibus vnquam*
*Infelix peperi genitrix, aut vbere foui?*
*At miser vt iaceas fatis data præda caducis,*
*Auspicijs vtinam belli melioribus vsum*
*Aspicerem, & merito lætum te Martis honore.*
*Nunc tua præcipites voluuntur fata per annos*
*Prona nimis labi, atque vrgentibus acta periclis.*
*Nulla tibi aduersæ parcit vis improba sortis.*
*Heu mala te vexant nostri fatalia partus.*
*Ominis infausti pignus mihi, nate, fuisti.*
*At Iouis ætherium magni penetrale subibo,*
*Quæq. rogas, illum lacrymis, & voce rogabo.*
*Si vocem ille sua nostram dignabitur aure,*
*Et facilis nostris hæc annuet omnia votis;*
*Optatis euenta tuis felicia poscam.*
*Interea ne quis belli te prouocet ardor*
*E castris exire tuis, aut linquere puppes.*
*Ne dextra, ne Marte tuo dignare Pelasgos.*
*Iratus fuge congressum, fuge nomen Achiuûm.*
*Nunc pater omnipotens cælo degressus ab alto*
*Hesterna iam luce, Deûm toto agmine septus*
*Oceanum longe, & , Vulcania regna, potentes*
*Æthio-*

Æthiopes adijt, Regis conuiua superbi.
Bissenos non ante dies patria astra reuiset.
Tunc illum ætheriam ad sedem sublimis adibo.
Quæ cupis, exposcam supplex, & rite prehendam
Sanctum affusa genu, submissoq. ore precabor.
Spero equidem venia non me dimittet inani.
Sic effata, refert gressum, natumq. relinquit
Solantem ereptæ lacrymis fata aspera nuptæ.

Interea Chrysam emenso tenet æquore puppis,
Qua comes aductæ Chryseidis ibat Vlisses,
Centenûm votiua ferens armenta iuuencûm.
Iam socij portum ingressi, postquam alta residunt
Vela manu contracta, suaq. in sede locantur;
Impulsam ad littus remis vrgere carinam:
Demissum acclinant malum, faciliq. rudentum
Depositum tractu longo strauere sedili.
Iacta ratem sistit fixo grauis anchora morsu,
Vinctaq. littoreo religatur ab aggere puppis.
Certatim egressi sicca potiuntur arena,
Exponunt patrijs primùm Chryseida terris;
Inde pium voto missum pecus, inclyta Phœbi
Munera: tum sacras productam sistit Vlißes
Ante aras patri natam, & sic voce profatur.

Regius huc heros, Danaûmq. potens Agamemnon

*Nos venisse iubet, magnoq. hæc munera Phœbo*
*Afferri, natamq. tibi, tua gaudia, reddi.*
*Illius hæc sacranda Deo venit hostia voto,*
*Vt tandem in miseros parcat sæuire Pelasgos,*
*Quos vna sub clade omnes iam deijcit Orco.*
*Hæc ait, & lætam læto dat habere parenti.*
*Protinus instituunt aras, circumq. frequentes*
*Assistunt. ruit ad sacros numerosa bidentum*
*Turba focos. crebris resonat mugitibus æther.*
*Tum manibus lymphæ dantur, deuotaq. flammis*
*Exta piant, salsaq. molas aspergine fundunt.*
*Ingeminat supplex palmas, & sidera Chryses*
*Voce ferit, votisq. Deum compellat amicis.*
*Phœbe potens iaculis, iusto qui numine magnæ*
*Imperium Chrysæ torques, & rite tueris*
*Cyllæumq. genus, Tenediq. immobile regnum;*
*Si precibus modò tacta meis tua numina nostrum*
*Tutari decus, & tanto potuere Pelásgos*
*Proterere exitio: rursus mihi vota secundo*
*Hæc precor euentu firmes, & numine dextro*
*Diue tuum Danais, si fas, auerte furorem.*
*Parce malis tandem, & venia dignare precantes.*
*Audijt orantem, & precibus Deus annuit æquis:*
*Vt satis indultum votis, & adorea primis*
*Liba*

*Liba sacris iniecta; retro ceruicibus actis*
*Auersas iugulo pecudes tenuere supino.*
*Sanguineum infosso luctantia guttura ferro*
*Flumen agunt: rapto nudantur viscera tergo.*
*Auulsæ cumulum fibræ conduntur in vnum.*
*Tum femora excipiunt, sectisq. omenta lacertis*
*Ingeminant circum, & duplici velamine condunt.*
*Quæ senior postquam virgis adolenda paratis*
*Imposuit; liquidi fundit libamina Bacchi.*
*Stabant accincti, & manibus verûa apta tenebant*
*Ante senem iuuenes, promptiq. ad sacra ministri.*
*Postquam exempta focis, imponitur hostia mensis:*
*Discumbunt, festaq. dapes cinxere corona.*
*Cetera quæ superant sectis è cruribus exta*
*Cæduntur ferro, verubusq. affixa cremantur:*
*Tum mensis illata, famem expleuere secundam.*
*Postquam epulas populata fames, iamq. omnis edendi*
*Pulsus amor; famuli assurgunt, & vina repostis*
*Inuergunt pateris. spumant onerata Lyæo*
*Pocula, & vndanti circum creuere corona.*
*Vt laticum libatus honos, simul hausta supinant*
*Pocula conuiuæ, & pleno merguntur in auro.*
*Hinc pubes Argiua sacros simul ore dedere*
*Dona Deo, cantus; lætum pæana frequentes*

*Ingeminant, gaudentq. diem integrare canendo.*
*At Deus iratam solatus carmine mentem*
*Argolico, lætum reuocat iam pectus ab ira.*
*Iam caput Oceano, recidiuaq. lumina Phœbus*
*Condere, & emensum properabat claudere cælum.*
*Defuncti sacris iuuenes, quà nexa rudentum*
*Vincula littoreo retinent à stipite puppim,*
*Hic placidam nuda carpunt sub nocte quietem,*
*Duraq. proiectis posuere cubilia membris.*
*At primis vbi iam radijs Aurora retexit*
*Læta diem, pelago reduces Argiua remenso*
*Castra petunt. Phœbus ventos, cursumq. ministrat.*
*Erectum statuunt malum, sublataq. curuo*
*Pandunt vela sinu, passis quæ cornibus altè*
*Iam Zephyris intenta tument. sonat ære ruentis*
*Vnda ratis, fractoq. illisa refinditur æstu.*
*Vt socias ventum ad classes, & littora Troiæ,*
*Iam siccam ex vndis inscendit puppis arenam*
*Certatim subducta manu, tractuq. rudentum.*
*Fulcraq. subijciunt imæ transuersa carinæ*
*Littoream sedem, solidoq. cubilia fundo.*
*Diuersi sua quisque viri ad tentoria tendunt.*
*Pelides (neque enim irarum medicabile vulnus)*
*Mæstus adhuc, adytis castrorum, aut arce carinæ*

Regali

*Regali septum sese tenet. illa furenti*
*Cura Duci nec bella sequi, nec fœdera Graiûm.*
*Quanquam animo vetitam pugnam suspirat anhelo;*
*Pressus & indomito gestit sub pectore Mauors.*
*Ducta per exactos postquam numerauerat orbes,*
*Bissenos Aurora dies; petit arduus arcem*
*Iuppiter ætheriam, & media inter millia Diuûm*
*Stipatus graditur, patriumq. inscendit Olympum.*
*Quem Thetis, è patrio reditum speculata profundo,*
*Matutina petit; natum haud oblita gementem.*
*Illum alios vltra Superos, supraq. nitenti*
*Offendit solio sublimem, & subdita nutu*
*Agmina flectentem, attollentemq. ardua celso*
*Ora supercilio, & pedibus rutila astra prementem.*
*Olli se coram supplex Dea sistit, & altum*
*Assequitur dextra mentum, læuaq. verendum*
*Prona genu contingit, & hæc prece fatur amica.*
*Magne parens, si notus amor, mea si qua iuuandi*
*Cura tui; testata olim inter sæua Deorum*
*Prælia, nunc memori tibi me commendat egentem;*
*Hoc sine me votis à te sperare secundis,*
*Quod cupio. stat nostra tuo fiducia nutu.*
*Est mihi mortales inter, medioq. furentum*
*Turbine fatorum casuro labilis æuo*

*Filius. haud hominum cuiquam violentius instat*
*Parca manu præceps, atque vltima pensa volutat.*
*Hunc ferus imperio Danaûm regnator Atrides*
*Vi premit infanda despectum, & laudis egentem:*
*Abstulit en illi victricis præmia dextræ,*
*Dona viri, raptumq. dolo prædatus honorem.*
*Tu decus hoc illi instaura. da versa Pelasgûm*
*Fata ruant, Phrygiusq. illos certamine Mauors*
*Hactenus infractos victricibus vrgeat armis,*
*Dum meritas nato laudes, & iusta reponant*
*Dona meo. Dixit, pressoq. hîc ore quieuit.*
*Tardus ad hæc arcana diu responsa moratur*
*Iuppiter, & pressis suspensus vocibus hæret.*
*Diua preces exorsa nouas, ignara remitti,*
*Nec potis è genibus tandem discedere tactis,*
*Aut reuocare manum, aut pronum diuellere pectus;*
*Instat adhuc, varioq. vrget sermone silentem.*
*Rumpe precor responsa Pater, promissaq. tandem*
*Certa refer. quid verba timent erumpere, si mens*
*Cedendi secura tibi, secura negandi?*
*Nunc alios inter Diuos mea numina quantum*
*Contemnas, aperi; atq. animum testare latentem.*
*His pater exarsit dictis, ac talia demum*
*Orsa refert. Non digna rogas. incurrere sæuas*
*Coniu-*

*Coniugis insensæ nimium me cogis in iras.*
*Illa furens vltra mores, vltra ausa Deorum*
*Non assueta odijs in me, non parcere probris.*
*Sæpe, quòd occulto complectar numine Troas,*
*Arguit insanis mecum congressa querelis,*
*Et temerè infandis onerat mihi vocibus aurem.*
*Mitte preces, teq. hinc celeri procul eripe gressu,*
*Non oculos secura Deæ, vultumq. videbis.*
*Nec renuo, quæcumque rogas. hæc numinis esto*
*Cura mei. non vlla precum spes vana tuarum.*
*Ne dubita. meus ecce tibi certissimus obses*
*Nutus erit. neque enim æternæ mihi verius vllum*
*Indicium fidei. simul hæc; simul ardua magnum*
*Lumina dant nutum, & prono se vertice fundunt*
*Ambrosiæ super ora comæ, cælumq. tremiscit.*
*His Dea promissis cælum contenta reliquit,*
*Et patrium Oceani regnum, sedemq. petiuit.*
*At pater omnipotens intra penetralia gressum*
*Alta mouet. simul auratis è sedibus omnes*
*Assurgunt superi, mediumq. ad limina ducunt,*
*Et celeri occursu vestigia tarda coronant.*
*Vix pater æterni solium premit altus Olympi;*
*Cùm Iuno (cui visa Thetis, suspectaq. Regis*
*Consilia, & tacitam Diuæ congressus ad aurem)*

Importuna Iouem, solitisq. armata querelis
Aggreditur, fidensq. tacentem his increpat orsis.
Quis tua, quis Diuûm petijt consulta repertor
Ingeniose doli? semper latebrosa volutat
Mens tibi, quod tacitus mecum conferre recuses.
Me sine congressu misces arcana remoto.
Ast ego nil usquam audiri, nil digna moneri.
Cui pater omnipotens. Tantum te fidere, Iuno,
Et sperare nefas, mea te ad consulta vocandam
Omnia, vel tacito quicquid sub pectore versem
Vulgandum, aut facili tecum sermone serendum.
Ne tantum confide, licet mihi proxima sancto
Fœdere connubij, & cultu dignanda iugali.
Nota quidem quæcunque velim, vulgataq. Diuis
Accipies vna ante alios. nam prima Deorum,
Prima hominum; semper nostræ tu conscia mentis.
Quæ tamen haudquaquam alloquio concredita Diuûm
Arcano tacitus mecum sub pectore seruem;
Hæc alto sine corde premam, nec quærere tenta,
Neu cupida venare meos indagine sensus.
Cui Dea. Te nequam hæc fari? te rumpere tales
Ore sonos? quid enim? nil vnquam audere rogando
Assueram, aut cupidè mentem tentare profundam.
Omnia versabas animo consulta quieto,

Nec

*Nec tua congressu turbata silentia nostro.*
*At mihi nunc suspecta senis Dea nata marini,*
*Alloquijs quæ mane tuis inhiabat ad aurem.*
*Illa tuam vereor ne mentem in deuia flectat*
*Consilia, & fando pectus mutabile verset.*
*Aspexi, cùm te genibus submissa prehensis*
*Orauit, dictisq. aurem pulsauit amicis.*
*Quin etiam blando nutum sermone redemit*
*Læta tuum, ni vana reor: tuq. omnibus illam*
*Prodige promissis dignaris, & omnia cedis.*
*An longo non illa precum luctamine vicit,*
*Vt votis optata suis contingat Achilli*
*Gloria, sed Graiæ pereant, te vindice, turmæ?*
*Ille sub hæc. Semperne oculis penetrabile nostrum*
*Pectus erit vesana tuis? nil te ista iuuabit*
*Sedulitas armata dolis. hoc scilicet vnum*
*Proficis, vt nostrum tua prouocet ira furorem,*
*Longius eq. meo te semper amore relegem.*
*Hoc ego si iubeo, satisq. hic terminus hæret,*
*Sederit hæc animo (quid enim?) sententia nostro.*
*Tu ne vltra. subside animis nimis ausa. querelis*
*Pone modum, & tacito tandem requiesce sedili.*
*Ne manuum si forte mearum allisa furori,*
*Auxilium mulctata voces, nec viribus vllis*

Eripiare mihi, non vllo robore Diuûm.
Dixit. at illa metu semotam absterrita sedem
Sponte, inuita petit. pauido tumor ore resedit.
At superûm subitus turbata per agmina mæror
Exoritur. fandi princeps Iunonia proles
Hæc prior accenso Vulcanus pectore fatur,
Suadet enim genitricis amor. Quo nostra tumultu
Tecta fremunt? quanto miscemur turbine rerum!
Quis ferat hæc Diuûm, aut animis hæc audiat æquis,
Vos hominum bello tantum, fatisq. moueri?
Hem, noua contristat nostras discordia mensas,
Nec iam vltra genialis honos, nec læta voluptas.
Cara parens, nato si fas parere monenti,
Hoc moneo, quãquam & memorem, nec mentis egẽtem.
Da facilem te grata Ioui, leniq. iubentem
Prosequere obsequio genitorem, atque aure secunda;
Ne pater immani rursum fremat excitus ira,
Et lætas nobis epulas turbatus acerbet.
Ille Deos nutu, si vellet, & æthera fundo
Eruat, & patrijs iam nos detrudat ab astris:
Nempe illi suprema Deûm, rerumq. potestas:
Ergo illum placidis mulce lætissima dictis.
Iam sua conuertet reuocatum ad gaudia pectus.
Hæc ait, & mæstæ magnum cratera parenti
Obtulit

Obtulit, & manibus ſurgens onus ingerit aureum.
Omnia lætitiæ cedant: fors, inquit inertes
Læua animos victrix onerat. ne mæſta dolori
Succumbas, rapido pectus licet igne caleſcat.
Te nollem irati flentem ſub verbere patris,
Audire, & vani fruſtra miſereſcere fletus.
Nil ope, nil opera proſim. nimis arduus illi
Eſt furor, occurſu non eluctabilis vllo.
Nam tibi ſubſidio quondam cùm forte gementi
Accurro, & miſeram tento miſeratus opem vi;
Ille furens animis, & iniqua percitus ira
Arreptum pede me ſupera deiecit ab aula.
Quo procul ad terras lapſu reuolutus agebar,
Alta pererrato dimenſus inania cælo.
At poſtquam mihi longa dies expleta cadendo,
Phœbus vt occiduos iam gurgite merſus Ibero
Soluit equos, noctemq. dies iam lapſa vocarat:
Lemniacas cecidi tandem delapſus ad oras
Cùm tenuem haurirem aurai ſpirabilis vmbram,
Atq. animam pulſu traheret labor altus hiantem.
Illic me celeres cælo excepere ruentem
Sinties, & noſtro metam poſuere labori.
Sic ait. at læto mæſtum Saturnia Iuno
Explicuit riſu vultum, natiq. ſuperbum.

*Agnoscit munus, pateramq. haud lenta capessit,*
*Ille coronatos largo iam nectare Diuis*
*Præbebat calices, dextraq. exorsus ab alta*
*Pocula præportans, lætum celer agmen obibat,*
*Ingentem exonerans haustu cratera frequenti,*
*Hîc superis iucunda nouus per gaudia risus*
*Exoritur, lætoq. fremunt conuiuia lusu,*
*Dum Vulcanus obit mensas, & ritè ministrat*
*Nectareos latices, & pocula sedulus vrget.*
*Ergo hilares instant epulis, & gaudia longo*
*Festa dies cursu labentibus integrat horis.*
*Delius in medio fidicen modulamina, pulsis*
*In numerum fidibus, varia discriminat arte,*
*Et citat Aonias ad carmina læta sorores,*
*Mutantes varium alterno certamine cantum.*
*At postquam sua cuiq. dapum saturata cupido,*
*Lumina cùm Phœbus clauso labentia mundo*
*Occulit, & fessas prono citat æthere bigas:*
*Alma quies oculis nutu blandita soporo,*
*Iam tacitos arctè Diuos complexa tenebat,*
*Dulciaq. infudit languentibus otia membris.*
*Lapsantes iam somno artus ad nota reportant*
*Limina, quæ cultu extruxit laqueata superbo*
*Ignipotens, olim sedes dum condit Olympi,*

*Et nauum ingenium solido molitus in auro*
*Distinctum egregia cælauerat arte laborem.*
*Huc notos adiere toros, fusiq. sopore*
*Condunt per tacitam nutantia lumina noctem.*
*Ipse pater superûm primos intra alta recessus*
*Tecta petit, solitæ sacrum penetrale quieti.*
*Inscenditq. torum, atque alto se condit in auro.*

# Homericæ Iliados

## *LIBER SECVNDVS.*



*VM Superis longas altus sopor integrat horas*
*Lentaq. iam latè cæcis animalia terris*
*Ducunt sopito nocturna silentia cælo:*
*Iuppiter insomni curarum indagine mentem*
*Exercet dubius rerum; quà mutet Achilli*
*Indecorem fortunam, & læsum instauret honorem,*
*Multaq. Graiorum sæuo data millia letho*
*Sternat, & Argolicam confundat funere classem.*
*Hæc agitans fusca lethalem in veste ministrum*
*Alloquitur Somnum, & tacitas iubet ire per auras.*
*Vade: acies, inquit, monitor vesane malorum*

Labare ad Argolicas, & Atridæ ad limina regis,
Et refer hæc fidis mandata celerrima dictis.
Instruat Argiuas acies, effusaq. totis
Castra det agminibus Troianum inuadere regem.
Nunc Phrygiam vastare vrbem, nunc milite campos
Sternere, nunc omnes Marti dare tempus habenas.
Discordes requiesse Deos, cessisse precanti
Omnia Iunoni luctantum numina Diuûm,
Vltima passuros fatorum incommoda Troas.
Dixit. at ille citis liquidum secat aëra pennis:
Nec mora, Dardanios fines, Argiuaq. castra
Graiugenûmq. petit per amica silentia regem,
Mollibus in stratis alta iam nocte sepultum.
Cui tacitam sistit se lethifer ales ad aurem,
Longæuum simili mentitus Nestora vultu,
Nestora, dilecto venerandum nomen Atridæ.
Hunc simulans, regem alloquitur. Quid fusus inerti
Membra toro, tam longa trahens obliuia rerum
Securam ignauo traducis pectore noctem?
Nulla Duci sat tuta quies; nec regia multùm
Ad consulta viget tardo mens nupta sopori.
Da Superûm monitis aurem. tibi nuncius arce
Mittor ab æthereia. summi regnator Olympi,
Cui nimiùm de te pietas agit anxia pectus,
Hæc

*Hæc iubet, Instructas campis immitte cohortes:*
*Iam vicina dies, qua Dardana mœnia victor,*
*Et magnum Priami possis euertere regnum.*
*Lis cecidit pacata Deûm, quos Diua precando*
*Flexit in auxilium Danaûm concurrere Iuno.*
*Imminet Idæo clades suprema tyranno*
*Ab Ioue, qui Teucros diro iam destinat Orco.*
*Ergo oculis cùm pulsa quies, excita resoluet*
*Pectora; ne tantis mentem piger exue curis.*
*Dixit, & in cælum refugas celer extulit alas.*
*Atrides tali delusus imagine, vanum,*
*Lætus in euentum curas intendit inanes,*
*Ingentesq. animo spes irritus haurit auaro.*
*Iam Phrygas euersos credit, iam mœnia Troiæ*
*Diruta, Dardanio tandem data vincula Regi,*
*Demens, nec dubia librat formidine mentem,*
*Nescius ætherij quò tandem accepta parentis*
*Iussa fluant, quas ille vices, quæ fata volutet.*
*Ille quidem Graio, & Troiano sanguine campos*
*Mergere Dardanios, confusaq. castra parabat:*
*Cùm sopor excussus regi, iam plurima mentem*
*Cura subit dubium, & diuinæ vocis imago*
*Obuersans animo memores circumsonat aures,*
*Vt stetit, arrectusq. toro subsedit in aureo*

*Fulgentem tunicam pulchros superinduit artus;*
*Vndantemq. sinu chlamydem; vinctum inde decoro*
*Molle pedes habitu, & vestigia tegmen honestat.*
*Hinc habilem summo gladium suspendit ab armo*
*Distinctum bullis rutilo fulgentibus auro.*
*Sceptra dehinc regnis quondam dominata paternis,*
*Nec varias sortita vices mutabilis æui,*
*Attollens dextra, campoq. ingressus aperto,*
*Vicinam ad classem sociûm contendit Achiuûm.*
*Iam lucem matura Ioui, & cælestibus almam*
*Nunciat Oceano surgens Titonia coniux.*
*Protinus accinctos lituo iubet ille ministros*
*Concilium magnum, & lectos accire Pelasgos.*
*Ergo omnes vox vna mouet: ruit ære citatum*
*Agmen, & ingenti littus fremit omne caterua.*
*Puppis erat primas inter non vltima classes,*
*Dardana qua tetigit longæuus littora Nestor:*
*Huc lecti Danaûm proceres, huc ductor Atrides*
*Conueniunt. cupidas tum Rex ita fatur ad aures.*
*Vos mihi dilecti, pubes generosa, Pelasgi*
*Fas audire, quid hæc moneat noua noctis imago,*
*Quæ mihi nocturno sese obtulit obuia monstro.*
*Induerat simili longæuum Nestora vultu*
*Par oculis, par illa genis, & corpore toto*

*Ger-*

Germanum referens habitum, lætamq. senectam,
Impleuit tacitam dictis mihi talibus aurem.
Siccine sopitus longæ teris otia noctis
Atride? consulta breues regalia somnos,
Et vigiles poscunt animos. quid inertia tantum
Agmina Dardanijs cessas immittere campis?
Rumpe moras, & sæua citas ad prælia turmas
Præcipitans, duris Martem calcaribus vrge.
Nunc Phrygium vastare solum, nũc perdere tempus
Pergama, & Idæum bello prosternere regem.
Ipse tuam Iouis imperio demissus ad aurem
Nuncius hæc moneo. nimis illum antiqua remordet
Cura tui. ne iussa piger cælestia differ.
Diuisi quondam studia in contraria Diui
Iunonis precibus litem posuere sequestræ,
Sæuaq. Troianæ molitur funera genti
Iuppiter. hæc alto serua memor indita cordi.
Dixit, & humanam liquit cum voce figuram:
At mea discusso soluuntur lumina somno.
Ergo ope conandum summa, tantum edere si quà
Detur opus. cunctas acies ad bella ciendum.
Ipse quidem refugos bello discedere Graios
Dum iubeo, reditumq. paro; vos tendite contra
Optatam probibere fugam, vos arma capessant,

Vincite consilio & mecum pugnate monendo.
Neq. adeo monitis victum concedere vestris
Cogite, ne mea se flectant ad iussa cohortes.
Hæc ait, & solium tacitus premit. inde secundos
Nestor ad affatus, Pyliæ cui sceptra phalangis,
Surgit, & hæc senior fandi doctissimus infit.
Argolici proceres, Regum genus, inclyta Martis
Gloria, si quis erat media de gente Pelasgûm,
Talia quem tali monuissent somnia monstro,
Credo equidem, poterant nequicquam hæc visa videri.
At Regem, qui laude viros supereminet omnes,
Nil temere portenta monent. ergo omnibus vnum
Nunc opus vrgendum, manibusq; & pectore toto
Tentandum iam siqua via est, qua concita fusis
Agmina se castris arment, pugnamq. lacessant.
Hæc ait, & subito primus vestigia gressu
Prompta mouet, quem tota cohors excita loquentis
Voce, subit gressu. neq. enim parere recusant
Sceptrigeri reges. it pleno murmure cætus.
Quale fremunt, conferta globo cùm examina denso
Certantum luctantur apum se fundere, saxo
Lapsa cauo, semperq. nouis è millibus agmen
Aggeritur, glomeratq. ingentes turba racemos.
Hinc

*Hinc volitans confusa, noui florentia veris*
*Germina delibans, campos populatur apricos.*
*Haud aliter fremit, & castris effusa relictis*
*Procedit numerosa phalanx. hi puppibus altis*
*Egressi properant: alij tentoria plenis*
*Agminibus fusi linquunt, & littora complent.*
*Fama volans acies latè Iouis ales obibat,*
*Concilium acciri, lectos ad Martia cogi*
*Iura patres. densum positis immurmurat agmen*
*Sedibus exceptum, & strepitu succussa resultat*
*Terra. fremunt pleno stipata sedilia cætu.*
*Stant circum accincti lituis, qui certa silendi*
*Præcones dant signa nouem, & consulta quietos*
*Expectare iubent regum, & iam parcere linguis.*
*Postquam sopito requierunt murmure turbæ,*
*Regnator Danaûm Atrides, quem copia fandi*
*Prima vocat, surgit medius, cui nobilis alto*
*Dextra micat sceptro, noua quod sedulus arte*
*Fecerat Ignipotens, rutiloq. incenderat auro.*
*Post illud magno munus dedit esse Tonanti:*
*Parrhasio dehinc ille Deo concessit habendum.*
*Is Pelopi, regiq. Pelops dedit inclytus Atreo.*
*Atreus hoc regni venerandum insigne Thyestæ*

*Liquerat. ille autem regi regnator Atridæ*
*Tradiderat nato genitor, quo rite subactis*
*Iura ferens populis regnum proferret auitum.*

Hæc præpropero calore, & impetu exorsus adolescens, cùm neque pertexere, neque interpolare, nouis intercurrentibus curis, potuisset: premebat apud sese, neutiquam vulgaturus. Nos ita incorrecta edi permisimus; ne cum alijs illiberaliter agere videremur. Reliqua desiderantur.

## ERRATA.

| Pag. | lin. | errata. | correcta. |
|---|---|---|---|
| 2 | 4 | *noua* | *nouo* |
| 5 | 22 | *fœnere* | *fœnore* |
| 28 | 12 | *spontem* | *sponte* |
| 29 | 22 | *conoro* | *canoro* |
| 33 | 22 | *Barbario* | *Barbarico* |
| 35 | 18 | *Viuidua* | *Viuida* |
| 38 | 8 | *niuumq.* | *niueumq.* |
| *ibid.* | 18 | *Dicimur* | *Ducimur* |
| 39 | 22 | *sunt: otia* | *sunt otia* |
| 46 | 22 | *panere* | *parcere* |
| 54 | 6 | *subiecta* | *subiecto* |
| 55 | 18 | *omnss* | *omnes* |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 59 | 7 | *Collabantem* | *Collabentem* |
| 60 | 10 | *qua meta* | *quæ meta* |
| 63 | 19 | *decreta* | *durata* |
| 64 | 24 | *vero* | *viro* |
| 68 | 21 | *ruiuri* | *ruituri* |
| 90 | 11 | *mhi* | *mihi* |
| 106 | 11 | *memeret* | *memoret* |
| 118 | 8 | *fulus* | *fultus* |
| 118 | 10 | *vicina* | *vicinia* |
| 119 | 15 | *curuſca* | *coruſca* |
| 126 | 22 | *genna* | *genua* |
| 129 | 16 | *diſcipiunt* | *diſpiciunt* |
| 136 | 18 | *merereri* | *mereri* |
| 168 | 18 | *Nullam* | *Nulla* |
| 171 | 22 | *Nobile per* | *Nobile par* |
| 176 | 18 | *ſanda* | *fanda* |
| 190 | 22 | *procula* | *pocula* |
| 193 | 5 | *Quppe* | *Quippe* |
| 195 | 23 | *procula* | *pocula* |
| 198 | *in marg.* | *Saſſiadæ Feronicæ.* | *Feronici Saſſiadæ* |
| *Ibid.* | *in marg.* | *ad relionem* | *ad religionem* |
| 208 | 8 | *victix* | *victrix* |
| 211 | 24 | *contigeret* | *contingeret* |
| 233 | 24 | *Iouuis* | *Iouis* |
| 248 | 10 | *ſuis* | *ſitis* |
| 261 | 19 | *hac vicinia* | *hæc vicinia* |
| 274 | 17 | *geſtebat* | *geſtibat* |
| 279 | 3 | *illecebra* | *illecebras* |
| 300 | 1 | *facere* | *fecere* |
| 303 | 21 | *nupſeri* | *nupſerit* |
| 307 | 8 | *amauerit* | *armauerit* |
| 312 | 21 | *gemio* | *gremio* |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 313 | 15 | *mentitor* | *mentior* |
| 317 | 6 | *iuendi* | *tuendi* |
| 322 | 24 | *inurgens* | *inuergens* |
| 323 | 13 | *reseus* | *roseus* |
| 324 | 3 | *Fumina* | *Flumina* |
| 331 | 2 | *Frigibus* | *Frugibus* |
| 332 | 5 | *paricus* | *parcius* |
| 336 | 9 | *tantuum* | *tantum* |
| 348 | 3 | *lauamen* | *leuamen* |
| 358 | 17 | *procula* | *pocula* |
| 405 | 17 | *capillæ* | *capellæ* |
| 414 | 9 | *ad gluten & ineluctabile nexum* | *ad gluten ineluctabile nexu* |
| 426 | 14 | *vecendo* | *verendo* |
| 432 | 5 | *offendunt* | *offundunt* |
| 446 | 22 | *funeras* | *funereas* |
| 450 | 16 | *Tiphys est* | *Tiphys adest* |
| 451 | 8 | *ora* | *hora* |
| 452 | 7 | *Alphonset,rabentem* | *Alphonse,trabentem* |
| 463 | 11 | *renascentem* | *renascentum* |
| 484 | 24 | *funere* | *funera* |
| 490 | 15 | *quid facis* | *quod facis* |
| 500 | 3 | *tormines* | *tormina sunt* |
| 509 | 5 | *magit* | *magis* |
| 576 | 1 | *labare* | *labere* |

NEAPOLI.

Ex Typographia Tarquinij Longi. 1618.



